FEUARDENT, François (O.F.M.)

In B. Iudae Epistolam catholicam... / R.P.Fr. Francisci Feu-Ardentii, Ordinis F. Minorum... -- Coloniae Agrippinae : Apud Henricum Falckenburg, 1595

[16], 392, [6] p.,)(8, A-Z8, 2A8, 2B7 ; 8º

El nombre del autor precede al tít. -- Port. con viñeta xil. -- Apostillas marginales

1. Biblia. N.T. Epístolas católicas -Comentarios 2. Biblia. T.B. Epistola katolikoak-Iruzkinak I. Título

R-6144 Enc. perg.

R. P. FR. FRANCISCI

FEV-ARDENTII,

ORDINIS F. MINORVM,

S. THEOLOGIAE DOCTORIS,

ac Professoris Parisiensis.

IN


B. IVDAE

EPISTOLAM CATHOLI-

CAM, QVA CVM VETERVM, TVM nouorum Hæresiarcharum mores, fraudes, scelera, blasphemiæ, graphicè describuntur, & refelluntur.

COMMENTARII; *Christianis concionibus accommodati: & locorum aliquot communium vberiore tractatione locupletati.*

Cum INDICE Scripturarum, & rerum magis memorabilium.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Henricum Falckenburg.
ANNO M. D. XCV.

REVERENDO ADMODVM PATRI F. PETRO AMICO,

Sodalitij Franciscanorū Obseruantium, COLONIAE PROVINCIALI MINISTRO, *Guardiano, ac eiusdem Ordinis*, F. *Franciscus Feuardentius, Christi gratiam, & perpetuam felicitatem precatur.*

QVOD hi Commentarij nostri in Beati IVDAE Apostoli Christi Diuinum Epistolium sub nominis tui, REVERENDE admodum Pater inscriptione in lucē nunc exeant; acceptum gratumque fore confido: quòd id vt facerem nec paucis, nec leuis momenti de causis permotus fuerim. Cùm primis namque incitauit me illius argumentum, quo grauissima & planè Apostolica exhortatione pij omnes commonentur, vt pro susceptа semel à sanctissimis Dei legatis, vera Christianę fidei ac religionis doctrina, constanter retinenda, & bonis moribus exornanda; aduersus subrepentium Seductorum, qui teterrimis erroribus eius veritatem, ac fœdissimis scelerum exemplis eiusdem puri-

tatem conſpurcare atque labefactare nitebãtur molitiones & conatus omni ſtudio atq; diligentia decertarent & confligerent.

Huiuſmodi namque tum fuerunt pſeudofratres illi, de quibus & ſæpe & grauiter Paulus conqueritur; quod eſſent *operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, ac miniſtros iuſtitiæ, ſicut & Satanas, vt incautis imponat, transfigurat ſe in Angelũ lucis*. Ac certè cunctis peruium eſt ex his quæ referuntur ab Irenæo, Tertulliano, Euſebio, Epiphanio, Theodoreto, & reliquis veterum hæreticorũ antagoniſtis, quanta damna & ſcandala Eccleſiæ Catholicę initijs intulerint errores, publicaq; crimina impuriſſimorum Nicolaitarum, Simonianorum, Ebionitarum, Cerinthianorum, Carpocratianorum, & Gnoſticorum: qui omnia, quæ ab Apoſtolis & Diſcipulis ſanctiſſimè tradita fuerant de Dei vnitate, perſonarum Trinitate, Chriſti incarnatione, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione, fanaticis planè delirijs, & monſtroſis hæreſibus deprauabant: & in neſcio quos Aeones, Bythos, Autophyes, Agiratos,

2. Cor. 11.

tos, Monogenes, Patricos, et Matricos, id est, putidissima somnia & inaudi- tas chimeras incredibili audacia & impietate transformabant. *Iren. l. 1. c. 24. l. 4. Hist. c. 7. Epiphan. cont. Haref. 27.*

Contigit etiam, quemadmodum ex Irenæo refert Eusebius, vt dæmon magis gaudens, opera Ministrorum istorum multos in perditionē seduxerit: & Gentibus multam copiam blasphemandi doctrinam diuinam præbuerit: eo quod fama istorū vniuersæ Christianorum genti reprehensionem offuderit; quasi omnes illicitis concubitibus cum matribus & sororibus, & infandis cibis vterentur. Atque hi sunt proculdubio aduersus quorū violentas impressiones ac furentes impetus, hic Apostolus hortatur nos omnes, non simpliciter certare; sed etiā ἐπαγωνίζειν, id est, supercertare, omni studio dimicare, & repugnare, vt doctrina Catholica & Apostolica in omnibus sarta tectaque seruetur.

His porrò nō absimiles, aut etiam nū deteriores hæreses instaurantibus, & incredibili violentia, plurimarumque (proh dolor) animarum pernicie

nũc in Belgium ac vicinam Germaniam inuehere conãtibus nouis Gnosticis, Libertinis, Antitrinitarijs, Anabaptistis, Suuermeris, Bezanis, Caluinianis, alijsque nouissimi Antichristi prodromis; tu zelo verè Apostolico multis annis & locis teipsum opposuisti; indutus armatura Dei, aduersus istas insidias diaboli constanter stetisti; & galea salutis assumpta, gladioq; spiritus (quod est verbum Dei) præcinctus, in templis, in scholis, in colloquijs, in populosis Brabãtiæ, Geldriæ, Germaniæque ciuitatibus ac oppidis tandiu Christo militasti; & verbo, exemplo, oratione, Catholicam fidem magna multorum vtilitate asseruisti; quandiu per arma parricidalia nefariasq; perduelliones illic degere concessum est. Insuper nec ab hoc verè Christiano instituto ac studio etiam hîc Coloniæ, ac in finibus eius, iam diuturno agens exilio, tibi cessandũ in animũ piè sancteq; induxeris: qua pietate non solius beati IVDAE APOST. adhortationi obsequeris, sed & his diuinorum aliorum præceptis morem geris; *Collabora Euangelio secundum virtutem*

Eph. 6.

2. Tim. 1. 2. & 4.

tem Dei. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum. Labora sicut bonus miles Christi IESV. *Vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant.* Apoc. 2. Quàm verò sua benedictione cælesti hos pios labores tuos iam Dominus cumulauerit, iam testificantur & multi Anabaptistæ per hos in Christo regenerati, multi hoc anno Colonia eiecti; & alij permulti ab alijs hæresibus reuocati, ac Ecclesiæ Catholicæ reconciliati. Macte ergo virtute ac zelo fidei, Reuerende Pater, sic itur ad astra.

DEINDE, Seductores, quorum fraudibus resistendum, & pernicioſis conatibus cunctis viribus obsistendum docet Apostolus, hoc diuino planè Epistolio suis tã graphicè depinguntur coloribus; vt nullus non possit ab his toto pectore abhorrere; & tanquã à selectissimis Satanæ ministris & organis diligentissimè sibi præcauere: Quo exemplo veluti lucidissima face cunctis diuini verbi præconibus Apostolus præluceré voluit, vt hostibus Christi ac sponsæ eius Ecclesiæ nun-

quam parcant, nunquam illis adulẽ-
tur aut indulgeant: ſed horum ſcele-
ra palam traducant, pernicioſa conſi-
lia cunctis patefaciant, & impios tum
errores, tum mores vniuerſo mundo
ſpectandos, & abominandos expo-
nant. Etenim duris nodis, duri adhi-
bendi ſunt cunei. Duritia vincenda
eſt, inquit Tertull. non ſuadenda.
Nam & alij Apoſtoli hæreſiarchas ne-
quaquam palpauerunt, quando il-
los ob nefarias artes appellauerũt. *Lu-*
pos rapaces, pſeudoprophetas, pſeudoapoſtolos, mi-
niſtros iniuſtitiæ, magiſtros mendaces, filios diabo-
li, inimicos omnis iuſtitiæ, deniq; & antichriſtos;
cum quibus nec cibus ſumendus ſit.

In Scorpiaco. cap. 2. l. præſcript. Art.
20. 2. Cor. 11.
2. Petr. 2. Art.
13. 1. 10. 4.
& 1. Cor. 5.

Quorũ veſtigijs & Reuer. P. T. inhę-
rens, & pro Domino Deo exercituũ
præclari illius Teſbitis inſtar, zelo in-
ardeſcens, nunquam illis conniuen-
dum, nunquam vel timore, vel amo-
re diſſimulandum, pie ſancteq; con-
ſtituit: Dominicum illud frequenti
vſurpans ſermone, *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.*
Quinetiam ſingularia raraq; illa mul
tarum linguarum dona, quæ multi-
plici labore ac ſtudio feliciter eadem

3. Reg. 19.

Luc. 11.

R. P. T.

R.P.T. nacta est, sic in hanc rem vtiliter impendit, vt Latinis latinè, Gallis gallicè, Hispanis hispanicè, Italis italicè, Flandris flandricè, & Germanis Germanicè pro concionibus differens; vt ea quę viros pios credere & facere decet, copiosè ac eleganter explicat; sic & hæreticorum fraudes, dolos, moresq; corruptissimos insectatur atque refellit, vt nullus inde nisi & doctior & melior recedat. Mithridatis quondam regis Ponti peritiam & memoriam concelebrant, quòd duabus & viginti diuersis nationibus, quibus imperabat, sua cuique lingua ius diceret; & pro concione singulas sine interprete affari posset. Themistoclem deinde laudibus vehũt, quòd Græcia extorris, linguam Persicam, vt eius gentis Regem sine interprete conuenire valeret, breui tempore didicerit. Sed ad quid hæc Gentilium studia, nisi ad ostentationem? Donum verò linguarum in viro docto ac pio, Ecclesiæ publicæ vtilitati non parùm prodesse, & plurimorum saluti deseruire, ex beatorum Apostolorum gestis, & Hieronymi, Origenis, ac

Valerius. Plutarch. Sabellic.

ac Epiphanij ſcriptis ſatis eſt manifeſtum. Nec abs re Paulus tanquam de cæleſti ac planè diuino beneficio, quod cælitus acceperat, inquit: *Gratias ago Deo meo quòd omnium veſtrum lingua loquor.* 1. Cor. 14.

ACCEDIT, quod in huius Epiſtolæ ſuccinctæ quidē verbis, vt ait Hieronymus, ſed longæ ac fœcundæ ſententijs, commētarijs, & multos & vtiles locos communes Theologicos ad eruendum & diſcutiendum nobis occurrētes, nequaquam leuiter aut perfunctoriè tranſeundos, ſed accuratiùs & abundantiùs examinandos & explicandos eſſe non immeritò iudicauimus. Huiuſmodi ſunt de Altercatione Michaëlis & Satanæ ſuper Moyſi corpore; de bonorum Angelorum officijs; de cacodæmonum lapſu fraudibus, & cōſilijs; de veterum ac recentium Seductorum notis, blaſphemijs & libidinibus; de ſacrorū hominum libertate: de maledictis, conuitijs, & imprecationibus; de beati Enoch prophetia; de ſchiſmate; & de alijs aliquot diuinæ ſapientiæ nō vulgaribus axiomatibus: quorū nodos pro virili ex ſa

cris

eris oraculis Patrumq; veterũ ſcriptis atq; ſententijs expediuimus & diſſoluimus.

His porrò quantũ Reuerentia veſtra delectetur, perplaceantq; eidem, ſolidioris Theologiæ quæſtiones, diſſertationes, atq; ſtudia, teſtificãtur perpetua ab ineunte iuuentute in his diſciplinis ſtudia, continuæ ſummorum Theologorũ lectiones, aſſidua de rebus diuinis colloquia, cęleſtes meditationes, ſacræ conciones, animus denique non niſi ſpiritalia ęternaq; perpetuò ſpirans & anhelans. Et iure ſanè exiſtimat nõ ad inanem Philoſophiæ Platonicæ, Ariſtotelicæ, aut Pythagoricæ oſtentationem, hæc nobiliſſima elogia, ſed ad veræ ſinceriorisq; Theologiæ vera encomia pertinere, vt ſit & affirmetur, Mater omniũ bonorum, & donum ac inuentum ſummi Dei: Enimuerò hæc ſola nos ad perfectam Dei notitiã, inuocationẽ, timorẽ, fiduciã & amorẽ perducit: eadẽ ab animo omnẽ errorẽ tãquã ab oculis caligin ẽ diſpellit, vt fidei luce omnia ſupera, infera, prima, vltima, media videamus. Theologia medetur animis,

ſoli-

ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores, cõſcientias recreat, tentationes repellit, à peccatis eripit, à dæmonibus ſeruat, & ab æternis Gehennæ ſupplicijs erutos Deo & angelis eius in ſempiternum coniungit. Cui ergo has noſtras de rebus Theologicis commẽtationes melius, quàm R.P. tuæ dicaſſem.

POSTREMO, id quoque à me ſuo iure poſtulare viſa eſt, ſingularis illa eiuſdem R.P.T. humanitas, & ſyncera religioſaque amicitia, qua me vnà cum fratre & conſocio ſacerdote optimo; pro pietate ſuſceptorum periculorum, laborum, peregrinationũ, ac ærumnarum participe, Coloniam tanquam aliud cælum appulſos, domo menſaque ſuſcepiſti; ac nõ vt extraneos, ſed veluti cariſſimos confratres hoſpitio collegiſti, amicis commendaſti, atq; vt eiuſdem familiæ ac prouinciæ alumnos & hactenus foueriſti; & quoties redire negotia compulerint, quamdiuque manere placuerit, te eadem erga nos hoſpitalitate atque beneuolentia vſurum eſſe, abſq; vlla fictione ac ſimulatione, ex animo

mo promisisti. Paulus Onesiphorum valde commendat, eiusdemq; familiæ misericordiam impensè precatur à Domino, quòd eum pro Christi doctrina laborantem sæpe refrigerasset, & catenam suam non erubuisset. 2. Tim. 1.

Philemonem appellat Adiutorem suum, eidemq; gratiam & pacem postulat à Deo patre nostro & Domino IESV CHRISTO, eo quòd sanctorum, id est, piorum exulum, & Christianæ religionis ergò afflictorum, viscera per eius hospitalitatem, ac multiplicem caritatem requieuerant. Ingrati ergo animi labem nequaquam me fugiturum esse iudicaui, nisi huiusmodi argumento publico, quantum me R. P. T. debere sentio, testificatus essem. Didici enim à beatissimo antistite Augustino, Ream sibi esse omnem humanam conscientiam, si non amauerit redamantem: aut si iam amantem non redamauerit, nihil quærens ex eo præter indicia beneuolentiæ. Epist. ad Phil. v. 1. 2. & 7. l. 4. confess. cap. 9.

Cum his itaque gratitudinis nostræ certissimis tesseris, beatissimi Apostoli lectissimam, mysterijsq; diuinis refertissimam Epistolam pro insita tibi

eximia

eximia humanitate & comitate excipiens, nos vt cœpisti amare perge; pro tua incolumitate & vtriusque hominis salute communẽ Redemptorem nostrum vicissim exorantes. Coloniæ Agrippinæ, anno à partu Virginis Deiparæ, M. D. XCV.

IN HOS R. PATRIS FR. FEVARDentij Doctoris parisiensis commentarios.

Carmen.

TVmani Deus, ô intime pectoris
Et prudens operum censor, vt impiũm.
Crescit praua cohors, crescit vt illius
Infandum reprobæ scelus.

Non tam dira fuit bellua centiceps
Illa olim, genuit quam ferus inferũm
Princeps, vt populis illa foret sui
Tormentum graue sæculi.

Quam strauere patres numine Cælitum
Fortes, & varijs non sine prælijs
Nascentem toties, illam animis probè
Extinxere virilibus.

Ast orco nouiter bellua millies
Collum vipereis obsita crinibus,
Exorta est, rabie temporibus furens
Hu maiore nouissimis,
Heu, quæ iam peperit monstra, quod intulit
Bellum, quanta mouet funera gentibus,

Et quos parturijt quàm grauis hostium.
Terris exoritur cohors.

Hi sphingas referunt, Gorgonas, & malas
Harpyias, geminos corpora, Cerberum,
Centauros, triplici parte chimæricis
Planè consimiles feris.

Hydris persimiles atq; Charybdibus,
Et scyllis, Erebi turba venefica,
Et quæ monstra vetus fabula protulit
Hi sunt vel magis horrida.

Quisnam Tartarea, quis precor impia
Narrabit sobolis facta, quis illius
Prodet vel minimas eloquio grauis
Turbas, vel calamo leui?

Hæc repit (miserum) repit, & inscios
Tantæ fraudis adit, sic animos plebis
Incautæ rapuit: Iam quoq; fortior
Magnos illaqueat Duces.

O lugenda nimis, vah malè perdita
Gens, quæ sponte ruit per vetitum nefas,
Ignorans propriæ materiam necis
Infœlix ter & amplius.

Proh Dijnos pudet, heu, mœsta cadit manus.
Vos, vos ô quibus est musa potentior
Vitandas populo dicite, dicite
Pestes lethiferas precor.

In cœlis Deus est, ipse superbiam,
Conatusq; virûm, & prælia destruet
Immanemq; malo fulmine luridos
Turbam coget ad inferos.

At mercede bona vos, ô ſacri Patres,
Fœlices faciet, recta ſuauibus
Complens vota bonis, cuncta remunerans
Æterna bona gaudio.

Vos qui per medios ire ſatellites
Non eſtis veriti, quos neq; verbera
Flammæ, vel gladij, quos neq; murmura
Commouêre minacia.

Qui non deficitis pauperie graui,
Non duri exilij pondere: quid mea
Te, Doctor, memoret muſa, quid hoſpitem
Inſignem officio virum?

Rebus conueniunt nomina plurimis
Arſiſti ſupero numine, diceris
ARDENS IGNIS; *ei, quem bene laudibus*
Effers, nomen amicus eſt.

Vos ergo incolumes viuite plurimos
Annos, & fidei pergite tundere
Hoſtes, vt meritos Angelici Deus
Vos partem faciat chori.

CL. CH. STAINVILL.

BEATI IVDAE APOSTOLI EPISTOLA CATHOLICA.

COMMENTARIIS, CHRISTIANIS CONCIONIBVS accommodatis; & aliquot locorum communium, hodieq; controuersorum copiosa discussione, explicata, per F. FRANCISCVM FEVARDENTIVM, Ordinis F. Minorum, ac Parisiensem Theologum.

TRaciliori methodo ac decentiori ordine, iuxta Apostoli præceptũ, tractabimus verbum veritatis huius diuini Epistolij, si primo loco dixerimus de eiusdem Authore & authoritate: secundo, ad quos, & qua de re scriptum, atq; missum fuerit: hic, quãta sit illius in Ecclesia vtilitas: inde, quæ eiusdem partes & capita: postremò, quo dicendi genere traditum & exaratum sit. 2. Timoth. 2.

Atque vt à primo capite nostros in illud Commentarios auspicemur, nouissimi huius æui hæresiarchæ Lutherus, centuriatores Magdeburgenses, Anabaptistę, horumque manipulares, non solum hanc Epistolam in quæstionem dubitationemque reuocarunt; sed & planè negauerunt huius scriptorẽ & Authorem esse beatum Iudam vnum ex duodecim Apostolis Domini nostri Iesu Christi: quibus magna ex parte consensit Thomas de vio, Caietanus vulgò nuncupatus, scribens: *Minoris*

 autho-

Caietan. *authoritatis esse hanc Epistolam his, quæ sunt certæ scripturæ sacræ:* quibus verbis apertè negat, eã habendam esse pro scriptura sacra diuinitus inspirata, certoq; verbo Dei. Zwingliani autem & Caluiniani maiorem his moderationem & pietatem præ se ferentes, hanc Epistolam cum reliquis, quæ Catholicæ nominãtur, & pro canonicis sacrisq; noui testamenti scripturis non grauatè connumerant.

Hæc porrò Lutheri & assectarum hæretica sententia aliquot firmissimis & valentissimis argumentis refellitur, authoritasq; huius diuini scripti adseritur & confirmatur. Primò ex ista Epigraphe, id est, eiusdem apud omnes tam Latinos, quam Græcos inscriptione: *Iudæ Apostoli epistola catholica: Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, &c.* sed Iudas frater Iacobi, toties adnumeratur inter Apostolos Christi, quoties ab Euangelistis cõtexitur eorum catalogus, ac nominatim recensentur. Igitur aut hunc sanctissimum Apostolũ Christi pro certo habet authorem; aut certe insignem impostorẽ planumq; improbissimum, qui execrabili mendacio Apostoli nomẽ ordinemq; vsurpauerit: quod nemo hæreticorum, quod sciam, adhuc pronunciauit. Ex quo conficitur: vt eadem parique asseueratione hæc Epistola habẽda sit pro germano veroq; scripto diui Iudæ Apostoli, cuius nomine notatur; sicut scripta Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Osæę Amos, Ionę, & reliquorum prophetarũ opera non dubitantur esse eorum, quorum titulis insigniuntur.

Matth. 10. Luc. 6. Mar. 9. Act. 1.

Can. 84. apost.

Secundò confirmatur omnium coapostolorum

rũ eius iudicio, & totius veteris Ecclesiæ cõstanti traditione atq; cõsensione. Nam canon eorum octogesimus octauus hanc B. Iudæ epistolam inter alios libros canonicos Christianis omnibus publicè legendam, prædicãdam, & venerandam tradit.

Deinde summi Ecclesiæ catholicæ post S. Petrum Pontifices ac rectores, eiusdẽ epistolæ testimonijs sacra fidei nostræ dogmata cõfirmantes, satis indicauerunt quo loco eã habuerint, & ab omnibus deinceps esset habenda & quanti æstimanda. Atq; in primis Anacletus martyr Apostolo nostro Iudæ propemodum æqualis, verba eius citat sub nomine Apostoli domini nostri Iesu Christi. Alexander martyr scribit: *Ecce, ait Iudas Apostolus, veniet Dominus cum millibus suis facere iudicium, &c.* Anicetus martyr, *iuxta aliam Apostolum*, inquit, *in nouissimo tempore venient illusores, &c.* Cornelius & ipse martyr habet: *Vos autem charissimi, dixit Iudas Apostolus, memores estote verborum, quæ prædicta sunt vobis ab Apostolis domini nostri, &c.*

Anacl. ep. 1.
Alex. ep. 3.
Anicet. epist. ad epis. gal.
Corn. ep. ad Nouat. an.

Ad hæc, alij quoq; per totum orbem sacrorum Christianorũ orthodoxi pontifices & sacerdotes Domini in huius Epistolij adseueratione vno animo consenserunt, veluti cùm illud velut Iudæ Apostoli citat Dionysius Areopagita libri de Diuinis nominibus, capite quarto, & Tertullianus scribit: *Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet.* Clemens Alexandrinus commentarijs eam breuiter explicat, & libro Stromaton tertio eius authoritate, vt Iudæ Apostoli, damnat execrabiles veterum hæreticorum spurcitias, & communes promiscuosq; concubitus. Eiusdem diuini verbi pondus Cyprianus martyr obiicit

Dionys.
Tert. l. de hab. mulieb.
Clem. Alex.

Cyprian. Nouatiano hæretico; quem imitatus Epiphanius, inde Gnosticorum impuritates seuerè coarguit & damnat.

Epiph. contr. Hæres.

Orig. lib. 5. in Epist. ad Rom. Magnus Adamantius Apostolũ eius authorem agnoscens, sic eam laudat: *Quod Iudas Apostolus in Epistola catholica dicit, Angelos qui non seruauerunt principatum suum, quomodo poterit explanari?* Ambrosius (vel vt alij volunt, eo nõ multo inferior Prosper Aquitanicus) eiusdẽ epistolæ hæc verba vt à Spiritu sancto pronunciata citat: *Dicat Iudas Apostolus, quid agat ignorãtia imperfectorum, vel doctrina sapientum. Hi* inquit, *quæcunq; ignorant, blasphemant: quæcunq; autem naturaliter vt muta animalia norũt, in his corrumpuntur.* Huic amplissima Hieronimi testimonia subijcimus. *Iudas frater Iacobi* (inquit) *paruam quidem, quæ de septem catholicis est, Epistolam reliquit; & quia de libro Enoch qui apocryphus est, in ea assumit testimonia, à plerisq; reijcitur: tamen auctoritatem iam vetustate & vsu meruit, & inter sanctas scripturas cõputatur.* Idem alibi: *In epistola canonica Iudas Apostolus frater Iacobi scribit dicens, Commenere vos volo.* Idem rursum: *Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, septem epistolas ediderunt tam mysticas quàm succinctas, & breues pariter ac longas: breues verbis, longas in sententijs: vt rarus sit qui non in earum cæcutiat lectione.*

Amb. lib. 1. de vocat. gent. c. 19.

Hieron. in catalogo.

Epist. ad Marcellam.

Epist. ad Paulin.

Sed quid opus est singulorum testimonia sigillatim recensere? Paucis potius concludendum. Didymus Alexandrinus quo præceptore Hieronymus gloriatur, & post hunc

Didym.

Oecu-

Oecumenius hanc Epistolam vt diui Iudæ Apostoli legitimum fœtum suis commentarijs auxerunt, vt & Cassiodorus iam olim agnouit: Cyrillus Ierosolymitanus in Catechesibus, Athanasius Alexandrinus in Synopsi, Gregorius Nazianzenus libro carminum, Rufinus in Symbolum, Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, Ioannes Damascenus libro 4. de fide orthodoxa cap. 18. omnes diuinorũ librorum cathalogum ex professo contexentes, hanc epistolam B. Iudæ Apostoli in eorumdem album & ordinem referunt. *Oecum.* *Cassiod lib. 1. diuin. lect. cap. 18.*

Quid vltra? concilium Laodicense circa annum Domini 364. in Asia celebratum, & postea in sexta Synodo generali probatum; concilium tertium Carthaginense in Africa coactum, & ab eadem sexta synodo vniuersali cõfirmatum; concilium Florentinũ in quo Græci & Latini ingenti numero conuenerunt, cõcilium denique Tridentinum omnium quæ vnquam celebrata fuere, (Apostolorum tantùm excipio) doctissimum, eandem istam epistolã beati Iudæ Apostoli esse, proindeq; alijs epistolis apostolicis nec veritate nec authoritate vllo modo inferiorem, sapienter sancteq; iudicauerũt atq; decreuerũt: è quibus omnibus manifestè patet hæreticorum qui eidem se se obijciunt, impudentem planè ac omnino flagitiosam esse contumaciam. *Can. 59.* *Can. 47.*

RESPONSIO AD HÆRETICORVM aduersus hanc Epistolam argumenta.

SEd ne videãtur sine ratione desipere, ac Spiritui sancto resistendo hanc verbi diuini partem contemnere atq; reijcere, aliquot ar-

gumenta sibi confinxerunt aduersus eius authorẽ & authoritatem: ad quæ nũc Deo bene aspirante, respondebimus. PRIMVM est ab Eusebij Cæsariensis authoritate, dicẽtis: Adscribitur Iudæ epistoliũ breue quoddam, quod veteres non habuerunt pro authentico. Idem Eusebius adulterinum esse scriptum ostendit, lib. 2. capite vigesimo tertio. Atq; hoc est argumentum Magdeburgensium, quo vsus est etiã Caietanus: cui etiam adijcio Nicephorũ scribentẽ: Vetustiores patres huius Epistolæ mentionem nullam facere. Insuper & Hieronymum dicentem, eam olim à pleriſq; fuisse reiectam.

Nicep. l. 2. cap. 38

Hier. in cat.

RESPONDEO. Imò ijdem ipsi authores mox testificantur, eandem nihilominus Canonicã esse ac sanctam, tametsi quidam initio de illa dubitauerint. Ac Hieronymi quidem euidentissima & certissima de hac re testimonia paulò ante laudauimus. Nicephori autem hoc est iudicium. Iacobi esse creditur prima inter Catholicas epistola, vt ipsius quoq;, magnificè cũ libertate scripta. Eusebius quoq; post superiora verba subiungit: Nos tamen scimus etiam istas (Iacobi, & Iudæ fratris eius) epistolas, cũ cæteris ab omnib⁹ pœnè Ecclesijs recipi. Quid his apertius dici potest pro huius Epistolij authore & authoritate? Quod autẽ cauſentur, *Veteres nullã huius mentionẽ feciſſe*, multis tà Græcorũ quàm Latinorũ testimonijs euicimus rẽ longè aliter se habere. Ex quo patet Eusebium & Nicephorum quantumuis laborioſos & diligentes scriptores, multorum veterum scripta fugisse, vel quod tantùm Latina essent, vel

Euseb. lib. 2. hist.

quod

quod ad eorum manus vt ijdem ingenuè fatẽtur, nõdum peruenissent, præsertim cum chalcographię beneficio nondum iuuarentur. Accedit, quod Epistolij breuitas efficere potuerit, vt nõ ita multi sententijs eius sint vsi. Deniq; nec veritatem, nec robur eius imminuit, quod aliqui de ea dubitauerint; quoniam & de Apocalypsi, & de Epistola ad Hebræos etiã multo grauius litigatum est, donec Ecclesia iudicium suum tandem interponens litem omninò compescuerit ac sedarit.

SECVNDVM argumentum est. Nunquam Apostoli diuina certissimaq; Prophetarũ oracula prætermitterẽt, vt doctrinam suã confirmarent quibusdã apocryphis ac incertis fabulis. At hoc fecit Author huius Epistolæ, citãs prophetiam Enoch, *Ecce Dominus veniet cum millibus &c.* hanc autem prophetiam Augustinus dicit nullius esse authoritatis inter Iudæos & Christianos, cui omnino consentit Origenes scriptor vetustissimus. Insuper, citat etiã Author huius epistolæ Concertationem archangeli Michaëlis cum diabolo de corpore Mosis, quæ nullibi in sacris legitur, nullibi authentica est. Ergo cùm relictis veris fontibus verbi Dei, ex quibus Petrus, Paulus, & alij Apostoli dogmata sua hauserunt & adseruerunt, hic Author ab apocryphis & incertis probationes suas mutuatus sit, Epistolam suam merito suspectã reddidit. RESPONDEO in primis cũ diuo Hieronymo, quòd nequaquã eleuatur eius authoritas propter apocryphum aliquod citatum, cùm Paulus Apostolus nõ ex apocryphis tãtum, sed etiã de Gentiliũ poëtarũ libris

Aug. l. 18. ciuit. c. 38. & l. 15. c. 23.

Orig. ho. 8. in numeros.

Com. in cap. 1. ad Titum.

testimonia in approbationem dogmatũ suorum adducat. Primum, ex Arati phænomenis: *Ipsius genus sumus.* Secundum, ex Menandri comœdia: *Corrumpũt bonos mores colloquia mala.* Tertium, ex Epimenide & Callimacho Cyrenensi: *Cretenses semper mẽdaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Voluit enim studiosos librorũ gentilium de propria librorum suorum lectione cõuincere: sicut hîc Iudas cõspiciens Iudæos, primosq; Christianos magni facere libros Enoch, qui tum adhuc extabant, prudẽter illos citauit, vt hinc illos conuinceret: non tamen quicquid in illis continetur probans, sed tantùm sententiam allegatam, quam eadem opera & sanctam & canonicam reddidit.

Act. 17. 1. Cor. 15. Tit. 1.

Orig. ho. 1. in Cantic.

His addit Origenes, fieri potuisse, vt Apostoli Spiritu sancto repleti planè sciuerint, quid ex apocryphis sumendum, quid vere futandum esset: nobis autem nõ quid tale præsumendum, vtpotè quibus non est tanta Spiritus abundantia.

Posset etiam responderi, librum Enoch nõ apocryphum, sed sanctum & canonicum fuisse, secreto autem Dei consilio nunc è medio sublatum non haberi, sicut & multi alij quorũ mẽtio fit in libris Regum, exciderunt, vt prophetia Nathan, Eliæ, libri dierum. Atq; huius sententiæ eximius assertor est Tertullianus, scribens: Nihil mirum si Iudæi hunc de canone suo reiecerint, cùm etiam Christum coram loquentem nõ receperint. Eo accidit (inquit) quod Enoch apud Iudam Apostolũ habet testimonium. Fatetur & Augustinus, scripsisse, quidem nonnulla diuina Enoch septimum illum

Tertull. l. de habitu mulib.

lum ab Adam, nec id posse à quoquam negari, cùm hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat. Sed & venerabilis Beda opinatur hunc beatum Iudam legisse verũ germanumq; librum Enoch, qui postea perierit, altero adulterino ei supposito, quem Ecclesia merito reijciat.

QVOD autem de altercatione Michaëlis & diaboli super corpore Mosis, obijcitur: vel ex veterum patrum hæbreorum, (vt alia plurima & sanctissima) traditione; vel singulari Spiritus sancti reuelatione huic Apostolo perspectum & certum fuit, atque eius epistola publicatum, & canonicum effectum.

TERTIVM argumentum. Author huius scripti non se vocat Apostolum IESV CHRISTI, quod Paulus & Petrus tam studiosè & vtiliter in scriptorum suorum exordijs faciũt: sed tantummodò, SERVVM CHRISTI, quę omnium discipulorum ac Christianorum vulgaris fuit appellatio. Igitur non fuit ex numero duodecim illorũ præstantissimorum virorum: sed quidam discipulus, illis tempore & authoritate longè inferior.

RESPONDEO. Ineptissimum planè ac plusquam stramineum esse hoc argumentum: quandoquidem nec Matthæus, nec Ioannes Apostolos se se appellitent initijs scriptorum suorum: imò nec Paulus exordio epistolarum suarum ad Philippenses, ad Philemonem, ad Thessalonicenses, de quibus tamen nihil ambigitur. Commodum autem fuit Petro & Paulo hunc titulum nõ semel vsurpare, quoniam ille princeps omnium & coryphæus innotes-

cere debuit, & talis ab omnibus reputari: huius verò Apostolatui & potestati reclamatum est à pseudoapostolis & hæreticis.

DEINDE, liberum fuit sanctissimis illis Ecclesiæ præsulibus varios pro re nata titulos assumere: vt in vno Paulo deprehenditur, qui nunc se Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per reuelationẽ Iesu Christi nuncupat; mox verò abortiuum, peccatorum maximum, ac indignum qui Apostoli titulo gauderet. Nunc doctorem gentium & Ecclesiæ esse se magnificentissimè gloriatur, mox omnium se seruum facit, & sermone imperitum fatetur.

Gal.1.
1.Cor.9.et15.
1.Timot.2.

POSTREMO, & ipsum serui IESV CHRISTI nomen quod Iudas assumit, apostolicam dignitatem & functionem satis comprehendere, vt suo loco docebimus.

QVARTVM argumentum. Aliorum Apostolorum dicta scriptaq; ab hoc Authore citantur, dicente: *Vos autem memores estote eorum, quæ prædicta sunt à sanctis Apostolis, &c.* igitur ab aliquo, illorum discipulo & successore potius emanauit hoc scriptum, quàm ab Apostolo.

RESPONDEO. Liberum fuit beato Iudæ Apostolo coapostolorũ qui antea scripserãt, Epistolas euoluere, & quasdam eorum sententias scripto suo inserere: sicut & posteriores prophetæ superiorum libros laudant, & suis dum opus est, accommodant. Sic enim beatus Daniel allegat Ieremiam, Ezechiel verò Danielem: quod propheticæ dignitati nihil detrahit. Legerat igitur beatus Iudas summorũ

Daniel.9.
Ezech.14.

Apostо-

Apostolorum Petri & Pauli scripta, eademq; admirans & commendans, suis coaptat conuenientissimè ac fructuosissimè.

QVINTVM argumentum. Fertur diuus Iudas Apostolus maiorem vitæ suę partẽ in Persidis regionibus consumpsisse: si quid igitur scripserit, potius lingua Persica aut Chaldaica, quàm Græca fuisset vsus.

RESPONDEO. Nec Matthæus inter Aethiopes æthiopicè scripsit, nec Petrus vel Paulus, inter Romanos degentes lingua Romana, id est, latina in scriptis suis sunt vsi. DEINDE, scribuntur Epistolæ potius ad absentes, quàm ad præsentes: igitur non fuit necesse vt inter Persas agens, persicè scriberet. DENIQVE, tum lingua Græca in maximo vsu erat toto oriente, & occidente: itaq; commodius Apostolis visum est hac quàm alia vti in scriptis suis, quæ toti orbi vtilia & necessaria esse iudicabant.

CVM ergo ex superioribus satis patefactũ & firmatum sit, hanc Epistolam verè esse beati Iudæ Apostoli; proindeq; canonicam & diuinæ in Ecclesia authoritatis; postremò, diluta omnia quæ aduersus eam adducuntur ab hostibus: superest vt eam tanquam verum vnumque Dei verbum omnes amplectamur, ac exosculemur. Est enim iuxta regulam Pauli, *vtilis ad docendum, ad redarguendum, ad corripiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus.* Rom. 15.

QVI-

QVIBVS, ET QVA DE RE SCRIpta, & missa sit hæc epistola.

NOn solum ad Iudæos vbiq; terrarũ dispersos, sed & ad omnes in Christum credẽtes cuiuscunq; gentis aut linguæ essent, scribitur atq; dirigitur, vt ex ipso mox initio Author declarat, D. *His qui per Deum patrem sanctificati sunt, & per Christum conseruati & vocati.* Ideoque verè & appositè CATHOLICA dicitur, potius quàm Canonica: quoniam non singulariter ad Romanos, non ad Corinthios, non ad Timotheum aut Titum, id est, ad aliquam gentem, vel hominem singularem; sed vniuersalem prorsus Ecclesiam mittitur. Igitur cùm non minus ad Ecclesię catholicæ vnitatem pertineamus, quàm hi ad quos scripsit iste Apostolus; ac idcirco ad nos spectet sicut & ad eos: quantas possumus gratias habeamus Spiritui sancto, quod huius sanctissimi viri animo suggesserit, vt his nos suis literis ac laboribus erudiret.

VARIIS porrò & magnis de causis ad scribendum impulsus fuit. Cernebat namq; tum nullum esse locum, nullam ciuitatem, aut gentem, quæ euangelicam doctrinam recepisset; quibus non sese mox ingererent pseudoapostoli, hæresiarchæ, ac personati homines, rectã fidem erroribus. & pios mores fœdissimis vitijs & exemplis corrumpentes. De quibus conqueritur Paulus: *Eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si*

2. Cor. 11.

mi-

ministri eius transfigurẽtur velut ministri iustitiæ.
Hos beatus Ioannes appellat antichristos, prohibetq; eos salutare, vel in domũ recipere, ne communicemus operibus eorum malis. *1. Io. 2.*
In his fuit Elymas magus, quem maledixit, & cæcitate percussit Apostolus: quique vt scribit magnus Areopagites, negabat Deum esse omnipotentem, eò quod secundum scripturam, seipsum negare non possit: cui & blasphemias nunc totis viribus instaurare nituntur Caluiniani; vt suum sacramentarium tueantur errorem. *2. Io. v. 10. Act. 13. Dionys. lib. de diuin. nom. cap. 8.*
Irrepserat & Simon magus, non solos Samaritanos suis fascinans & dementans erroribus; verùm & postquàm à beato Petro sacrorum Christianorum cõmunione motus est, Tyrios, Sidonios, Cæsariẽses, deniq; & Europam peruadens, ipsosmet orbis domitores Romanos suis tetris erroribus adeo corrupit & deprauauit, vt eidẽ statuam erigerent publicam cum hac inscriptione, *Simoni Deo sacro.* Is in tantam peruẽnit impudentiam, vt inter Iudæos se filium, inter Samaritanos Patrem, inter gentes se Spiritum sanctum esse iactitaret: simulque & angelos, & mundum cuiusdam Helænæ insignis meretricis, quam secum vbiq; tanquam primam animi sui conceptionem circunducebat opera se creasse non vereretur adserere. Insuper negabat homines esse libero arbitrio præditos, sed omnia fatali necessitate quadã ferri ac euenire: eosdẽq; sola fide, non per bona opera, salutem æternam consequuturos affirmabat vti de illo testantur qui eadem, propemodum ætate floruerunt Clemens, Irenæus, & Tertullianus. *Act. 8. Clem. Rom. l. recognit. Iustin. martyr. Apolog. 1. Iren. lib. 1. cap. 20. Tertull. Epiphan. Theodoret.*

Emer-

Emerserunt etiam eodem tempore Nicolaitæ, Ebionitæ, Carpocratiani, Cerinthiani, Marcitæ, Gnostici, Valentiniani, Menandriani, Saturniani, Basilidiani, Cerdoniani, Marcionistæ, Tatiani, & alij multi impurissimi & nefandissimi hæretici, qui Apostolicam doctrinam toto iam mundo irradiantem & fulgentem miserabilem in modum conuellebant atq; labefactabant, magno nascentis Ecclesiæ Christianæ scandalo, & incredibili animarum pernicie.

SOLICITVS ergo beatus Iudas de communi Christianorum salute, euangelicæ prædicationis integritate, ecclesiasticæq; disciplinæ defensione, hanc scripsit Epistolam ad omnes per orbem Christianos, vt sibi à pestiferis hominibus istis cauerent, ac veram doctrinam fidemq; catholicam, prius acceptam omni constantia retinerent, & sancta conuersatione exornarent. Vtinam, vtinam dico, hoc apostolico exemplo excitarentur & accenderentur huius seculi pastores, qui de successione Apostolorum tantopere gloriantur, ad id quod præcipuum est muneris sui præstandum, & pro salute gregum curæ suæ commissorum vigilandũ. Enimuerò si & præsentibus verbo ac exemplo, absentibus autem scriptis (instar Apostolorum) quibus præsunt, prodesse studuerint, rapacibusq; lupis ouilia eorum inuadẽtibus strenuè se se obiecerint, pro eis animas ponere præparati; pro certo non inualescent hæreses, non schismatibus lacerabitur sanctissima Ecclesia, non denique corruptis moribus cuncta deprauabuntur. Attendant quæso, se

custo-

custodes positos esse sanctæ ciuitatis, specula- *Isa. 21. & 62.*
rores spiritalis Israëlis, castissimę IESV CHRI- *Ezech. 3. &*
STI æterni filij Dei sponsæ rectores, sal terræ, *33.*
lucem mundi, dispensatores mysteriorum *Matth. 5.*
Dei. Peruigilent itaq; tanquam rationem red- *2. Cor. 4.*
dituri de cunctis animabus sibi commissis ac *Heb. 13.*
creditis.

DE MVLTIPLICI VTILITATE ac fructu huius Epistolæ.

QVoniam superius ostensum & probatum est hunc libellum verè esse apostolicum & canonicum, atq; ideo vt viuũ ac efficax verbum Dei viuentis reuerendum & amplexandum; fieri non potest quin ex eius lectione, meditatione, ac prædicatione non multiplex oriatur in Ecclesia vtilitas, siue doctrinam fidei, siue bonorum morum institutionem attentè spectaueris. Quomodo enim *Io. 5.*
parum vtilis esset, Christo docéte, nos ex scripturarum sanctarum diligenti perscrutatione æternę vitę spem colligere? Apostolo quo- *2. Tim. 3.*
que scribente, scripturam diuinitus inspiratam (cuiusmodi istam esse iam euicimus) vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus? Chrysostomus concinnè ac peritè *Chrysost. hom.*
Sacras scripturas nunc confert cũ portu tran- *7. de pœnit.*
quillo, quo se se aduersus omnes procellas re- *& 43. in*
cipiunt nautæ, vt somno refecti robustiores *Gen.*
conatus ad reliquam nauigationẽ præparent: mox cum pratis omne genus florum ostentantibus, & ad capiendam amœnitatem viatores inni-

Hom.10. & 60. in Matth.

inuitantibus comparat. Author operis imperfecti apud eundem, illas similes esse scribit, thesauro cunctis gemmis & opibus indeficientibus referto, quem qui inuenit, nulla deinceps egestate potest laborare. Itemq; altissimis & firmissimis turribus, ex quibus saxa & iacula contra omnes hostes desumuntur & torquentur.

CERTVM est itaq; quantuncunq; compendiosa sit hæc beati Iudæ Epistola, eam tamen sufficere ad singula ferè Religionis nostræ capita aduersus oppugnatores munienda & asserenda, veluti quæ sunt de Deo vno & trino, de salute cunctis hominibus per Christum parta & oblata; de bonis angelis, horumq; erga nos officijs; de fide, spe charitate virtutibus Theologicis ac Christianis, de iudicio futuro, atq; bonorum & malorum præmijs. Iterum de constantia in fide, ac bonorum operum studio retinendo; de hæreticis, cunctisq; veritatis hostibus procul arcendis & fugiendis; de corruptis moribus pseudoprophetarum, ac signis notisq; quibus à veris pastoribus & doctoribus discernuntur atq; deprehenduntur. Hortatur etiam vnumquemq; ad vitæ puritatem & integritatem, procul fugiendo omnẽ tam corporis quàm animi spurcitiam. Docet præterea, sedulò cauendum esse à blasphemijs in Deum, rebellionibus in magistratum, odio proximorum, auaritia, dolo, murmuratione, superbia, personarum acceptione, prauis cõcupiscentijs, cæterisque peccatis lethalibus: econtrario autem oppositis virtutibus, ac virtutum officijs diligenter incumbendum. Suadet

Iud. 7.

det postremò, omnibus mortalibus enitendum esse, vt vocationi suæ magno studio insistant, & conditionem vitæ suæ innocentia & virtute exornent: si horrenda iudicia Dei, quorum grauissima exempla subijcit in Israele, in angelis lapsis, in Sodomæis & Aegyptijs, velint effugere. Quis autem nescit præcipuas totius vitæ Christianæ partes in his comprehendi? Est itaque hæc Epistola omni homini, omni sexui, omni conditioni vtilis, atq; necessaria.

PARTES EPISTOLAE.

GRæci vt liquet ex commentarijs Oecumenij, hanc partiuntur in proœmium, & tria capita. Primum caput auspicantur in his verbis: *Charissimi, omnem solicitudinem &c.* Secundum in illis: *Væ illis qui in viam Cain abierunt.* Tertium: *Vos autem charissimi, &c.* Latini vnico capite eam comprehendunt, sed in viginti quinq; sententias seu periodos diuiso ac inciso.

POSSVNT autem esse totius corporis eius quinq; partes præcipuæ: videlicet, Epigraphe, seu inscriptio aut titulus complectens Authoris nomen & conditionem; deinde, personas ad quas mittitur, & salutationem apostolicam, qua illas conuenit. Hinc Exordium eleganter & appositè accommodatum ad conciliandam beneuolentiam & attentionem. Tum, Propositio generalis siue status, nimirum, Vera religio & catholica fides est omni studio seruanda, & pro eadem strenuè certandum est aduersus cunctos seductores & hæresiarchas.

Præterea, Confirmatio & adsertio huiusce propositionis præcipuæ, quæ varijs exemplis rationibus & demonstrationibus constat. Demum, totam Epistolam claudit Apostolus breui Epilogo, id est, feruentissima ad Deum prece atq; doxologia.

GENVS DICENDI.

TOTA ferè versatur in genere exhortatorio & deliberatiuo, quando hortatur ad religionis Christianæ integritatem tuēdam & seruandā. Huic miscetur παραδειγματικὸν, quando memorabilibus exemplis rem confirmat. Accedit ἐλεγκτικὸν, id est, vituperatorium & obiurgatoriū, cùm in corruptos ac dissolutos mores, vitæq; petulātis doctores atque defensores grauiter inuehitur. Adhibetur etiam in fine genus εὐτικὸν, quando (vt obseruauit Athanasius) fidei firmitatem à Domino his ad quos scribit comprecatus, claudit epistolam. Et de his Prolegomenis, hactenus dictum sit: nunc singula duce Spiritu sancto, ordine expendenda.

Athan. in Synopsi.

INSCRIPTIO.

1. IVDAS *Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi; his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis.*
2. *Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.*

INITIO proprium nomen, deinde cōditionem seu functionem suam declarat Apostolus, tum vt omnem tollat dubitationem de authore, authoritate, atque veritate huius scripti,

pri, cùm vt vniuersorũ hominũ animos excitet ad eius attentam lectionem & obseruationem. Quis enim vnũ ex duodecim Apostolis, id est, beatissimis illis Dei legatis, per Christũ mundi redemptorem & iudicem ad homines destinatis, scribentem, & de rebus ad salutem communem necessarijs loquentem non omni attentione exaudiret. Quis nõ toto corde crederet vni eorũ, quibus dictũ est à Filio Dei, *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris mei qui loquitur in vobis*? Aut nõ libenter obtemperaret illi, cui idem Christus dixit: *Qui vos audit, me audit*. *Matth. 10.* *Luc. 10.*

SED priusquam ad hæc descendamus, dicẽdum de beati Iudæ genere, nomine & cognominibus, vocatione ad Apostolatum, & rebus post acceptũ Spiritum sanctum gestis. PRIMÒ autẽ certum est eum genus duxisse à regali & omniũ Hebræorũ nobilissima tribu Iuda, cùm iuxta Egesippum, quẽ citat Eusebius, fuerit de carnali genere Domini nostri: quinimo & e iusdem ex Ioseph altera vxore fratrem, si verũ est quod cum eodẽ Egesippo arbitrantur Epiphanius, Nicephorus, & plerique alij Græci scriptores: quo tamen nomine, cũ Ecclesia Romana consobrinum interpretantur Latini omnes, qui beatũ Ioseph virginis Deiparæ sponsum perpetuò continentem constanter adfirmant. Natus est verò patre Cleopa seu Cleopha, altero ex duobus discipulis quibuscum Christus à resurrectione ambulauit, disseruit, & recubuit. Mater eius Maria Cleophæ (vxor scilicet) appellatur, *& soror matris Iesu*, id est, consobrina dicitur: cùm certissimum sit etiam Græcorum testimonijs beatam *Euseb. lib. 3. hist. cap. 20. Epiph contra hæres 36. Nicep l. cap. 40. & 41.* *Luc. 24.* *Ioan. 19.*

Annam matrem Deiparę virginis & vetulam, & natura sterilẽ semel tãtum nupsisse, solamque beatam Mariã peperisse. Euthymius namque istam appellat vnigenitam. Theophylactus affirmat, Ioachim non aliam à beatissima Virgine genuisse. Epiphanius tradit genitam fuisse cùm parentes eius grandæui & proiectæ essent ætatis. Quis ergo beatam Annam viduam ferè decrepitam, secundas & tertias nuptias ambiuisse iudicet? Atq; hæc de beati Iudæ cognatione.

Euthym. in c. 19. Io.
Theophyl.
Epiph. cont. hæres. 79.

QVATVOR porrò diuersis nomenclaturis in sacris appellatur. Primò, *Iudas*, hebraicè Iehuda, id est, confitens celebransque Deum, quod etymon indicauit Lia veteris patriarchę coniux, pariens cùm dixit. *Modò confitebor Domino*, & ob hoc vocauit eum Iudam. Vocatur Iudas, ait Author imperfecti operis apud Chrysostomum, non solũ quia pietate & constantia retulit Iudam illum è duodecim patriarchis: sed & quia Deum glorificauit iam ab initio epistolæ palã se profitens *seruum Christi*, simulque viuus & mortuus vniuersam docens Ecclesiam. Secũdò, vocatus est *Thaddæus*, vt à Matthæo & Marco refertur: quod nomen forma Syriaca coniugatum est. Nam Thaddai vel *Thaddæus* Syris idem est, qui Hebræis *Iuda*. Popularium ergo suorum lingua, quę tum Syriaca erat, *Thaddæus*, Hebræa verò *Iudas* appellabatur. Tertiò, nominatus est etiam eadem populari lingua *Libbai*, siue *Lebbæus*, id est, egregiè cordatus homo, siue (Rabbano interprete) corculum; quod est amatoriè, paruũ cor;

Gen. 29.
Gen. 49.
Hom. 1. in Matth.

Matth. 10.
Marc. 3.

cor; propter oris morumq; eximiam suauitatem. Quartò, hic & rursum alibi, dicitur, *Iudas frater Iacobi*, eo quod Iacobi nomen, vt posteà dicemus, tum apud omnes celeberrimum esset, vt Ieroſolymitanæ ecclesiæ primi Episcopi, qui etiam Christum Dominum facie referre diceretur, quibus addit Hieronymus, quod ob insignem zeli virtutem, etiam *Zelotis* nomẽ acceperit. His autem diuersis nominibus nuncupabatur hic Apostolus, tum ob singulares virtutes, quæ in eo præsertim relucebant; tum maximè, vt à Iuda infami & maledicto proditore manifestè discerneretur. *Luc. 6. Act. 1. Hier. in c. 4. ad Galat.*

VOCATVS autem fuit ad Apostolatũ vnà cum reliquis proximè à Christo Domino, vt scriptis suis prodiderunt beati Euangelistæ, quando illorũ nomina singillatim recensuerunt. Itaq; ab ipso Dei Filio missus est ad prædicandum euangelium regni Dei, baptizandum credentes, & sanandum ægrotos; etiam antequã pro salute nostra in crucẽ ageretur. Spectator, quoq; eiusdem miraculorũ per vniuersam Iudæam & Galilæam, auditor concionum, & peregrinationum ac laborum toto triennio comes fuit. Idem testante Ioanne, petijt semel à Christo: *Domine, quid factum est, quòd manifestaturus es teipsum nobis, & nõ mũdo?* quibus indicatur eum fuisse ipsi perfamiliarem. *Matth. 10. & 13. Marc. 3. Act. 1. Luc. 10. Ioan. 4. Ioan. 14.*

SINGVLA porrò illius gesta, labores, peregrinationes, conciones, miracula, post acceptum in die Pentecostes Spiritũ paraclitum, recensere nec est nostrarum viriũ, nec huius

tractationis aut loci. Testatur quidem Augustinus, eum Symbolo fidei nostræ, dum ab Apostolis concinnaretur, pro sua parte adiecisse hunc articulum, *Credo carnis resurrectionem.* Nicephorus tradit, eundem primùm Iudæam, deinde Galilæam, Samariam, Idumæam, Syriam, Arabiam, necnon multas Mesopotamiæ ciuitates sagena Euangelij cepisse. Quibus addit Eusebius, eum peruenisse Edessam, ad Augarum seu Abagarū, illius regionis Toparcham, illumq; à morbo lethali curasse, & sacris vndis Christo regenerasse, & cum omnibus incolis atque subditis consecrasse: quod suis etiam suffragijs comprobant Dorotheus in Synopsi, & Hieronymus in ca. 10. Matthæi. Africanus in suo Abdia docet eundem cū fratre suo Simone tandem in Persidem docendi studio penetrasse: & cùm ibi Zaroïs & Arphaxati magorum, qui ex Aethiopia à conspectu Matthæi fugerant, fraudes erroresque detexisset, multisq; diebus docuisset, & in Babylone vrbe regia supra sexaginta millia hominum ad pietatem Christianam perduxisset, à Pontificibus idolorum interfectum, glorioso martyrio hinc in cælos ad pijssimum præceptorem IESVM conuolasse. Huic narrationi consentiunt Vincentius Bellouacensis, Sabellicus, & Petrus de natalibus; tametsi Nicephorus aliquantum dissentire videatur. Atq; hæc de beati Apostoli nostri genere, nomine, vocatione, ministerio, & rebus gestis: nunc quæ ex his notanda videntur exquiramus.

Aug. ser. 115. de temp.

Nicep. l. 2 c. 40.

Euseb lib. 1. hist. c. vltimo: & lib. 2. c. 1.

Doroth. Hieron. Abd. lib. 5.

HINC autem discimus, parum esse coram Deo

Deo & sanctis angelis eis, ex hominum illustri prosapia ortum esse, nisi virtutibus præsertim nobiliteris. Nam beatus Iudas non iactat suum stemma regium, non gloriatur se regio Iudæ, Dauidis, aut Salomonis semine, longaque illustrium virorum successione prognatum esse: sed in hoc tantum gloriatur, quod pietate fideq; esset *seruus Christi*. Secundò, cernimus nihil virtuti aut saluti conferre clara nomina vel in Baptismo vel à parentibus accepta, nisi virtutibus & benefactis eisdē respondeas. Noster enim Apostolus confitentis vel laudantis Deum nomen non solum habuit: sed & præclaris pro Christi glorificatione laboribus ac operibus eidem correspōdit. Tertiò, docemur vocationi diuinæ seruiendum, atq; in finem constanter perseuerandum, etiam si multa & magna discrimina obijciantur: si quidem cum Christo & Apostolis eius salui esse cupimus. Postremò, eximium singulareq; Dei beneficium esse, etiamsi post multos exantlatos Christi causa & Ecclesiæ eius propagatione labores, pro eodem morte constanter occumbas: hoc enim itinere & beatus Iudas, & coapostoli cælum petierunt. Sed de his postea copiosius.

IVDAS IESV CHRISTI SERuus, frater autem Iacobi, &c.

DVPLICI epitheto ac nomine cōditionem suam indicat, simulq; à Iuda proditore seipsum discernit. Nouerant enim omnes quendam de grege Christi *Iudam*,

nomine, furem & latronem, Satana repletum, pijſſimi præceptoris ac Domini ſui proditorem effectum, triginta denariorum pretio Iudæis illum vendidiſſe & tradidiſſe: demumq; deſperatione fractum, ſpontaneo laqueo vitã & ſalutẽ amiſiſſe. *Notum factum eſt*, ait Lucas, *omnibus habitantibus Ieruſalem.* Ne quis ergo propter nominis ſimilitudinem, ab huius Epiſtolæ lectione aut reuerentia ſtatim abhorreret, ipſo mox initio ſe verum ac fidelem *Chriſti ſeruum* fuiſſe ſcribit; illum autem perfidum proditorem: deinde & *Iacobi* ſanctiſſimi & clariſſimi Ieroſolymorum præſulis *fratrem*; illũ verò Iſcariotem, vel à vico, vel à tribu Iſacar, vel potius à recipiendo & occludendo marſupio, quod Syri dicunt SECAR, inter ſuos cognomen accepiſſe ſubindicare videtur.

Act. 1.

EX quibus primùm diſcimus, nihil virtuti aut ſaluti obeſſe, ſi externum nomen cum infamibus ac reprobis ſortiaris, modò in ijſdẽ criminibus cũ illis non fueris particeps. Ob id enim nullus dãnabitur, quod Cain, Nembroth, Cham, Pharao, Abiron, Herodes, Iudas denique appelletur, ni impietates eorum fuerit imitatus: ſicut econtrario, nullus ideo iuſtus vel electus cẽſebitur, quod Abel, Abraham, Ioſeph, Daniel, Ioannes, Petrus, Paulus ab hominibus vocatus ſit. Imò nec ipſa communio exterior in ſacramentis, templis, ritibus aut precibus, qua pios cum impijs conuenire ſæpe contingit, quicquam illis officit, vt multis contendit Auguſtinus. Nam vndecim Apoſtoli aliquot annis cum Iuda proditore communicauerũt, & de

Auguſt. l. de vnitate Eccleſ. 3.

& de sancta Ecclesia dicitur, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Vnde autē spinæ quidam nominantur, nisi propter malignitatem morum? Et ijdem filiæ, nisi propter communionem sacramentorū? Vidit Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis interirent. Dominus quoq; præcepit zizania sini crescere cum tritico vsq; ad messem: & in eadem sagena comprehēsi sunt pisces boni & mali. Concludit autem Augustinus: Nulla ergo malorū commixtio terreat bonos, vt propterea velint Ecclesiæ retia scindere, & à cōgregatione vnitatis exire, si homines non pertinentes ad regnum cælorum patiantur in consortio sacramentorum. Hæc vberius persequitur libro 2. contra Cresconium cap. 34. libro de vnico baptismo, cap. 18. & serm. 18. de verbis Domini secundùm Matthæum. *Cant. 2.* *Ezech. 9.* *Matth. 13.*

NOTANDA quoq; est istius Apostoli summa moderatio, quamq; animo esset ab omni fastu, arrogantia, & vana hominum gloria alienus. Poterat enim suo iure appellare se Christi seruatoris mundi secundum carnem Consobrinum: poterat etiā meritò buccis crepantibus se dicere Apostolum, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per reuelationem Iesu Christi: poterat deniq; se se totius orbis Doctorem, verbi diuini prēconem, miraculorum Patratorem, Sacramentorum ministrum, ac in gratia diuina confirmatum palam dicere: sed modestiæ gratia ab his omnibus magnificis titulis de industria abstinuit, vt de Christi tantum obsequio & seruitute gloriaretur: hanc omni auro & diademate, omni gradu ac digni *Gal. 1.*

tate pretiosiorem & nobiliorem existimans. Docet itaq; hoc exemplo omnem fastum & arrogantiam procul debere esse à pastoribus Ecclesiarum, in quibus Christi moderatio debet relucere. Cacodæmonum est thronum suum velle exaltare super nubes, & cupere similes fieri Altissimo. Pseudoprophetarum est ambulare in magnis ac mirabilibus super se, & in superbis titulis coram mundo gloriari. Ita enim Simon magus Virtutem se Dei magnam appellabat: Montanus, Apelles, & Manichæus, Spiritus sancti nomen vsurpabant: & Valentiniani se Gnosticos, id est, Scientes dicebant: Suis autem discipulis Christus dixit: *Qui maior est vestrum, sit aliorum minister. Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum. Nolite vocari Rabbi. Nec vocemini magistri, &c.*

Isa. 14.

Psalm. 130.

Act. 8. Epiphan.

Matth. 20. Mar. 10. Luc. 18. Matth. 23.

Eiusdem rursum tituli *servi Iesu Christi* assumptione coarguit omnes illos, qui alijs ab eodem Domino nostro malunt inservire: cuiusmodi sunt Iudæi, qui Mosis obsequijs; ethnici, qui mutis idolis, seu potius immundis spiritibus; epulones, qui suo ventri; auari, qui Mammonæ; ambitiosi, qui huius mundi honoribus; peccatores omnes, qui diabolo magis quàm Deo vero student obtemperare. *Nam à quo quis superatus est, eius & servus est. Impossibile est duobus dominis servire*: nec potest quis servire Deo, & Mammonæ. Paulus etiam docet fugiendos esse quosdam impostores, qui non CHRISTO Domino nostro, sed suo ventri seruiunt.

2. Pet. 2.

Matth. 6.

Rom. 16.

PRAE-

PRAETEREA, cùm tam ſtudiosè *Ieſu Chriſti ſeruum* ſe profitetur, ſeipſum ac nos omnes illius diuina poteſtate creatos, prouidentia conſeruatos, ſanguine mũdatos morteq; redemptos eſſe docet: ac proinde quicquid boni poſſidemus vel ſperamus, ab illo vt ab omnium bonorum fonte pendere. Adhæc, quemadmodũ ſerui non ſunt ſuæ poteſtatis, ſed Domini; ſic & nos & omnia noſtra Chriſto addicta & conſecrata eſſe oportet, ſi ſeriò eum Dominum noſtrũ agnoſcamus. Profitetur itaq; hoc ſerui titulo, ſe non quærere quę ſua ſunt, ſed quę Ieſu Chriſti: nec priuato arbitrio Apoſtolicũ munus vſurpaſſe, ſed Domini authoritate: vt qui beneficio eius viueret, eidem operaretur, animas lucraretur, ac tanti heri nomine & obſequio, fortiſſimo deniq; martyrio, vitam & animam ponere paratus eſſet: pariq; animo cunctos Chriſti ſeruos præditos eſſe debere. Cætera quæ ad hanc Chriſti ſanctiſſimam ſeruitutem pertinere videntur, commentarijs noſtris in primum caput epiſtolæ diui Iacobi abundè tractauimus.

Sed quis quantusq; vir Iacobus ille, *cuius fratrem ſe cognominat?* is qui etiam alibi Iacobus Alphæi, item Iacobus minor, nimirum ob exiguam corporis ſtaturam; inſuper, *& frater*, id eſt, agnatus vel conſobrinus Domini appellatur: denique apud Egeſippum, Ioſephum, Euſebium, Clementem, ac Epiphanium antiquiſſimos ſcriptores *Choblihham*, ſiue (vt vulgo ſcribitur) *Oblias*, tanquam ſi populum continuiſſet, atque doctrina & iuſti-

Matth. 10. Marc. 15. Act. 12. 15. & 21. Gal. 2. Ioſeph. 20. antiq. Euſeb. l. 2. hiſt. cap. 23. Ieronym. in Catal.

iustitia sua circummuniuisset, ab omnibus passim nominatus est. Idem ex vtero matris sanctificatus, à vino & carnibus semper abstinuit, vestibusq; lineis perpetuò vsus dicitur: & propter orandi studium duritiem camelorum genibus contraxisse. Iste rursum à Domino nostro Iesu Christo, vt scribit S. Clemens Rom. sanctæ ecclesiæ Ierosolymorum primus Episcopus ordinatus fuit: habuitq; fide, operibus, & martyrio clarissimum virum S. Stephanum in sacrorum administratione Diaconum seu ministrum, quemadmodum non semel testatus est fortissimus martyr Ignatius in Epistolis suis. Eundem inter primæuæ Ecclesiæ columnas connumerat Paulus: Lucas verò refert illum quoq; sententiam Petri in concilio Ierosolymitano secutum, concione ad gentes habita palam edixisse, his non esse iugum Mosaicæ legis imponendum. Tãta porrò fuit quoque huius viri sanctitas, inquit Isidorus, vt fimbriã vestimenti eius certatim homines cuperent attingere. Deniq; cùm triginta annos illi Ecclesiæ sanctissimè præfuisset, Christum Dei filium constantissimè prædicans, lapidibus primùm appetitus, mox in altissimũ templi locũ adductus, inde præcipitatus est. Qui confractis cruribus, iacens semiuiuus, manus tendebat ad cælum, Deumq; pro illorum salute deprecabatur his verbis: Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Qua in oratione, grauiter eius capite fullonis fuste percusso, animam Deo reddidit, septimo Neronis anno. Huius itaq; sanctissimi Apostoli, celeberrimi Ierosolymorum patriarchæ, & constan-

Clem. l. 8. const. c. 41. & l. 1. recognit.

Ign. epist. ad Heron. & ad Tralian.

Galat. 2.

act. 15.

Isid. l. de pat. vnius testam.

tissimi

tissimi martyris fratrem se nominat beatus Iudas, non quod in carne & sanguine glorietur, vel ostentationis aut inanis gloriolæ cupiditate ducatur: sed triplici, nec exigui ponderis ac momenti ratione.

PRIMA, vt infamiam Iudæ proditoris, vt diximus, seipsum hoc titulo discernêdo, procul à se repelleret: atq; hanc epistolam non ex se infelicissimi illius nebulonis, sed alterius Iudæ integerrimi Apostoli opus scriptumq; vniuersis planum certumq; faceret. Iam enim cacodæmonum opera quidem hæretici emerserant, qui Iudam Ischariotem cuiusdã euangelij authorem faciebant: simulque eidem nos magnas gratias debere garriebant, quòd Christum Dominum nostrum Iudæis perimendum tradidisset, vt sic cunctis hominibus æterna salus apud Deum pararetur: quemadmodum memorię à sanctis patribus, qui propemodum eodem sæculo ac deinceps in Ecclesia floruerunt, proditum est. Quo pacto igitur non formidassent pij omnes hanc epistolam legere ac recipere vt adulterinam, aut saltem ipso statim initio suspectam habere, nisi se Author eius ab impio traditore discreuisset, hac insigni nota quod esset *frater Iacobi*, & omnibus modis à filio Simonis Ischariotis alienissimus? Ergo ne quisquam audito IVDAE nomine, ilicò ab Epistolæ lectione abhorreret, aut vlla eiusdem doctrinæ pars vacillaret, nõ modò expediens ac vtile, verùm etiam necessum fuit, vt à vera suæ cognationis & integritatis descriptione auspicaretur.

Iren. l. 1. c. 4. Tertul. l. præs. cap. 47. Epiphan. August. Theodo. Damasc. Philast. libro de hæresib.

SECVNDA ratio est, vt celeberrimi apud omnes

omnes Iacobi fratris Domini cõmemoratione, Apostolatus ac dignitatis suæ vniuersis fidem faciens, scripto suo omnem authoritatẽ conciliaret. Tametsi enim sacrorum librorũ veritas & authoritas à Spiritu sancto præsertim dependeat, vult nihilominus Deus eandẽ ab Ecclesię suę summis pastoribus diiudicari, probari atq; confirmari, ne vana falsa & apocrypha scripta pro veris sacris & diuinis subijciantur. Sic Origene teste, librum Iob ex Arabica lingua in Hebraicam à se translatum Moyses Hebræis suis legẽdum, velut à se probatum tradidit. Et beatus Petrus Euangelium à Marco nepote & discipulo suo scriptum, prius legit, & approbauit, deinde sua authoritate (inquit Hieronymus) Ecclesiæ legendũ exhibuit. Ioannes quoq; eodem authore Hieron. cùm legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probauit, & eos vera dixisse confirmauit. Hinc grauissimum istud Augustini iudicium: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ cõmoueret authoritas. Et idem rursum. Actibus Apostolorum, inquit, necesse est me credere, si credo Euangelio: quoniam vtramq; scripturam similiter Catholica mihi commendat authoritas. Confirmat quoque Ambrosius hanc sententiã, primò ex eo quod Salomon Dauid filius licet innumera cantica cecinisse dicatur, vnum tamen quod Ecclesia receperit, *Canticum canticorum*, relictum est. Deinde, ex eo quód etsi multi conati sunt scribere Euangelicam historiam, vt olim vulgatum est euangelium secundũ duodecim Apostolos, secundum Thomam, secundum Matthiam,

Orig. com. in lib. Iob.

Hier. in Catalogo.

Aug. lib. cont. epist. fund. cap. 5.

Ibidem.

Ambr. offon. 22. in Psal. 118. & initio com. in Luc.

thiam, secundum Basilidem, &c. vnum tantummodo in quatuor libris digestum ex omnibus Ecclesia statuit eligendum & suspiciendum.

TERTIA ratione *Iacobi fratrem* se vocat, propter summam in doctrina euangelica & apostolica cõsensionem ac concordiam. Hoc enim pacto significat se nihil diuersum nihilque omnino alienum à doctrina Iacobi & aliorum coapostolorum priuatim sentire, aut publicè in Ecclesia docere: cùm inter illos nõ esset minor consensus in cõcionibus, scriptis, traditionibusque Christianæ pietatis, quàm carnis & sanguinis cognatio.

EX quibus facilè cernimus, quantum fuerit discriminis inter duos Iudas. Ambo Apostoli, ambo eiusdem nomenclaturæ, ambo Christi miracula viderunt & doctrinam audierunt; sed vnus electus, alter reprobus: vnus ad finem vsque in vera pietate perseuerauit, alter apostata & desertor euasit. Vnus semetipsum pro Christi nomine & gloria in mortem tradidit; alter pijssimum præceptorem hostibus infestissimis crucifigendũ prodidit. Vnus residet nunc in throno cęlesti, vnde iudicaturus est duodecim tribus Israël; alter inferis nunc animo mãcipatus, post resumptũ resurrectione generali proprium corpus, sæuiorem damnationem expectat. Sic olim ex duobus fratribus Caino & Abele, Ismaele & Isaaco, Esau & Iacobo, alter reprob⁹, alter verò electus: & ex duobus qui prope Christum, dum salutem nobis operaretur in medio terræ, de ligno pẽdebant, alter blasphemans æternam sibi perditio-

Matth 19.
Gen. 4. 15. & 25.
Rom 9.
Heb 13.
Galat. 4.
Matth. 27.
Mar. 14.
Luc. 23.

ditionem accersijt; alter confitens & orans eadem ipsa die cum eodem Saluatore in paradisum peruenit. Completumq; illud diuinum oraculum: *Duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur, &c.* Ergo nec citò, nec temerè nobis est de proximo iudicandum: sed potius omni conatu studioq; enitendum, ne quando à vera fide pietateq; recedamus & pereamus. Miranda quoq; & horrenda declarantur esse iudicia & consilia Dei super filijs hominum, &c.

Luc. 17.

DEINDE, conspicimus externam ipsam cũ prauis ac reprobis hominibus vel nominum, vel rerum humanarum communitatem; vt attigimus paulò supra, pijs ac electis Dei seruis nihil ignominiæ aut dedecoris, nihilq; detrimenti, modò malignis operibus eorum non communicauerint, adferre posse. Noster siquidem IVDAS tametsi eandẽ cum Proditore appellationem habuerit, tametsi tres annos cum eodem diu noctuq; versatus sit: nihil tamen impietatis aut pernitiei illius cõtraxit. Nihil ergo saluti tuæ per se obesse poterit, si Cain, Nẽbroth, Pharao, Nero inter homines voceris; nihil si cum sceleratis quibuscunq; vitam agere compelleris, modò animo & opere ab illorum moribus longissimè recedas. Nam vbi erãt Moyses & Aaron, ibi & murmuratores sacrilegi, quos Deus à facie sua semper perdere minabatur. Vbi erant Annas, Caiphas, & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon & cæteri boni. Vbi Saul, ibi Dauid: vbi Ieremias, Isaias, Daniel, Ezechiel, ibi sacerdotes mali, & populi

Aug. l. 2. contra duas epist. Pelag. c. 7.

li mali: sed sarcinam suam vnusquisque portabat. Sequitur.

HIS QVI SVNT IN DEO PAtre dilectis, & Christo Iesu conseruatis & vocatis.

ISta est secunda pars tituli, qua comprehendit eos quib⁹ dedicatur & mittitur Epistola. Græcis autem est ἡγιασμένοις *sanctificatis*, pro quo vetus interpres videtur legisse ἠγαπημένοις, *dilectis*. Multiq; volunt enallagen esse præpositionis ἐν pro ὑπό: *in Deo Patre*, pro, *à Deo Patre sanctificatis & amatis*. Verùm in idē recidit: quoniam si sanctificati sunt, ijdem dilecti quoq; & chari habentur Deo patri, qui illos ex impijs, pios: ex idololatris, verę religionis participes; vel ex vmbris Mosaicis, Christianorum sacrorū illos consortes tādem effecit, vt gratis ab æterno destinauerat. Sēsus itaque est. Hanc nec scribo, nec mitto Epistolam præfractis Iudæis, qui Messiā nuper ad se missum nolunt agnoscere, sed blasphemant. Non idololatris, qui ferro & igne nominis eius cōfessores persequuntur. Non impurissimis Nicolaitis, Simonianis, Carpocratianis, Ebionitis, Cerinthianis coram Deo exosis & reprobatis: quoniam ante porcos nolo margaritas proijcere, aut sanctum canibus dare: sed his eā mitto, hos literis istis conuenio, quos Deus pater ante iacta huius mundi fundamenta in seipso, & propter seipsum dilexit, sanctosque & à cunctis peccatorum sordibus puros, mundosq; facere decreuit.

Illos porrò triplici exornans epitheto, de

plurimis & maximis Dei beneficijs commonefacit, deque humanæ iustificationis ac salutis causa grauiter admonet. Primùm itaq; eos vocat *dilectos in Deo patre*, scilicet æterno & gratuito amore: quod præclaro & facili exemplo Beati patriarchæ Iacob Apostolus explicat. Nondum natus erat, aut quid boni egerat, quando secundùm propositum Dei ex vocante dictum est: *Iacob dilexi.* Ergo Iacob in Deo patre, & à Deo patre dilectus fuit, eidemque longè gratissimus & carissimus ab æterno, nulla futurorum meritorum eius adhuc habita ratione. Tantundem quoque sentiendum & prædicandum est de bonis angelis, de Abele, de Enocho, de Noe, de Melchisedec, Abrahamo, Mose, Dauide, Præcursore, Deipara, Apostolis, Martyribus, cunctis denique electis & beatis. Quod & rursus cõstanter adserit idem Apostolus, cùm docet, Nos natura nihil aliud esse, quàm filios iræ: id est, coram Deo impuros, atq; æternę damnationi obnoxios: quibus patet primã erga nos Dei gratiam & dilectionem omnino gratuitam esse, nullisque ex meritis nostris pendere. Atq; hoc ipsum est quod etiam scribit: *Commendat charitatẽ suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ideoq; alibi præ gaudio spiritali exultans & gratias agens exclamat: *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Ioannes quoque scribit: *In hoc est caritas* (id est, vel ex hoc solummodo

Rom. 9.

Eph. 2.

Rom. 5.

Ephes. 1.

1. Ioan. 4.

modo summa dilectio Dei satis innotescit) *non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos, &c.*

Ex quibus apertè colligitur, primam salutis nostræ rationem, adeoq; potissimam iustitiæ ac sanctitatis tam angelorum quàm hominum partem, æternæ atq; gratuitæ Dei patris dilectioni, non autè meritis nostris acceptam ferendam esse. Et ea de re non minus sanctè quàm scitè scripsit Augustinus: Firmissimè credendum est, in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ posse resurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. Quod & fusius affirmat libro 13. de ciuit. cap. 3. & 15. lib. 14. cap. 12. & lib. 22. cap. 22. *Lib. de eccles. dogm. cap. 22.*

SECVNDO, eos ad quos scribit Apostolus appellat *Conseruatos in Christo Iesu*: id est, propter merita passionis & mortis illius ab ira Dei & omni morte seruatos. Iste enim est agnus in præscientia Dei, & victimis priscorum patrũ occisus ab origine mundi, in cuius sanguinis & sacrificij virtute peccata vicerunt, consequuti sunt gratiam, & gehennæ tormenta procul euaserunt. *Lauerunt*, inquit dilectus Christi discipulus, *stolas*, id est, animas & cõscientias, *suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Iste solus potuit aperire librum, & soluere septem signacula eius: quod est opus humanæ redemptionis absoluere, & omnia salutis nostræ obstacula remouere. Iste vnicus & verus pontifex, qui per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna *Apoc. 7. & 12.* *Apoc. 5.* *Heb. 9.*

redemptione inuenta. Iſte vnus & ſolus redemptionis beneficio, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Iſte qui iuxta redditũ ab angelo nominis eius etymon, ſaluum facturus erat populum ſuum à peccatis eorum. Summa, nec eſt, nec fuit, nec vnquam erit aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos conſeruari & ſaluari. Quantęlibet ergo, ait Auguſtinus, fuiſſe virtutis antiquos prædices iuſtos, nõ eos ſaluos fecit, niſi fides Mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum ſanguinẽ fudit. Aiunt enim Apoſtoli: *Quid vultis iugum imponere gentibus, quod neq; nos portare potuimus, neq; patres noſtri? Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos fieri, quemadmodum & illi.* Et idem rurſum: Ea fides iuſtos ſanauit antiquos, quę ſanat & nos, id eſt, Mediatoris Dei & hominum hominis Ieſu Chriſti, fides ſanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & reſurrectionis eius.

1. Tim. 2.

Matth. 1.

Act. 4.

Aug. l. 1. cont. duas epiſt. Pelag. c. 21.

Act. 15.

Lib. de natura et grat. c. 44.

TERTIO, nominat eos ad quos ſcriptum ſuum dirigit, *Vocatos*, videlicet à Deo Patre, per Filiũ eius Dominum Ieſum, à maſſa perditæ totius ſpeciei humanæ, in cœtum filiorum Dei: ex vaſis iræ & contumeliæ, in ordinẽ vaſorũ gratiæ atq; miſericordiæ: ex numero infidelium, in ſortem fidelium: ex lata via quæ ducit in perditionem, in ſtrictam qua pergitur ad aſtra: ex vmbris legalibus, in lucẽ euangelicam: ex membris & ſeruis Satanæ, in conſortium membrorum Chriſti. *Vocatos*, vtpotè qui cùm eſſent longè, facti ſunt prope in ſangui-

Matth. 7.

Epheſ. 2.

guine Christi: *Vocatos*, de tenebris, in admirabile lumen eius: *Vocatos*, inquam, à morte ad vitam: idq; per summam vocantis gratiam atq; misericordiam, cùm posset relinquere & damnare per summam iustitiam & æquitatem. *Vocatos* denicq; ad fidei exteram professionem, & sacramentorum Ecclesiæ Christianæ saluberrimam perceptionem atq; communionem. 1. Pet. 2.

EX his porrò tribus Epithetis, ac omnium piorum virorum, ad quos Apostolus scribit, titulis, quædam nunc ordine sunt obseruanda. In primis, tribus his nominibus, *Dilectorũ à Deo patre, conseruatorum in Christo Iesu, ac vocatorum* per Spiritum sanctum, comprehendi quandam verorum Christianorum definitionem: quandoquidem vt hoc nomine digni habeantur, necessum est, vt à Deo patre diligantur, per Christi meritum, & gratiam Spiritus sancti vocentur ad fidem, & à peccatis hostibusq; visibilibus & inuisibilibus conseruentur. Sic & Paulus eosdem appellat, *Dilectos Dei, & vocatos sanctos*: rursumque: *Electos Dei, sanctos, & dilectos*. Et Christus his dicturus est, *Venite benedicti patris mei, &c.* Contra verò, qui Deo patri sunt inuisi, passim in sacris literis, *Gens peccatrix, populus iniquus, semẽ nequam, filij scelerati, serpentes, genimina viperarum, filij diaboli, generatio praua & adultera, semen nequam, filij perditionis & gehennæ, &c.* Est itaq; in nobis, ait Salui anus, Christianum vocabulum, quàsi aureum decus, quo si indignè Rom. 1. Colos. 3. Matth. 25. Isa. 1. Matt. 3. & 12. Ioan. 6. Matth. 23. Saluian. l. 4. de iudic. & prouid.

Prou. 11. vtimur, fit vt ſues cum circulo aureo in naribus eſſe videamur. Vocabula namq; præclara ſine rebus, artibus, ac officijs ſuis nihil ſunt, niſi ornamenta in luto. Duodecim Hebræorũ tribus duo nomina ſacroſancta acceperunt, quando populus Dei, & Iſraelitæ appellatæ ſunt. Nunc autem Populus Dei dici non poteſt, qui cultum Dei iam olim reliquit: nec Videns Deum, qui filium Dei negauit. Propter quod alibi etiam de hac gente dicit Deus: Oſe 1. *Voca nomen eius, Non dilecta.* Et iterum: *Vos nõ* Ier. 2. & 8. *eſtis populus meus, & ego non ſum Deus veſter: ideo quod dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum, verbum Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in illis.* Quod timeo ne non magis tunc de eis dici potuerit, quàm de nobis Chriſtianis nunc dici poſſit: quia nec verbis dominicis obtemperamus, nec Chriſti præcepta ſeruamus, &c. Quæ cùm ita ſint, quæ ratio eſt, vt ipſi nos falſa opinione decipiamus, exiſtimantes ſcilicet quia Chriſtiani eſſe dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus nomen bonũ poſſit, cùm Spiritus ſanctus nec Iac. 2. fidem quidem dicat hominibus Chriſtianis ſine operibus bonis, poſſe prodeſſe? Et vtiq; multò plus eſt habere fidem, quàm nomen &c.

Deinde, certum eſt nos omnes Chriſtianos mutuæ charitatis ac beneuolentiæ per ſuperiores *dilectorum, conſeruatorum, & vocatorum à Deo* titulos admoneri. Sunt enim nomina adeo dulcia & amabilia, vt nihil ſuauius aut amabilius à quoquam dici vel excogitari poſſit. In hunc finem Chriſtus tot præcepta caritatis ſanciuit,

totq;

totq; exemplis ad mutuam inter nos dilectionem prouocauit, vt nihil supra. *Hoc est præceptū meum, inquit, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Ioan. 15. *Maiorē hac dilectione nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 14. 13. *In hac cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* 1. Cor. 16. Iubet item Paulus, 1. Cor. 12. vt omnia negotia nostra in caritate fiant: & humanorum eiusdem corporis membrorum sympathia satis docet, quanta nos inuicem beneuolentia complecti, alijq; aliorum onera portare debeamus.

Ad hæc, omni etiam diligentia notandum est, nos diligi, aut (vt volunt Græci) sanctificari à Deo patre decentissimo quarundam causarum ordine; nimirum, efficiente, meritoria, formali, & instrumentali. Efficiētis rationem & vim habet solus Deus trinus & vnus, eodem in Isaia dicente: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. Ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel saluator tuus: Ego sum, Ego sum Dominus, & non absq; me saluator. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorū tuorū nō recordabor.* Isa. 43. Et re vera solus ipse est, qui propria potestate peccata remittere, gratiam in anima creare & infundere, lethalis culpæ reatum delere; atq; ex impio gehennæ mancipio, æternæ gloriæ ac vitæ dignum hominē efficere potest: quapropter ab eo, nō ab vllo alio Christus docuit petendū esse: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Matth. 6.

CAVSA meritoria alia non est, quàm Christi hominis exinanitio, humilitas, sanguis, passio, & in cruce pro nobis perpessa mors: quandoquidem istis constat eum

apud patrem ſibi reſurrectionem & glorificationem corporis, exaltationē nominis, & omnium rerum dominium; nobis autem primam gratiam, peccatorum æternarumq; pœnarum remiſſionem, cęli apertionem, & Sacramentorum efficaciam meruiſſe: vt alibi fuſiſsimè aduerſus Caluinianorum errores diſſeruimus.

Dialog. 4. & 5.

CAVSA verò iuſtificationis ſeu ſanctificationis, quā in ſcholis formalem vocamus, non eſt externus quidam fauor Dei tantùm, aut nō imputatio quædam, vt garriunt hæretici: ſed donum gratiæ ſpiritalis ac inuiſibilis, quę diffunditur atq; inhæret ſpiritibus ac animis noſtris, & qua peccatorū reatus deformitasq; ſic tollitur, vt nulla prorſus in homine iuſtificato remaneat. Quomodo enim renouari ſpiritu mentis noſtræ, & induere nouum hominem à Paulo dicimur, inquit Auguſtinus, ſi non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recipimus ſecundùm quendam modum. Non immortalitatem ſpiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo: ſed recipimus iuſtitiam, ex qua per peccatum lapſus eſt homo. Idem rurſum alibi iſtud frequenter & conſtanter confirmat ex his Apoſtoli verbis: *Caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Sicut portauimus imaginem terreni, id eſt, Adæ peccatoris hominis: portemus imaginem & cæleſtis, &c.* formaliter itaque ac reipſa animis ſanctificamur & iuſtificamur renouatione interioris hominis,

Aug. l. 6. de Geneſ. ad lit. c. 24. & 27.
Eph. 4.
Coloſſ. 3.
2. Cor. 4.
1. Cor. 15.

Rom. 5.

1. Cor. 15.

nis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum Dei miſereſcentis omnium noſtrũ; efficimurque iuſti ex iniuſtis, & ex inimicis amici, vt ſimus hæredes ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

ORGANVM autem ſeu cauſa inſtrumentalis noſtræ ſanctificationis prima, eſt ſacramentum Baptiſmi, quo initio à peccatis omnibus abluimur, mundamur, & in filios Dei regeneramur: poſtea verò peccantibus propoſitum eſt ſacramentum Pœnitentiæ, per quod contriti de iniquitatibus poſt baptiſmũ commiſſis, confeſſione, abſolutione, atque ſatisfactione iterum iterumq; in gratiam Dei recipimur, & in album filiorum Dei reſtituimur. *Tit. 3.*

CAETERVM, iam ſuſcepta per Baptiſmũ aut Pœnitentiam primæ iuſtificationis gratia, ita credendo, ſperando, ac bonis operibus vacando adaugeri poteſt, vt qui iuſtus eſt, *iuſtificetur adhuc, ſanctus ſanctificetur adhuc:* quẽadmodum poſt Apoſtolũ docet his verbis Auguſtinus: Ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici; comitante, non ducente; pediſſequa, non præuia voluntate. *Apoc. 22. Aug. epiſt. 106. quæ eſt ad Bonif.*

AC vt nullam iuſtificationis noſtræ cauſam prætermittamus, Finalis eius dicitur, gloria Dei & Chriſti filij eius Domini noſtri; deniq; vitæ æternæ credentibus, ſperantibus, & mandatis diuinis ex charitate obtemperantibus repromiſſæ felix conſequutio. His igitur rationibus & cauſis ſanctificatis hominib⁹ proponenda ſunt Apoſtoli verba: *Videte, ne in* *2. Cor. 6. 1. Cor. 15.*

vacuum gratiam receperitis, sed abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est
Heb. 6. *inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, &*
Heb. 10. *dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Nolite amittere confidentiã vestram, quæ magnam habet remunerationẽ. Ambulate*
Coloss. 1. *dignè Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes, & crescentes in scientia Dei, gratias eidem agentes, quòd dignos vos fecit in partem sortis sanctorum, &c.*

ADIICIENS porrò, dilectos Deo patri, *conseruari in Christo Iesu*, primùm docet, pios omnes quolibet loco ac tempore morti expositos esse, adeoque Satanæ telis ac insidijs peruios, nisi muniti fuerint Christi præsidio: quẽ ideo custodem pater nobis dedit, vt nullus eorum quos in fidem & clientelam suam recepit, tandem aliquando pereat. *Hæc est voluntas*
Ioan. 6. *patris qui misit me*, ait, *vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo*
Ioan. 10. *die*. Et rursum: *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea. Pater qui dedit*
Ioan. 17. *mihi maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei*. Et moritu[r] s de his velut rationem reddens, dicit: *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur, &c.* Docet secundò, constantiam in fide, gratia, & vera pietate,
Ps. 40. & 108. Matth. 10. & 24. de qua scribitur; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, aliunde haberi non posse, nisi

niſi per Chriſtum, qui ſolus potens eſt eũ qui ſtat,tã certo firmoq; ſtatuere loco, vt perſeueranter ſtet:& eũ qui cadit,reſtituere. Ergo qui ſe exiſtimant ſtare,videant ne cadant:& cũ timore ac tremore ſalutẽ ſuam operentur in laboribus,in vigilijs, in eleemoſynis,in orationibus,& oblationibus,in ieiunijs,& caſtitate. Formidare etenim debent, ſciẽtes quod in ſpẽ gloriæ,& nondum in gloriam renati ſunt:itẽ, manus conſerendas eſſe ſibi cum carne, mundo,& diabolo,vbi continua eſt pugna,& rara victoria.Quis enim hominum, inquit Auguſt. ſe in actione profectuq; iuſtitiæ perſeueraturum vſq; in finem ſciat, niſi aliqua reuelatione ab illo ſiat certus,qui de hac re iuſto latentiq; iudicio non omnes inſtruit,ſed neminem fallit?Itaq; cum Apoſtolis ac primis Chriſtianis iugiter ac feruenter orandum eſt:*Domine, da ſeruis tuis conſtantiam,&c.*

Rom.14.
Philip.1.&2.
1. Cor.8.
1. Cor. 10.
1. Pet.1.
Aug.Lii.ci. uit.cap.12.
Act. 4.

In eo etiam quod dilecti à Deo patre,& à Chriſto conſeruati, *vocati* quoque dicuntur, notandum eſt,non vnam tantùm eſſe diuinam vocationem. Eſt enim quædã vocatio æterna, quæ cum electione æternaq; prædeſtinatione propemodũ eadẽ eſt:& quę iuxta Paulũ,ad ſolos electos pertinet:quippe *quos Deus prædeſtinauit,hos & vocauit:& quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* De eadem ſcribit rurſum: *Deus nos liberauit & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra,ſed ſecundùm propoſitũ ſuũ & gratiã, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia.* Eſt verò alia vocatio quæ temporalis

Rom.8.
2.Tim.1.

dicitur,

dicitur, eo quod succedentibus ipsis temporum curriculis perficiatur. Idque aliquando Deo nos interna spiritaliq; Spiritus sui inspiratione ad gratiæ suæ participationem vocãte, quemadmodum mulier peccatrix, latro, Petrusq; ad salutis semitam sunt à Deo reuocati: aliàs verò externis ac sensibilibus verbis & signis nos à sceleribus, & via quæ ducit ad perditionem, ad seipsum inuitante ac reducente. Sic enim Matthæum è teloneo, Zachæum ex sycomoro, dulcissimis verbis Christus ad seipsum pertraxit: Samaritanam & alios innumeros concionibus ac miraculis ad viã salutis adduxit: Paulum in terram prosternẽdo saniora sequi cõsilia coëgit: nunc quoq; vt & olim innumerabiles euangelicis cõcionibus, adhortationibus, minis, beneficijs, publicis priuatisq; miserijs ac calamitatibus veluti fidissimis nuntijs suis vocat, & ad meliorẽ vitæ frugem redire compellit. Est postremò, & alia quædam vocatio, externa videlicet ad verbũ Dei aure percipiẽdum, ad fidei professionem, ad sacramentorum communionem; ad preces publicas, cæterosq; Christianæ pietatis ritus: sed quæ communis est electis & reprobis, de qua dicitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hac vocatus est Iudas proditor ad apostolatũ, Nicolaus Antiochenus ad Diaconatum, Simon magus ad Baptismũ. Verùm, qualitercunq; vocemur, non nisi gratuita Dei nostri clementia & bonitate vocamur: quandoquidem doctore Augustino, Neq; venire, neque velle possumus, nisi vocemur; & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus

Matth. 20. & 22.
Matth. 27.
Act. 6. & 8.
Aug. Expos. in ep. ad Rom. c. 61. & lib. 1.

cursus noster, nisi Deus & currentibus vires præbeat, & perducat nos quò vocat. *Non est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei*, quod bene operamur & saluamur. Rom. 9.

Denique, tot beneficia Dei erga genus humanum hîc enumerans & prædicans Apostolus, nimirum, quod illud Deus pater ab æterno & gratis dilexerit, quod tempore suo ad sui cognitionem vocauerit, quodque in Christo filio suo seruauerit, satis nos omnes nostri admonet officij. Videlicet, vt illa sicut decet, agnoscentes & expendentes, gratias quàm possumus maximas & humillimas habeamus: nec in Deum sanctificatorem nostrum impuritate vitæ peccantes, sanctificationem illam amittamus. *Obsecro vos*, ait Paulus, *vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis.* Et iterum. *Deprecantes vos & consolantes, testificati sumus vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.* Sed de his satis, iam pergamus. Rom. 12. Eph. 4. 1. Thess. 2.

2. MISERICORDIA VOBIS, & pax, & caritas adimpleatur.

GRAECI legunt πληθυνθείη, multiplicetur, atq; ita locum reddidit Oecumenius interpres: vetus πληρωθείη legisse videtur, nullo sensus detrimento.

HAEC porrò tertia postremaque parte Tituli tria præcellentissima dona Dei vniuersis, ad quos literas suas dirigit, ex animo beatus Iudas precatur, nimirum, *Misericordiam* à Deo patre

patre omnium potentissimo creatore, *Pacem* à Christo omnium nostrûm reconciliatore & pacificatore, & *Caritatem* à Spiritu sancto cęlestium charismatũ largitore; hæc (inquam) beneficia non solùm illis donari à Deo trino & vno, sed & augeri, & adimpleri verè apostolica salutatione & prece percupit. Patrem namq; speciali elogio Paulus appellat *patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis:* 2. Cor. 1. Filium, *pacem nostram, qui per sanguinem suum pacificauit omnia tum quæ in cœlis sunt, tum quæ in terris versantur:* Eph. 2. Caritatem verò adfirmat *diffundi in corda nostra per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. Sensus autem huiusmodi esse poterit. Cùm nihil vobis precari valeam in hac vita felicius, quàm vt Deus sua in vobis munera diffundat, seruet, & augeat; toto animo eum rogo & obsecro, vt per misericordiam suam præterita vobis peccata remittat, & à futuris benignè præseruet. Pacem secum, vobiscum, & cum proximis continuò largiatur. Caritatem deniq; qua eum toto corde, tota anima, & omnibus viribus diligatis; proximos sicut vosipsos, & inimicos propter eius reuerentiam ametis.

IN his autem primùm aduerte, Theologos non leuiter nec temerè docuisse, quædam esse Appropriata diuina, id est, prædicata seu enũciata aliqua, quæ tametsi tribus personis ex æquo conueniant, earũ quædam tamẽ vni speciatim tribuuntur, vel propter cõuenientiam maiorem cum illius proprietate; vel ad remouendum aliquem errorem ab intellectu mentęque

teque viatoris, qui in his abditis rebus facilè hallucinatur. Ita Patri tribuitur passim Omnipotentia, Filio Sapientia, Spiritui sancto Caritas: indeque rursum, Patri adscribitur, quod mundum creauerit; Filio, quod redemerit; Spiritui sancto, quod sanctificet, doceat; & peccata remittet: cùm tamẽ tota simul sanctissima Trinitas creauerit, redemerit, & sanctificauerit. Nam fides catholica constanter religioseq; confiteri docet, Patrem omnipotentem, sapientem, & bonum; Filium omnipotentem, sapientem, & bonum; Spiritum sanctum omnipotẽtem, sapientem, & bonum; vnicum, æternum, & verum esse Deum omnipotentem, sapientem, & bonum. Docet rursum, eadem esse opera patris, & filij, quia nullum est opus filij quod non per eum pater faciat; nec vllum patris, quod non per filium simul facientẽ faciat. Nec pater & filius operantur sine Spiritu sancto: neq; enim ad faciendum, in amborum operibus vllo modo amborũ seperabitur Spiritus. Etenim non potest esse operatio diuisa, vbi non solùm æqualitas est, verùm etiam indiscreta est natura. *Aug. l. de Tri. & vnitate Dei cap. 8. 9. & 12.*

Hoc itaq; sanctissimę Trinitatis mysterium ipso statim Epistolæ suæ vestibulo prudenter insinuat, tria dona cælestia à tribus personis diuinis conferri & multiplicari postulans, vt ad illius fidem, cultum, & inuocationem tam Iudæos quàm Gentiles conuersos sapienter incitet atq; corroboret. Hanc enim fidem totius religionis Christianæ præcipuũ esse fundamentum satis docent Apostoli in Symbolo, confirmatq; magnus Athanasius, scribens, *Symb. Apost.*

Fides

Symb. Athanas. *Fides catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Hac quippe confessione veri Christiani non modò à Iudæis, Ethnicis, & Turcis modo vnicam in diuinis hypostasim, modò sexcentas cõstituentibus, discernuntur: verùm à cunctis veterum sectarum teterrimis erroribus atq; blasphemijs omnino recedunt. Nam Trium personarum constanti prædicatione, Iudęos & Sabellianos eas miserè confundentes, damnamus: vnius autem ac indiuisæ in tribus Essentiæ ac Deitatis fide, vniuersos Ethnicos, Arianos, Macedonianos, Eunomianos, cæterosq; veræ pietatis hostes eandem in diuersas partes lacerantes & partientes summæ impietatis conuincimus & reprobamus. Caluinianos denicq; cunctarũ veterum hęreseôn instauratores, Antichristianę improbitatis & perfidiæ certioribus argumẽtis conuincimus, quòd nunc *Essentiam diuinam in tres personas* post Bezam *aliter distinguant*; mox cum suo Caluino, sanctissimum *Trinitatis, personarum, & coessentiæ nomen sepultum cupiant*; adorationem & inuocationem eius criminentur ac tollant.

Beza Confess. gall. punct. 1. art. 2. Cal. Inst. l. 1. c. 13. sect. 5. l. de actis Serueti: l. cont. Valent. gentil. Epist. 2. ad frat. Polonos.

Nam ipsum Trinitatis nomen in his Apostoli verbis continetur & traditur: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Si tres, ergo trinitas: non essentiæ, non deitatis, non voluntatis, non omnipotentiæ, aut aliarum diuinarum perfectionum; sed hypostaseôn seu personarum.

1. Io. 5.

Si

Si vnum sunt, ergo vna, eadem, simplex & indiuisa Essentia seu natura in Deo, cum Trinitate personarum.

Huius quoque sanctissimæ Trinitatis cultus simulque inuocatio, in ipsa Baptismi Christiani, ab ipsomet Christo Dei filio præscripta verborum forma, adeo aperte distinctéque tradita est, vt rei veritate superatus Caluinus idipsum palam agnoscere, & scriptis confiteri sit coactus. *Euntes*, inquit Christus, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: quibus verbis tres personæ sub proprietatibus suis distinctæ, vnico autem virtutis ac deitatis nomine comprehensæ omni demissione coluntur & inuocantur. His adde initia omnium fere D. Pauli Epistolarum, quibus non sine eiusdem Trinitatis cultu & inuocatione, his ad quos scribit, magno studio precatur *gratiam & pacem à Deo Patre, Domino Iesu Christo, & Spiritu sancto* Omnium autem disertissimè eandē adorat & orat, cùm ad Corinth. ita scribit: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnib. vobis: Amen.* Sed quid apertius in hanc rem adduci potest, ista beatissimi Apostoli ac Euangelistæ pro septem præcipuis Asiæ ecclesijs oratione, *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septē spiritibus qui in cōspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo?* Nam septem spirituum nomine, vnica Spiritus sancti persona, propter multiplicia eius in Ecclesiam dona effusa designatur, & vna cum Patre & Filio colitur & inuoca-

Lib. de actis Serueti.

Matth. 28.

2. Cor. 13.

Apoca. 1.

Dialogo 1. uocatur. Verùm, quia hæc alibi pertractauimus, ad Apostolicam doctrinam orationis calculum reuocamus.

Docet ergo B. Iudas præsentis salutationis suæ exemplo, quales debeant esse Christianorum inter se salutationes, comprecationes, atque mutua vota. Etenim quoniam nihil nisi Deum, cælum, bonaque cælestia cogitabat & spirabat, & dicendo & scribendo suis discipulis B. Apostolus bona diuina spiritualiaque præsertim exoptat, videlicet *misericordiam, caritatem, & pacem.* E contrario verò nunc filij huius sæculi si quem verbo aut scripto salutant, oscula pedum vel manuũ promittunt, opes, thesauros, dignitates mundi precantur; alijs vitam bene longam, ociosam, & delicijs affluentem desiderant; alijs denique principatus, regna, victorias & triumphos postulant: his adulatorijs verbis satis indicantes & suos, & eorum quos salutant animos his caducis & fallacibus rebus omninò deditos esse. Tertul. certè illos grauiter carpit, qui etiã imperatores Romanos deos vel dominos appellabant: aut etiam cum adulatione acclamabant, *De nostris annis tibi Iupiter augeat annos*; cùm tamen nouos Cæsares nunquam non exoptarent, veteribus morte sublatis.

Tert. Apol. cap. 35.

Sunt autem tria superiora Dei beneficia omnibus mortalibus summoperè necessaria, atque ideo summis votis desideranda & postulanda. Misericordia enim in primis opus est, quandoquidem actum esset de vniuersis, si Deus summo iure, & non misericorditer vellet agere nobiscũ, cùm omnes iustitiæ nostræ cum

eius

eius puritate & sanctitate comparatæ sint fœdissimæ, *vel vt pannus menstruatæ*. Iob quoq; adfirmat, etiam cælos ipsos non esse mundos in conspectu eius. Itaque meritò & iure cum Dauide exclamandum: *Miserere mei Deus secundùm magnã misericordiam tuam*. Et cũ Isaia: *Miserationum Domini recordabor*. Et post beatum Ieremiam: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*. Septem misericordias, seu potius miserationum Dei effectus, circa seipsum Bernardus plurimum laudat atque miratur. Primum, quòd à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodiuit. Fateor, inquit, & fatebor, nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs cecidisset in omne peccatũ anima mea. Secundum, quòd cum peccante Dominus tandiu dissimulauerit, expectando ad pœnitentiam. Tertium, quòd pœnitentiam fructuosam post peccata largitus sit. Quartum, quòd pœnitentem misericorditer susceperit. Quintum, quòd emendatius viuendi virtutem præstiterit, ne esset nouissimus error peior priore. Sextum, quòd gratiam promerendi; Septimum, quòd homini indigno & peccatori bonorum cælestium obtinendorum spem eximiam indulserit.

Isa. 64. *Iob. 5 & 25.* *Psalm. 50.* *Isa. 63.* *Thren. 3.* *Bern. serm. 2. de operib. misericordiæ.*

Deinde, pacẽ habere cũ Domino Deo nostro, viro Christiano penitus necessariũ esse, quis negare poterit? Enimuerò illius iram ac vltionẽ cælestem toties, totq; peccatis in capita nostra in dies accersimus; & grátiam fauoremq; tam procul à nobis reijcimus, vt vix ac ne vix quidem dici queat: Etenim Altissimus odio habet

Eccli. 12.

Sapien 14. peccatores. Et Deo similiter odio sunt impius & impietas eius. Isaiæ. 59. *Iniquitates vestræ*, inquit Isaias, *diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* An non ergo misericordia Dei & pace eius nobiscum summoperè indigemus?

Pace iterum nobis opus est interna in animis & conscientijs nostris, quæ sibi multorum delictorum conscię perpetuò tumultuantur, fremunt, trepidant, & ad mortis iudicijque diuini omnem commemorationem graui nos horrore concutiunt ac perturbat. Hinc Dauid maximi sceleris conscius vociferatur: Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Psalm. 37. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Et Sapiens: Sap. 17. *Semper præsumit sua perturbata conscientia.* Isaias denique de conscleratorum perturbationibus scribit: Isa. 57. *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs dicit Dominus* Quomodo autem componentur hi motus, nisi pace cum Deo inita? De hac Bernardus, illud explicans, Ioan 14. *Pacem relinquo vobis: Pacem meã do vobis, &c.* Bern serm. 23. in Cant. scribit: Sufficit mihi Domine, gratanter suscipio & relinquis, & relinquo quod retines. Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu. Tu enim pax nostra, hoc mihi necessarium: hoc satis est reconciliari tibi, reconciliari mihi.

Caritas quoque omninò necessaria est, nimirum, vt Deum qui nos tanquam suos electos filios,

filios, Christi coæterni & consubstantialis filij sui fratres & cohæredes dilexit, vicissim quoque tanquam patrem optimum & humanissimum ex toto corde redamemus. Cęteras namque virtutes, imò & vniuersa Spiritus sancti dona sine caritate parum ad salutem prodesse diserris verbis docet Apostolus. Et Augustinus scribit, solam Caritatem discernere filios regni à filijs perditionis: quandoquidem fides, spes, humilitas, liberalitas, &c. etiam in reprobis ad tempus relucere videntur: deest verò Caritas cùm ex hoc sæculo commigrant. Bernardus autem concinnè & appositè ait: qui Caritatem habet, damnari non potest; qui Caritatem non habet, saluari non potest. Item: Ille tenet quicquid latet, & quicquid patet in diuinis sermonibus, qui Caritatem seruat in moribus.

1. Cor. 13.

Aug. 15. de Trin. ca. 17.

Bernard.

Nec prætermittendum est, quod Apostolus non solùm hæc tria dona spiritalia conferri peroptat, verùm & per quasdam accessiones gradusque eadem in nobis adaugeri, compleri, & multiplicari cupit. Hoc autem fit exercitio ac meritis bonorum operum, vt Paulus non obscurè docet, promittens his qui pauperum miseriam eleemosynis suis releuarent: *Dominus augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*. Hanc Caritatis multiplicationem seu accessionem, appellat *renouari nouitate mentis de die in diem*. De eadem verò scribit Augustinus. Intelligamus enim habere Spiritum sanctum, qui diligit Deum, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus

1. Cor. 9.

Rom. 12.

Augu. tract. 74. in Ioan.

diligat. Rursumque: Dilectio meretur incrementum dilectionis cùm exercetur. Quomodo verò posset hoc fieri in illa Non imputatione, de qua nugantur hæretici?

Et hoc etiam notandum, quod Apostolus hæc dona multiplicari in nobis exoptet, non imperet: quoniam & fidei, & spei, & caritatis augmenta etiam Dei dona sint, non à solis facultatibus humanis proficiscuntur. *Ipse*, inquit Apostolus, *augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*: non, vos ipsi augebitis. Et iterum: *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat caritate in invicem, & in omnes.* Quod etiam ad Abraham dicitur: *Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.* non ad bona tèporalia terrena ve tantùm pertinet; sed multo magis ad spiritalia & cælestia. Igitur quemadmodum hæ virtutes dona Dei sunt, per Spiritum sanctum diffusa in cordibus nostris; ita & illarum accessiones seu incrementa. Non quod in his profectibus aut nullum sit, aut ociosum & passiuum tantùm hominis liberum arbitrium: sed quod voluntatis pius affectus, simul & effectus, & consequens fructus omnino pendeat à præcedente & concomitante Dei gratia, cui cooperatur; omnisque laus debeatur & reddatur Deo, *qui operatur in nobis velle & perficere.* Ideo scribit Ambrosius: Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum

1. Cor. 9.

1. Thess. 3.

Genes. 12. 18. 22. Hebr. 6.

Rom. 5.

Philip. 2.

Lib. 2. de vocat. gent. cap. 9.

ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subijcitur, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritũ quod superno semine concepit ad studium, de suæ habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Et hactenus de huius Epistolæ titulo seu inscriptione: sequitur.

EXORDIVM.

3. *Carissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.*

INSCRIPTIONI nunc subiungit Exordium, ad excitandam attentionem, conciliandamque beneuolentiam & docilitatem valde accommodum. Attentos enim facit, cùm pollicetur se de communi hominum salute, necessarijsque omnino rebus dicturum: beneuolos, quando illos carissimos & dilectissimos sibi esse profitetur; suamque maximam de illorum summo bono solicitudinem ac studium commemorat: dociles denique eos reddit, quando summam eorum de quibus tractaturus est initio proponit, nimirum, Pro conseruanda fide à Christo & Apostolis eius pijs tradita summo studio certandum & contendendum esse. Singula porrò verba animum caritate flagrantem, simulque

ardentem affectum, & pectus verè apostolicum spirant ac redolent. Quamuis enim Græci in positiuo gradu legant ἀγαπητοὶ, cari & dilecti, interpretes tamen in superlatiuo rectè efferunt, Carissimi: quod etiam Erasmus alibi non semel facit. Hac porrò voce exprimit insignem caritatẽ & dilectionem, qua eos velut proprios in Christo aut fratres, aut filios complectebatur. Quasi dicat: Non sola caro ab eodem patre Adamo propagata, nec sola huius vitæ humanæ ratio communis; sed, quod præstantius est, eadem fides in Deum, eadem spes in eius promissa, eadem caritas, qua veluti membra eiusdem corporis sub vno capite Christo copulamur, facit, vt vos omnes siue ex Gentibus siue ex Iudæis credentes, veluti carissimos filios, vereque in Deo germanos, hac Epistola conueniã & alloquar.

Annot. in 1. Ioa. ca. 3. & 4 3. Ioa. v. 5. &c.

Hoc autem primo verbo & exemplo tam Episcoporum, quàm Principum, ac omnium qui populo Dei præficiuntur, officium esse docet, subditos sibi velut proprios liberos aut fratres complecti, & de rebus ad eorum salutem spectantibus in spiritu caritatis & lenitatis admonere. CHRISTVS enim omnium pastorum princeps & exemplar, concionum suarum initijs, non solum fratrum & amicorum nominibus auditores suos compellat; sed etiam filiolos appellat, quod dulciorem, teneriorem, & ardentiorem mentis indicat affectum: quod dilectus discipulus octo varijs locis in prima Epistola studiosè imitatus est. Eadem caritate erga suos Gala-

Matth. 20. 22. 26. Luc. 12. Ioan. 11. 15. 17. 20. Marc. 10. Ioan. 13.

tas

tas Paulus se affectum fuisse indicat, cùm sic loquitur: *Filioli mei, quos iterum parturio in Christo.* Et ostendens summè caros fuisse sibi Philippenses, sic eos compellat: *Itaque fratres mei carissimi & desideratissimi, gaudium meũ, & corona mea, sic state in Domino, carissimi.* Quid his suauius aut dulcius fingi potest? In hoc autem grauiter peccant, qui duris ac truculentis imperijs tyrannos potius agunt, quàm patres. Hos coarguit Dominus, Iudæorum pastoribus ac principibus exprobrans: *Quod pepierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia.* Galat. 4. Philip. 4. Ezech. 34.

Secundo etiam verbo significat Apostolus se incredibili affectu & studio illorum salutis teneri, & pro eadem tuenda & seruanda, vti pro sua vnius propria vigilare, quando dicit, *omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, &c.* ijsdem verbis peruigilis & studiosi pastoris officium describens. Debet enim nulla vnquam maiore solicitudine, nulla cura magis vrgeri, quàm de sibi commissarum ouium CHRISTI Domini sanguine morteque redemptarum salute. Vt hanc procuret, omnia tenter, omnia moueat: non solùm voce, & exemplo, sed & scripto cùm opus fuerit, & gratiam Dominus concesserit, eas in officio & virtute contineat. Sunt namq; constituti à Deo veluti speculatores in ciuitate ab hostibus obsessa, vt continuò prospiciant eius saluti, & de imminentibus periculis admoneant. *Peruigilant*, ait Paulus, *quasi rationem reddaturi de animabus vestris.* Ma- Iud. 1. Isa. 56. Ierem. 6. Ezech 3. 33. Heb. 13.

2.Tim 4. gno ac terribili exorciſmo idem Timotheum Cretenſium paſtorem adiurat, per aduentum Chriſti, & regnum eius, vt prædicet verbũ Dei, inſtet opportunè & importunè, arguat, obſecret, increpet, cum omni patientia & doctrina.

Rom.12. Et ad Romanos ſcribit: *Qui præeſt, in ſolicitudine* videlicet id faciat. Chryſoſtomus

Chryſoſt. ho. 1.in 2. ad Timoth. appoſitè bonum paſtorem confert cum nauarchis, qui ſemper anxij ſunt, ne naui ſuæ quid aduerſi contingat: item, cum exercituum imperatoribus, ſemper in excubijs pro ſalute militum ac regni exiſtentibus. Hæc vtinam, vtinam dico, diligenter attenderent, & exaudirẽt hi qui præfecturas ambiunt. Ad primum auditum de ſacerdotio non perquirerent profectò, quot nummorum centuriæ aut chiliades ex horum prouẽtu ad crumenam aut menſam prouenirent: ſed quot animarum ſalus procuranda, quo pacto docendum, corripiendum, ſacramenta miniſtranda ſtudioſius ac commodius inueſtigarent.

Docet rurſum Apoſtolus, vt attigimus, optimi Paſtoris etiam munus eſſe, ſcriptis, cùm opus eſt, hæreſes impugnare, peccata publica inſectari, & veram fidei morumq; doctrinam confirmare. Verba quidem docentium adſtantibus proſunt, ſcripta verò & abſentes, & futuros ædificant. Ea de cauſa non ſolum Moſem, Dauidem, Samuelem, Iſaiam, & cæteros veteris Synagogæ paſtores ad ſcribendum Spiritus ſanctus impulit; verùm, & Euangeliſtas, & Petrum, & Paulum, & Iudam fratrem Iacobi primos Eccleſiæ paſtores vt manus calamis admouerent concitauit. Horum deinde curã & pietatem

tatẽ incredibili animorũ salute,& populi Christiani vtilitate imitati sunt Dionysij, Clemẽs, Ignatius, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Nazianzenus, Basilius,& sequentiũ sęculorũ Ecclesiæ proceres, qui præclaris scriptis philosophiã Christianã toto orbe plurimum illustrauerunt, nec adhuc cessant eam quotidie magno splendore decorare,& ab hostibus vindicare. Viderint itaq; quo iure nomen Pastoris sibi vendicent, muneri susceptо respondeant, quidque supremo omniũ iudici ac pastori dicturi sunt multi, qui totas animas sibi commissas nec verbo docent, nec scripto communiunt, nec melioris vitæ exemplis eisdem prælucent. Hos Isaias meritò vocat *canes mutos nõ valentes aduersus impetum luporũ latrare.* Isa. 56. Et Zacharias comparat cum idolis, quę oculos, nares, aures, ora, manusque retinẽt; verùm nec vident, nec sentiunt, nec audiunt, nec loquũtur, nec aliud vitę humanæ officiũ exercere possũt. Zach. 13. Rogandus itaque Deus, vt meliores operarios mittat in messem suam,&c. Sed de quibus suos commonefacere hisce literis suis satagit beatus Iudas? Matth. 10.

De communi, inquit, *salute necesse habui scribere vobis, &c.* Nam Græci pronomen *vestra* non habent: nec magnopere refert si omittatur, quandoquidẽ communẽ illis secũ salutem facit. Minusque ponderis habet verbum, si de salute aliorum dicamus, cuius non simus participes: practicum ergo doctorem se profitetur beatus Iudas, cùm in eiusdem salutis consortium piorum numero se

se aggregat. Et certè si vna est omnium credentium fides, si vna Euangelij doctrina, si vna Ecclesia, si vnus omnium seruator Dominus Iesus, communem illis omnibus salutem esse oportet. Siquidem Christianæ religionis ac fidei finis est salus animarum nostrarum. Sed de hac re paulo fusius, Epistolæ seriem ordinemq; seruemus. 1.Pet.1.

Comparata prius Lectorum attentione, beneuolentia, & docilitate, præsenti loco paucis & apertis verbis declarat causas, quibus ad scribendum impulsus fuerit: nempe, quod fides eorum fraudibus impostorum, & certaminibus hæresiarcharum plurimorum exposita periclitaretur. Deinde, quod Ecclesiæ Christianę, extra quam nulla salus, vnitas & integritas in extremũ penè discrimen adduceretur. Ipse ergo pro sua in eos caritate, & apostolico munere, nec silere, nec à scribendo & admonendo illos abstinere debuerit aut potuerit. Sensus itaque est. Tantum mihi studium fuit scribendi ad vos de his quæ ad salutem omnium pertinent, vt mihi nequiuerim temperare, quin hac Epistola tanquam classicum canendo excitarẽ vos atque cohortarer ad eam fidei doctrinam, quam à Deo per Apostolos & discipulos eius semel accepistis, conseruandam & defendendam toties tandiuque, quoties ac quandiu à Satana per hæresiarchas vel tyrannos impugnata fuerit. Inestimabilis est enim veræ fidei thesaurus, eoque impensius vigilandum, ne à quoquam surripiatur. Omnium maxima est illius necessitas, vt potè sine qua Deũ nec amare, nec timere, nec inuocare, imò neq; Rom.10.

salui

salui esse possumus; idcoque vt ea semper salua tectaq; permaneat, magis quàm pro focis & aris est decertandum.

Primò autem in his cernimus, Apostolum non de rebus leuioris momenti, neque de rebus politicis, aut philosophicis, à quibus nec iustitia nec salus nostra pendet scribere voluisse: sed tantùm de re omniũ grauissima & sanctissima, id est, de animarum salute. Itaque vt quę medicorum sunt tractant medici, sic apostolico exemplo decet Episcopos, cæteroſque verbi diuini præcones non nisi de sacris & ad propriam proximiue salutem necessarijs concionari ac scribere; alijs prophanarum rerum amatoribus & tractatoribus relictis. Hac de re Paulus Timotheo suo præcipit, inanes ineptasque fabulas deuitare: exercere autem se ad pietatem. Eundem rursum admonet, vt denunciet quibusdam non intendere Iudaicis fabulis, & genealogijs interminatis, quæ quæstiones magis præstant, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. Item, veri pastoris ac doctoris conditiones enumerans ait: *Tu autem ô homo Dei, sectare iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem.* Longè ergo recedunt ab Apostolorum, veterumq; sanctorum traditione, qui maiorem studiorum aut concionũ suarum partem in quæstionibus perobscuris, aut prophanorum hominum historijs ac rebus gestis recensendis collocant & terunt. Quando enim aut Basilius, aut Chrysostomus, aut Augustinus, aut Leo, aut Gregorius aliquis simile præstitit?

1. Tim. 4.

1. Tim. 1.

1. Tim. 6.

Deinde, non de vnius aut alterius tantùm,

sed

sed sine vlla sexus, conditionis, aut personarum acceptione, *de communi omnium salute* dictarum se recipit: vt sicut omnibus commune imminebat ad hæresiarchis periculum, sic omnes commune caperent remedium. Quo exemplo admonetur pastores, nullius quantumuis abiecti & pauperis salutem negligere. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus* (aiebat Apostolus) *debitor sum.* Ité. *Factus sum Iudæus tanquã Iudæus, vt Iudæos lucrarer: his qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, vt lucrifacerem eos. Factus sum infirmis, infirmus: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Aeternus Dei filius vnicam peccatricem, vnicam Samaritanam, vnicam adulteram, vnicum abnegatorem, vnicum latronem, vnicum infidelem Thomam non abhorruit, &c. Contra hoc apostolicum exemplum peccant, qui nobiliũ, diuitum, aut propinquorum duntaxat curam habent, cæteros aspernantur ac negligunt.

Rom. 1.

1. Cor. 9.

Porrò *salus* hominum hîc vocatur *communis*, primò quia non vni linguæ aut nationi, vt lex Mosis, sed vniuersis hominibus proposita & oblata est doctrina Euangelica, dicente cælesti patre ad filiũ: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Idemq; filius legatos suos quocunque terrarum mittens, eis dicebat: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit &c.* Et iterum: *Eritis mihi testes in Ierusalem, Iudæa, Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Quibus & alijs aliquot similibus locis Augu-

Psal. 2.

Matth. 28. Mar. 16. Actor. 1.

Augus-

ſtinus aduerſus Donatiſtas frequenter & graui-
ter colligit, ſanctam, vnam, & apoſtolicam
Eccleſiam verè Catholicam, id eſt, per totum
orbem diffuſam eſſe : quod nulli vnquam ſe-
ctarum hæreticarum contigit, vel vnquam
continget. Et idem rurſum his cunctos hæreti-
cos compellat : Audite hæretici, quid ſcrip-
tum ſit. Oportebat Chriſtum pati & reſurge-
re à mortuis, & prædicare in nomine eius pœ-
nitentiam & remiſsionem peccatorum per
omnes gentes. Omnes gentes totus mundus
eſt, Eccleſia totum poſsidet quod à viro ſuo ac
cepit in dote. Quæcunque congregatio cuiuſ-
libet hæreſis in angulis ſedet, concubina eſt,
non matrona. O hæreſis Ariana, quid inſultas?
quid exſufflas ? quid etiam ad tempus multa
vſurpas? Iniuriam à te patitur domina ab an-
cilla, multas ei ingeris contumelias. Licet hæc
doleat, non te magna metuit Sponſa Chriſti,
ſancta, catholica. Cùm reſpexerit Sponſus,
eijcieris tu vt ancilla cum filijs tuis, &c. An
non hæc quoque hodiernis ſectis iure dici
poſſunt?

Aug. l. de Agone Christ. c. 29. Epist. 162. & passim tom. 7.

Idem l. 4. de Symb. c. 10.

Luc. 24.

Act. 14.

Gen. 21.

Gal. 4.

Præterea, *ſalus communis* etiam dici-
tur, eo quòd vna communique ratione, id
eſt, per Chriſti mortem & ſanguinem (quo-
rum virtus eorundem ſacramentorum par-
ticipatione nobis adhibetur) omnes in eum
credentes ſaluentur. Non enim alijs medijs
aut remedijs ſaluati ſunt Apoſtoli, martyres,
confeſſores, virgines, pœnitentes, alijve
priſcorum ſæculorum ſancti, quàm nunc
vniuerſi ſaluemur : quandoquidem non eſt

in

Act. 4. in alio aliquo salus. Turba illa sanctorũ, quam dinumerare nemo potest, ex omnib. tribubus, populis, & linguis, de salute sua gratias agit sedenti super thronum, & agno. Est igitur omniũ membrorum Christi vnum Euangelium, vna fides, vna spes, vnum ouile, vnus pastor, vnum Baptisma, vna Confirmatio, vna Eucharistia: ergo & vna eademq; ratio salutis. Ideo venerabilis presbyter Beda hoc loco scripsit: Omniũ electorum vna & *communis est salus*, fides, & dilectio Christi. Atque idcirco vna tantùm Ecclesia, nó plures: vnicus Christus sponsus eius; non multi: & qui extra hanc vnitatem fuerit, nec Christi membrum, nec Ecclesiæ filius, nec communis huius salutis particeps erit. Hinc Ambrosius: Omnes hæreticos & schismaticos à regno Dei & ab Ecclesia intellige separatos. Et ideo, non Dei, sed immundi spiritus omnis schismaticorum hæreticorumq; liquidè claret esse conuentus. Laudat quoque idem pater Satyrum fratrem suum, quòd veram fidem esse inter schismaticos negaret, & si in Deum credant: quoniam erga Ecclesiam fidem non teneant, sed eam miserè lacerent propter quam Christus passus & mortuus est. Probat & Optatus Mileuitanus sententiam Parmeniani dicentis, Apud hæreticos dotes Ecclesiæ esse non posse. Scimus enim, subiungit ille, hæreticorũ singulorum Ecclesias, prostitutas, nullis legitimis sacramentis, & sine iure honesti matrimonij esse. Quas recusat Christus sponsus Ecclesiæ, sicut in Canticis testatur: qui cùm vnam laudat, cæteras damnat, quia præter vnam, quę est verè Catholica, cæteræ apud hæreticos putantur

Apoc. 7.

Beda.

Ambr. com. in Luc. ca. 11.

Idem Orat. funebri de obitu frat.

Optat. lib. 1. cont. Parm.

Cant. 6.

tantur esse: sed non sunt. Subiungit Apostolus: *Deprecans supercertari semel tradita Sanctis fidei.* Græci paulò aliter & apertius: παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει: Adhortans vos, vt decertetis pro fide, quæ semel est tradita sanctis. Quidā alij vertunt. Obsecrans, vt vestris laboribus adiumento sitis fidei, quæ semel data est sanctis. Vult autem dicere Apostolus: Ante omnia necessarium duxi, vos deprecando & adhortando commonefacere, vt semel susceptæ sanctæ fidei catholicæ, quemadmodū à sanctis Apostolis tradita est, supercertetis, seu, summo studio certetis: pro ea videlicet retinenda vsque ad finem fortiter & perseueranter dimicantes, ita vt nullis neq; persecutionibus tyrannorum, neque persuasionibus hæreticorum, ab eius professione vos vel alios vnquam sinatis abduci.

Ex his porrò verbis eruendus est STATVS, seu propositio generalis totius Epistolæ. Hæc autem huiusmodi est. Pro Christiana catholica fide retinenda & exornanda, contra omnes illius hostes & corruptores magno studio dimicandum ac certandū est. Istud enim propositum in sequentibus explicat, & varijs argumentis illustrat & confirmat, vt suis locis notabitur.

Hîc autē primo loco obseruanda est summa diuini Apostoli humanitas atq; modestia: qui cùm posset eximia sibi à Deo potestate commissa præcipere, mitissimo affectu hortatur & rogat. Nihil ergo arroganter, nihil minaciter aut insolenter imperat, sed humiliter obsecrat

& admonet, exemplum cunctis pastoribus ecclesiarum relinquens, vt sua modestia beneuolentiam sibi cõcilient, aditumq; ad corda hominum, quos curare debent, hac virtute sibi patefaciant. Nam superbia & arrogantia odiũ concitatur. Ter maximus ille Paulus *Euchodiam rogat, & Syntychen deprecatur idem cum reliquis Christianũ sapere in Domino.* Romanos etiam *obsecrat per misericordiam Dei, vt ipsi exhibeant corpora sua hostiam sanctã.* Corinthios quoq; per Christũ obtestatur, vt reconcilientur Deo. Iubet deniq; Timotheo Ephesiorum prẽsuli, vt auditores suos *obsecret in omni patientia, & doctrina.* Igitur ab apostolica moderatione procul absunt illi, qui omni ferè verbo furiosè imperitant, tonant, fulminant, minas spirant & cædes in discipulos.

Philip. 4.

Rom. 12.

2. Cor. 5.

2. Tim. 4.

Secundò, cùm hortatur & rogat, non simpliciter ἀγωνίζειν, quod tamen erat satis illustre, significans certamina inter athletas proposita: sed compositione illustriori facta, monet ἐπαγωνίζεσθαι, *supercertare*, magno studio reluctari, & iterum iterumq; contendere pro seruanda *fide semel tradita*, manifestè docet eã nunquam hostibus caruisse, neq; aliquando impugnatoribus carituram: contra quos pijs viris perpetuò laborandũ & luctandum sit, vt pura & integra retineatur. Atque hæ sunt perpetuæ illæ ac irreconciliabiles inimicitiæ, quas Deus ipse inter semen mulieris, id est, Ecclesiæ sponsę Christi filios, & inter semẽ serpentis, id est, Diaboli ministros ac satellites semper futuras esse pronunciauit: quinetiã Angelis Dei cultoribus ac seruis, Sataniæ & assectarũ impe-

Gen. 3.

Apoc. 12.

tus

us fuerant in cælo etiã antea ſuſtinẽdi. Adami & Euæ fides ac religio ab illis hoſtibus ad tempꝰ cõuulſa & labefactata eſt. Iidẽ Abelis, Seth, Enoch, Noe, Abrahæ, & reliquorũ veterum pietatẽ in Deũ varijs machinis oppugnauerũt. Incitauerũt rurſum Iſmaelẽ aduerſus Iſaac, atq; Eſau aduerſus Iacob, id eſt, filios carnis, contra filios ſpiritus ac repromiſsionis, &c. Authores quoq; fuerũt Gigãtibus, vt Noe iuſtitiæ prẽconẽ affligerent, & vniuerſæ carnis viã deprauarẽt: inſuper & Aegyptijs, & Chaldæis, & Perſis, & Græcis, & Romanis vt grauiſsimis bellis atq; captiuitatibus populũ Dei vaſtarent & opprimerent. Quanto cũ furore ac odio princeps dæmonũ ipſummet Chriſtũ ſponſum & caput Eccleſiæ, authorẽq; fidei noſtræ, ſemel, iterum, & tertiò per ſeipſum aggreſſus oppugnauit? An non etiam beatũ Petrum ſecundùm Chriſtum, eiuſdẽ Eccleſiæ rectorem, expetiuit cribrare vt triticum? Falluntur ergo plurimũ qui aliquam pacẽ ſibi aliquandò futuram repromittunt; aut inſtar quorundã Politicorũ, inter mundũ diabolũ ac ſatellites eorũ, & Eccleſiam Chriſti: id eſt, inter lucẽ & tenebras, inter Chriſtũ & Belial, inter oues & lupos, conciliationẽ fingere nitũtur. Aberrãt verò omniũ turpiſsimè & pernicioſiſsimè, qui nihil ſe credituros iactant, donec vniuerſus mundus in eandẽ fidẽ & religionem cõſpiret: aut deficiunt animis cùm fidẽ catholicã tot hoſtibus impugnari conſpiciũt, & pro eius defenſione certare detrectant. Nã continuò vel tyrannorum minis, vel hæreticorum inſidijs, vel quorundam hypocritarum & proditorũ corruptelis & artificijs oppugnabitur.

Gen. 3.

Gal. 4.

Gen. 6. 7.

Matth. 4.

Luc. 22.

Itaque pijs semper velut in excubijs standum, imò verò tanquam in acie confligendum erit, vt tandem aliquando cũ Paulo dicere possint: *Bonum certamen certaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Nam non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Qui vicerit*, inquit Spiritus, *dabo illi edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Non cessanti vel dissimulãti, sed strenuè militanti dictum est: *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ.*

2. Tim 4.
2. Tim 2.
Apoc. 2.

Tertiò, asserẽs *fidem semel traditã esse sanctis*, id est, Christianis, docet illius originem nõ esse simpliciter ab hominis voluntate; sed aliunde, nimirum à Deo per Spiritum sanctum traditam & infusam animis. Requiritur quidem hominis studium, vigilantia, & consensus: sed hæc frustranea & inania sunt, nisi Deus gratia sua præueniat, comitetur, & subsequatur. Idcirco dicitur: *Hoc est opus Dei, vt credatis.* Et Petro fidem omnium nostrũ nomine profitenti dictum est: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* Paulus quoque scribit. *Alteri* (datur) *fides, ex eodem Spiritu.* Et Philippẽsibus ait: *Vobis datum est, non solùm vt in eũ credatis, sed & vt pro illo patiamini.* Hoc extremum testimonium explicans Augustinus, scribit: Initium fidei nostræ ex quo est, nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto, ex ipso sunt cætera; sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Vobis donatum est pro Christo, non solũ vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo. Vtrumq; ostendit Dei donum, quia vtrumque dixit esse donatum. Nec

Ioan. 6.
Matth. 16.
Eph. 4.
Philip. 1.
Aug lib. de prædest. sanct c. 2.
Rom. 11.

ait,

ait, vt plenius & perfectius credatis in eũ; sed, vt credatis in eum. Et idem rursum: Fides ad Christum nos trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me attraxerit eum.* Affirmans autem illam non ita esse donum Dei, quin ad eam requiratur motus & assensus voluntatis nostræ, ita differit: Intrare quisquam potest Ecclesiam nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens; credere nõ potest nisi volens. Et alibi: Quid est credere, nisi consentire verũ esse quod dicitur: consensio autem vtiq; voluntatis est: profectò fides in potestate est. Hæc ille, quibus duntaxat istud Ambrosij testimonium subijcio. Quoniam non necessitatis, sed voluntatis res est, ideo dicit Apostolus: *Non quod dominemur fidei vestræ, &c.*

Epist. 105.
Io. 6.
Tract. 26. in Io.
Lib. de spiritu & litera, cap. 31.
Amb. in cap. 1. epist. 2. ad Corint.
2. Cor. 1.

Sed quorsum scribit Apostolus *fidem semel esse traditã?* Primò, vt designetur Christianę religionis, cuius fundamentum est fides, sempiterna constantia & perseuerantia. Nunquam enim hæc lex in aliam commutabitur, vt Mosis, ac vetus testamentum translatum est in nouum, & Synagoga in Ecclesiam: quia æternum, immutabile, & postremum est testamentum Dei cum hominibus. Siquidem eo sensu dicitur Deus loqui semel, nec altera vice idem repetere. Et in psalmo scriptum est: *Semel locutus est Deus:* id est, ita firmè & certò, vt irritum fieri non possit.

Iob. 33.
Psal. 94.

Secundò, dicitur *semel tradita*, propter summam eius integritatem & puritatem: adeo

vt *hîc semel*, sit idem, quod *primùm*. Solet autem prima doctrinæ expositio, ac legis cuiusq; cũq; institutio purior & integrior esse. Sic enim lex Mosaica, cùm primùm fuit data & exposita à suo legislatore, purissima planè fuit: donec exortæ sunt Pharisæorũ, Essenorum, & Sadducæorum sectæ, qui pro suo arbitrio ausi sunt multa addere, detrahere, immutare, inuertere, quæ Christus excutiendo correxit. Quod autem ad Christianam doctrinam, fidem, & religionem attinet, eam æternus Dei Filius per semetipsum initio tradidit, qualem ac ceperat à suo Patre; Apostoli verò non aliam toti mundo tradiderunt, quàm ab æterno Dei filio audierant; nec nouam, suspectamq; hactenus Ecclesia catholica finxit aut seruauit; sed eandem ipsam nobis filijs suis etiam ipsa tradidit, vt & posteris eandẽ illibatam sanctamque relinquamus. De hoc vetustissimus & grauissimus author Tertullianus ita disserit. Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt, &c. Et aliquanto post. Constat omnem doctrinam quæ cum Ecclesijs apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesię ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò doctrinam de mendacio præiudicandam quæ sapiat cõtra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorũ, & Christi, &

Matth. 5. 6. & 23.

Tert. l. præsc. cap. 6.

Cap. 21.

sti, & Dei, &c. Calumniantibus ac obijcientibus veteribus illius æui hęreticis (vt & faciunt nouissimi) correptas fuisse ab Apostolo Ecclesias, &c. respondet idē Tertullianus. Cùm correptas Ecclesias opponunt, credāt emendatas. Sed age nunc: omnes errauerint, deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdā: nullam respexerit Spiritus sanctus vti eam in veritatē deduceret, &c. Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? &c. At? quod apud tam multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos (Apostolos) errasse, qui tradiderunt? &c. ca. 28. & 29.

Nec omittendum *fidem*, pro qua certandum docet, non tantum significare assensum intellectus in sacris dogmatibus credendis: sed etiam hîc sumi pro eius ornamentis & fructibus, id est, bonis ac sanctis operibus; vt accommodata ad propositum sequentia argumenta satis indicant; & vox *sanctis*, de qua mox dicemus, amplissimè manifestat. Enimuerò paulo post, docet Apostolus à superbia & apostasia malorum angelorum abhorrendum; & longè longius fugiendum à luxu Sodomæorum, homicidio Caini, Balaami auaritia, rebellione Core, similibusque peccatis lethalibus; econtrario verò pijs & incorruptis moribus studendum esse: quæ omnia ad fidei Christianæ fructus, ac bonorum operum præcepta pertinere nemo negare potest. Tractat igitur hoc loco B. Iudas de fide illa, quæ iuxta Paulum, *per caritatē operatur*: non de ea quæ secundùm alium Gal. 5. Iac. 2.

Rom. 2. Apostolum, operum expers, *mortua est*. Siquidem omnium Apostolorum consensu, *Auditores legis non iustificantur apud Deū, sed factores*, debent enim veri Christiani *dignè Deo ambulare, dignè Euangelio incedere*. Abundare in omne opus bonum. Promittere pietatem per opera bona. *Diuites fieri in bonis operibus &c.* Toto igitur cœlo aberrāt, & omni doctrinæ Apostolicæ sese opponunt hæretici, qui & solam fidem ad iustitiam salutemq; sufficere autumant: & iustos sanctosq; in omni opere bono mortaliter peccare nec timent nec verentur prædicare.

Coloss. 1. Philip. 1. 2. Cor. 9. Eph. 2. 1. Tim. 2.

Sed qui qualesue sunt *Sancti* illi, quibus fidem semel traditam dicit? Num alius sanctus à Christo, qui peculiari priuilegio *Sanctus*, imò & *Sanctus sanctorum* passim in sacris appellatur? Respondeo, quoniam diuina clementia homines ad fidem, spem, & caritatem in Christum defigendam, & per sacramentorum perceptionem vocantur & à prophanis separantur, vt Deo inhærentes, illius sanctitatis & gratiæ sint participes; etiam ipsi communi Apostolorum voce *Sancti* nominantur. Hinc Paulus vim sanctificandi seruos ac discipulos suos Christo tribuēs dicit, *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes*, nimirum Deo patre filij sunt: ille per naturam, alij per adoptionis gratiā. Et postea: *In qua volūtate* (Patris gratāter Filij incarnationē & passionē suscipientis) *sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel*: Item.

Luc. 1. 1. Io. 2. Dan. 9. Apoc. 3. Heb. 7.

Heb. 2.

Heb. 10.

Iesus

Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est, &c. Igitur sanctorum nomine vetus Ecclesia Christianos omnes comprehendebat, velut Deo Patri per Christum separatos, sanctificatos, & consecratos, vt tam ex hoc loco, quàm ex plurimis Pauli, Petri, & Ioannis epistolarum testimonijs cuique peruium est. Hinc apud Tertullianum, sanctæ fœminæ, permisit sanctis nubere, carnis sanctæ, id est, Christianæ. Ex Ambrosij, Augustini, Hieronymi, & aliorum veterum monumentis facilè colligitur multis sęculis Christianos vocatos fuisse Sanctos; Episcopos eorum Sanctissimos & Beatissimos: quos titulos adhuc etiam nunc retinet Romanus Pontifex. Heb. 13. Tertul. lib. 2. & 2. ad vxo rem.

Adserens postremò veram religionem ac *fidem traditam esse sanctis*, subindicat hoc Dei beneficium, nec omnibus nec passim datum esse: sed tantùm his, quos æterna præscientia sua illius dignos Deus noster agnoscit, seque illius reddunt capaces. Hinc Christus patris sui miratur iudicium, quo abscondit secreta regni sui ac religionis euangelicæ mysteria à sapientibus & prudentibus filijs huius sæculi, reuelauit autem paruulis. Paulus quoque scribit: *Non omnium est fides*: quoniam tantus thesaurus non obuius est cunctis. Et alibi: *Non omnes obediunt Euangelio*, quandoquidem adhuc cernimus Turcas, Tartaros, Iudæos, Ethnicos, id est, maiorem huius mundi partem aduersus Christum bellum gerere. Fatetur idem rursum Apostolus, Euangelium *opertum* Matth. 11. 2. Thess. 3. Rom. 10. 2. Cor. 4.

esse in ijs qui pereunt: in quibus Deus huius saculi (i. diabolus) *excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Christi.* Lucas quoque in Actis, recitata Pauli concione ad Iudæos & gentiles, postea subijcit: *Audientes gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati à Deo.* Quia ergo non oēs erant præordinati, non omnes crediderūt: aut certè istud temerè addidisset Euangelista, quod nemo Christianus vnquam dicturus est. Sequitur apostolica narratio.

Actor. 13.

---

4. *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudiciū) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*

HIC potest constitui quarta pars huius Epistolæ, videlicet CONFIRMATIO principis propositionis, quam varijs argumentis & exemplis longè lateque persequitur. Aut certè NARRATIO erit, qua causas exponit, cur pijs viris colluctandū sit pro fide retinenda & exornanda: simulq; plurimas notas designat, quibus hæresiarchę ac impostores deprehendi possunt. Auspicatur itaque confirmationem siue narrationem suam ab imminenti ac præsenti periculo, dicens: Meritò vobis continuò vigilandum & velut in acie standum est Fratres, quoniam instat religionis & animarum vestrarum periculum, iam Hannibal ad portas, iam in castra hostis irrupit, iam spar-

sum

ſum eſt venenum. Futura pericula eò leuiora videntur, quod *nondum* vrgeant, & ſpes quædam reponatur in mora: ſed præſentia mala difficillima & acerbiſſima ſunt. Vobis quidem purè ſyncereque Euangelicam doctrinam, cui innititur fides & ſalus, tradiderunt ſanctiſſimi Apoſtoli & diſcipuli Chriſti: verũ, paulò poſt emerſerunt quidam neſcio qui aut vnde, certum autem quod impij in Deum, & peſtiferi in proximos: nec à Deo miſſi, ſed potius à Satana patre tenebrarum dolosè & malitiosè introducti: qui prætextu veritatis, euangelij, & defecatæ religionis, diabolica mendacia ſeminant, euulgant, & cum incredibili animarum iactura cunctis perſuadere nituntur. Hos porrò vt omnino fugiatis, & ab eorum erroribus abhorreatis, per notas ſuas velut certiſſima ſigna nunc nunc palàm graphiceque deſcribam & manifeſtabo.

Primùm enim παρεισέδυσαν, obiter introierunt, latenter irrepſerunt, & quaſi aliud agendo ingreſſi ſunt inter vos: *ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes*. *Subintroierunt* neque mediatè neque immediatè à Deo vocati vel miſſi: ſed propria temeritate docendi officium vſurpantes, ſicut pſeudoprophetæ, de quibus Dominus conqueritur: *Currebam, & non mittebam eos. Subintroierunt* non vt legitimi paſtores & doctores per oſtium ouilis: ſed per feneſtram aut perfoſſum murum, vt fures & latrones. *Subintroierunt* tecti pellibus ouium, id eſt, conficta manſuetudine; cùm reuera

2. Tim. 3.

Ierem. 23.

Ioan. 10.

Matth. 7.

ſint

sint lupi rapaces, &c. Hic ergo descriptam & assignatam habemus duplicem hæreticorũ & seductorum impietatis notam. Priorem in eo quod non legitimam habent vocationem, sed eam sibi temere vsurpant: posteriorem, quod fraudibus & dolis vtantur, vt imprudentibus imponant, incautosque circumueniant.

Quod ad priorem spectat, certè illud ius ac statutum diuinum violant ac interuertũt, quo decretum est, vt nemo ex officio prædicet, nisi mittatur, ab his nimirum quibus ea potestas à Deo credita est, scilicet beati Petri in primis, deinde aliorum per orbem Apostolorum successoribus. *Nec quisquam*, ait Spiritus sanctus, *sumit sibi honorem*, id est honorificum sacerdotij Christiani munus, quod est, ex officio docere, sacrificare, sacramenta dispensare, nemo sua sibi authoritate arroget; *sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: quem Dominus per Mosem ad sacerdotij officiũ consecrauit. Hoc idem exemplo Christi confirmans subijcit. *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret*, id est, non à semetipso sibi pontificatum vendicauit: *sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, &c. Tu es sacerdos in æternum.* Expectauit namque vt priuatus aliquis homo, vsq; ad trigesimum ætatis suæ annum; nec docendi, baptizandi, Ecclesiam colligendi, ac redimendi genus humanum officium antea cœpit exercere, quàm à Patre vocaretur, sibiq́ue diceretur de cælo, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hunc audite.* Istis enim cælestibus ac diui-

Rom. 10.
Hebr. 5.
Exod. 28.
Hebr. 5.
Psalm. 2. & 109.
Matth. 3. Luc. 3. Marc. 11.

diuinis verbis inauguratus, declaratus, & constitutus est totius mundi pastor & doctor.

Sic & veteris legis pontifices, sacerdotes, leuitæ, ac prophetę, non nisi à Deo vocati & missi munus sacrum obierunt. Apostoli quoque ac discipuli noui testamenti doctores & sacerdotes, tempus vocationis suæ cum omni reuerentia & moderatione expectauerunt, videlicet, vt Christus eis diceret: *ite, ecce ego mitto vos. Misit eos pradicare regnum Dei, & sanare infirmos.* Et rursum. *Ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Eũtes docete oẽs gentes, baptizãtes eos, &c. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimũ terræ, &c.* Vnde & hãc suam vocationẽ & legitimam missionẽ palam allegant, & cõstanter omnib. proponũt & obijciunt in sui ministerij ac officij legitimum testimoniũ, dicẽtes obstantibus: *Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quã Deũ, iudicate. Obedire oportet, Deo magis quàm hominibus. Præcepit nobis pradicare populo, & testificari, quia ipse* (Christus) *est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.*

Luc. 9. & 10. Matth. 10. Ioan. 20. Matth. 28. Mar. 16. Actor. 1. Actor. 4. Actor. 5. Actor. 10.

Quid autem huic Apostolicæ moderationi ac regulæ, aut simile aut affine omnes omnium sæculorum pseudoprophetæ ac hæresiarchæ vnquam habuerunt? Aut quæ illorum vocatio atque missio? Non alia planè quàm Pseudoprophetarum, qui, vt attigimus, currebant, & Dominus non mittebat eos: pro suggestu ingeminabant, *Hæc dicit Dominus, & Dominus non fuerat locutus ad eos.* A quibus Apostolis, vel

Ieremi. 23. 27. & 29.

Apo-

Apostolicis viris Simon magus, Cerinthus, Ebion, Menander, Cerdõ, Valẽtinus, Marcion, aut alij veterum hæreseon patroni missi fuerunt? Cuius Episcopi ordinatione Manichæus, Arius, Macedonius, Pelagius, Donatus, Iouinianus, Vigilantius, Zizania sua in agro dominico dissemināruntAut cuius Apostolici viri authoritate, Caluinus, Beza, Farellus, viri omnino profani, sacrorum in Ecclesia ministerium vsurpauerunt? Quibus legitimis pastorib. successerunt? Edant origines (liceat mihi eos Tertulliani verbis conuenire) suarum Ecclesiarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & anteces sorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos (id est, dignitates) deferunt, &c. Et aliquanto post, hisce verbis suæ tempestatis hæresiarchas compellat, & tanquam rerũ alienarum inuasores coarguit. Qui estis? quãdo, & vnde veni stis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure syluam meã cædis? qua licentia Valentine, fontes meos transuertis? qua potestate Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, &cæt. Hæc ille: quæ si solum nomina impostorum commutaueris, de huius æui hæresiarchis scripta esse facile iudices: cùm præser-

Tertul. lib. præscap. 32.

cap. 37.

præsertim ipsimet palàm confessi sint, *se nullo iure ordinario vocatos aut missos esse ad ministerium verbi aut sacramentorum.* Ex quibus manifestum est, illos non introisse per ostium in ouile, vt pastores; sed *subintroijsse*, vt beatus Iudas loquitur: & ascendisse aliunde vt instar latronum furarentur, mactarent, & perderent, vt est in Euangelio.

Beza in colloq. Pyssiacens.

Ioan. 10.

Secunda impostorum ac hæresiarcharum nota in eo signatur, quod non apertè, simpliciter, & candidè, vt olim veri Prophetæ, Apostoli, horumque successores; ministerium docendi initio capessunt: sed obliqua, furtiua, atque clanculari insinuatione seipsos ingerunt, ac more serpentum sub herbarum virore latenter repunt & inuadunt; non prius in lucem erumpentes quàm multitudine ac viribus sese prævalere senserint. Fucum etiam faciunt, cùm simulant se nihil nisi veritatem de tenebris eruere, nihil nisi purum verbum Dei nunciare, nihil nisi Ecclesiæ antiquum splendorem instaurare, nihil nisi quandam reformationem moliri velle, Deum hominesque contestantur: cùm tamen reipsa, nihil nisi veterum hæreticorum blasphemias nouis pigmentis adornatas, nouisque alijs blasphemijs auctas inuehant; ac Ecclesiam & rempublicam Christianam prius à se miserè deformatam, nouis Neronibus, Diocletianis, Iulianis, & Valentibus lacerandam, & funditus (ni Deus auerteret) opprimendam, & delendam nefariè prodant. Idcirco in sacris literis comparantur cum lupis vespertinis;

Habac. ca. 1.

tinsi; id est, qui deficiente luce, & suborientib. tenebris, quibus insidiantur. Et Christus horum fraudem & immanitatem retegens, simulque cauendos illos admonẽs ait: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Ad eosdem pertinet parabola, de inimico homine, qui dormientibus seruis patris familias, seminauit zizania in medio tritici: Iisdem de causis Apostolus appellat eos, *operarios subdolos, pseudoapostolos, falsos fratres, transfiguratos in Apostolos Christi, & angelos tenebrarum trãsformatos in angelos lucis.* Denique, *per dulces sermones* (inquit) *& benedictiones seducunt corda innocentium.*

Matth. 7.

Matth. 13.

2. Cor. 11.

Rom. 16.

His subiungamus quorundam veterum Patrum de hac hæresiarcharum nota, querelas atque testimonia. Augustinus in primis citata vulpiũ Samsonis historia, de fraudibus hæreticorum ita scribit. Vulpes, insidiosos, maximeque dolosos hæreticos significant, fraudulentos, cauernosis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes. Istæ vulpes significãtur in Cãticis vbi dicitur; *Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas.* Ambrosius quoque hæreticorum dolos vulpium atque luporum nominibus in sacris expressos esse, his adfirmat. In specie vulpium hæreticos significari expressimus: qui promittunt nomine quòd Christum sequantur, sed studio fraudis abiurant. Hos non suscipit Dominus, sed à suo nido arcet & prohibet. Lupi autem quid significare videantur debemus aduerte-

August. in Psalm. 80. Iud. 15.

Cant. 2. Ambr. in ca 10. Luc. & Tren. lib. 3. c. 18.

uertere. Bestiæ sunt quæ insidiantur ouilibus, circa pastorales versantur casas, habitaculæ domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastorum explorant, ouium guttur inuadunt vt citò strangulent, feri sunt & rapaces, &c. Nonne istis lupis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quàm diurno? &c.

Irenæus quoque appositissimis similibus eorundem fraudes describit & aperit. Primò, impostorum, qui vitrum studiosè elaboratum imprudentibus pro smaragdo, aut alio lapide pretioso vendunt. Secundò, nebulonum, qui à Regis speciosa imagine detractas gemmas turpis canis aut vulpeculæ simulacro adaptarent, hocque idiotis pro Rege ostentarent. Tertiò, rhapsodorum, qui Homerocentonas compingunt ad quam voluerint confingere quæstionem. Quartò, immanium ferarum, ex sylluis, in quibus ad tempus latent, erumpentium & multos vastantium. Quintò, venatorum, qui per assuetas escas & pabula blandiuntur animalibus aut auiculis, vt ea captiua quò voluerint per vim abducant. Sextò, serpentis, qui Euam seduxit, promittens ei quod ipse non habebat. Septimò, staruæ ex vili luto factæ, coloratæ autem superficie, vt putetur aurea, quæ verè est lutea. Octauò, miscentium gypsum (quod præsens venenum continet) cum lacte, vt per similitudinem coloris seducant, & interficiant, &c.

Iren. præfat. in lib. 1. Idē lib. 1. cap. 1.

Lib. 1. ca. 35.

Lib. 2. ca. 19.

Præfat. in lib. 4.

Lib. 2. c. 34.

Lib. 3. c. 19.

De ijsdem hæreticorum fallacijs Ignatius martyr quoque scribit. Sunt quidam mentis

Ign. epist. ad Trallian.

seductores; non Christiani, sed Christum mercantes, in fraudem circumferentes nomen Christi, & cauponantes verbum Euangelij, & erroris venenum blando alloquio implicantes; tanquam mulso cicutam temperantes, vt qui biberit, dulcissimi saporis gustatu deceptus incautè morte transfigatur, &c. Atque hæ sunt hæresiarcharum fraudes & doli, quibus viam sibi parant & muniunt ad subuertendam imbecillium fidem: aduersus quorum artes pro eadem retinenda & confirmanda super certandum docet hic noster Apostolus. Pergamus porrò singulorum verborum latentem emphasim, simulq; in his comprehensas hæresiarcharum notas inquirere atque describere.

Ad hanc quoque fraudem, planeque vulpinam & lupinam malitiam pertinet, quod vel confictis alienisque nominibus semetipsos quales sint dissimulant, vel anonymis mellitisq; initio libellulis, quos in vulgꝰ dispergũt, illud à vera fide pietateque ad hæreses suas transferre nituntur. Ac vt quod de Manete, Ario, Auxentio, & alijs veteribus pestiferis hæresiarchis tradiderunt maiores, prætereamus; de Caluinianorum dolis pauca tantùm subnecto. Institutionem Caluini vidimus editam 1554. nomine ALCVINI, præceptoris quondam Caroli Magni, vt hoc nomine venenum latens tutius spargeretur. Extant Buceri commentaria in Psalmos fictitio nomine Felini & Aretini. Vidimus duas homilias de negotio Sacramentario editas à Beza titulo Nathanaëlis Neselij. Catechismus Geneuanorum passim obuius est, sine Authoris aut Typographi nomi-

nominibus. Prodierunt à paucis annis sine vllius Authoris titulo, vel supposititio & falso, impij libri Sacramentariorũ, *Consensus orthodoxus de sententia verborum Cœnæ Domini: Breuis & necessaria responsio. &cæt. Ratio ineundæ concordiæ, &c. Commonefactio cuiusdam Theologi, &cæt. Harmonia de capitibus doctrinæ Christianæ, &c. Confessio Gallicarũ Ecclesiarum, &c. Excitatorium matutinũ, &c. Abolitio Missæ. Diallactus. Philophilus. Franciscus Aspastes. Angelus Masarellus. Adamus Christianus. Abdias Liberinus. Simon Simonius, &c.* Alios absque numero huiusmodi prætereo, quibus istæ bestiæ lucifugæ suas in Deum blasphemias, suos pasquillos & libellos famosos, sua deniq; in pios omnes probra & conuitia publicare sunt consueti. His porrò artibus nunquam vsi sunt serui Dei Prophetæ, nunquam Apostoli ac Euangelistæ, nunquam Ecclesiæ Christi Martyres & Patres sancti. Eiusmodi namque Neministica scripta nullam ingenuitatem, nullũ animi candorem, aut Dei timorẽ resipiunt: sed spiritum tenebrarum, nequitiæ, maledicentiæ, & infrænis impietatis. Horum authores etiam humanis legibus sunt infames, & deprehensi capite plectendi. Hos sanè describit, simulq; abominatur S. Spiritus, cùm per Dauidem ait: *Sepulcrum patens* (quod horrendũ exhalat) *est guttur eorũ, linguis suis dolosè agebant*, &c. Psal. 5. & 13. *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum suum vt sagittent in occultis*, &c. Psal. 63. *Acuerunt linguas suas sicut serpẽtes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Psalm. 139. &c.

Cod. de famos. lib. Itẽ lib. 13. falsi. Digest. ad leg. Corneliam. Et 5. q. 1. Cano. Hi qui inuenti.

Sequitur tertia seductorum nota: *quidam homines.* Videlicet, prius obscuri,& nulla virtute, nullisque rebus præclarè gestis celebres: sed solis erroribus, vitijs, maleficijs, ac blasphemis hæresibus nobilitati. *Homines quidam* indigni, qui in sacris libris ac conuentibus nominentur: quorum nomina non sunt scripta in cælis: quibusque dicturus est Christus: *Non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis.* *Matth.7.* *Quidam homines* particulares ac priuati, qui ab vniuersa Ecclesia Christi separati, abiecti, & damnati, alios in eandem perditionis nassam pertrahere nituntur. Veri quidem simile est istos ab Apostolo cognitos fuisse nominatim, qui volens abstinuerit à nominibus illorum, vt non solùm ab illis quibusdam pij viri sibi cauerent; sed ab vniuersis simul hæreseon ministris & fautoribus, qui quouismodo religionem Christianam labefactant.

Sed dispiciamus quo nam pacto veteribus ac nouis hæresiarchis ista *Obscuritatis* nota tertia conuenerit. Quis qualisve initio fuit rogo, Simon magus omnium hæreticorum parens, quàm vilis Samarita, præstigiator, homicida, scortator, rapax, omnis pietatis expers, artibus magicis deditus, & impurum cacodæmonis mancipium ac ludibrium? Et de Menandro Iustinus martyr scribit: Menandrum quendam etiam Samaritanum, ex vico Cappareæa, qui Simonis discipulus fuit, à dæmonibus etiam impulsum, Antiochiæ cùm esset, multos in errorem arte magi-

clemen. Iustin. Irenæus. Tertull.

Iust. Apol. 2.

magica induxisse scimus, &cæt. Saturninum, Basilidem, Marcum, & Carpocratem, non nisi scortationibus, & dæmonum præstigijs innotuisse mundo Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, & Theodoretus scriptis testantur: Ebionem iuxta nominis sui Hebraicum etymon, inopem & mendicum homuncionem Eusebius & Epiphanius vocitant. Cerdon Simonis magi discipulorum discipulus fuit. Marcionis scelera & impuritates Tertullianus quinque libris graphicè descripsit.

Nouati facinora ista Cyprianus martyr refert: Nouatus rerum nouarum semper cupidus, rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus; semper isthic (in Africa) Episcopis malè cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium sacerdotum voce damnatus, curiosus semper vt prodat, ad hoc adulatur vt fallat, nunquam fidelis vt diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus. Et paulò post: Spoliati ab illo populi, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ; has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conspicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Vterus vxoris calce percussus, & abortione properante, in parricidium partus expressus, &c. *Cypria. lib. 2. epist. 8. quæ est ad Cornelium.*

Paulus Samosatenus pauperibus ortus parentibus, egens etiam ipse, ad summas diuitias, vt est apud Eusebium ac Epiphanium, *Euseb. lib. 7. hist. c. 26.*

sacrilegijs, fraudibus, rapinis, & perfidia peruenit. Manes, à quo Manichæi, initio Curbicus vocatus est, conditione seruus empticius, Regis Persarum filiũ à morbo lethali magicis cantionibus sanare tentãs extinxit. Quam ob rem tandem comprehensus, viuus excoriatus est: & corpus quidem bestijs deuorandum traditum; cutis verò fœno plena ad portas vrbis regiæ suspensa.

Cyril. Ieros. Catech. 6.

Atque hæc de veterum hæresiarcharum contempta & abiecta origine: quibus si addas Lutherum, Bucerum, Oecolampadium, Munsterum, Pellicanum, Pomeranum, Vermilium ex despicatissimis & contemptissimis mendicis, & votisfragis monachis impiarum sectarum duces & principes isto sæculo euasisse; eandem impietatis imaginem, & parem vitæ conditionem in vtrisque comperies. Iure igitur inter notas hæreticorum recenset beatus Iudas, quòd sint *quidam homines*, id est, sordidissimi, ac nullo numero.

Quarta nota est, quòd sint *homines impij*, qui in animis suis nec Deum timent, nec homines verentur; quicquid externis signis coram mundo è contrario confingant. Sunt *impij*, ἀσεβεῖς, id est, vacui omni pietatis studio, & contemptus diuini numinis pleni. Sunt *impij*, id est, non solùm simplices Christianos conscelerate & infamis vitæ exemplis corrumpunt & scandalizant: verùm etiam de vnius veri & summi Dei natura, omnipotentia, bonitate, iustitia, cæterisque perfectionibus ac operibus eius, peruersè ac nefa-

nefariè sentiunt, scribunt, concionantur, vt fidem Catholicam penitus subuertant. Sunt *impij*, quia dicunt in cordibus suis, *Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Sunt *impij*, quoniã etsi verbis aliquando fateãtur se nosse Deũ, factis tamen negant, quãdo omnẽ pietatem de medio tollunt. Huiusmodi reipsa tunc fuit Simon magus, qui incredibili impietate sese inter Samaritanos Deum patrem, inter Iudæos Filium, inter gentes Spiritum sanctum esse venditabat, sicut de eo in scriptis Iustinus & Irenæus martyr, item Eusebius ac Epiphanius reliquerunt. Cerdon & Marcion duos diuersos deos, Valentiniani triginta, alij Gnostici trecentos sexaginta quinque fingentes ac prædicantes, reapse in vnum & verum Deum erant *impij*. An non de istiusmodi impijs rectè vereque Paulus scripsisse tibi videtur: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati, incredduli, & ad omne opus bonum reprobi?*

Psalm. 13.

Tit. 1.

Iustin.
Irenæus.
Tertull.

Tit. 1.

Quid? An non etiam iuxta hanc hæreticorum notam, *homines impij* in Deum tibi videntur Caluiniani, quando illius omnipotentiæ palàm detrahunt; auctorem causamque omnium peccatorum esse vociferantur; Essentiam diuinam in tribus personis realiter distinctam autumant; sanctissimam Trinitatem nec adorandam nec inuocandam volunt; quinimò eius, & personarum consubstantialium & coæternarum

nomina sepulta esse cupere se palam scribunt & prædicant? Deinde, communem omnium hominum ignorantiam Christo filio Dei tribuentes, ac eundem de salute propria desperantem, ira Dei percussum, & vniuersa damnatorum supplicia in corpore & animo perferentem confingentes, nonne in Deum planè sunt *homines impij* ac blasphemi? At de his copiosius differuimus iam in Dialogis, postea quoque hic suis locis adhuc sumus dicturi.

Addit Apostolus; *qui olim præscripti sunt in hoc iudicium*, quibus quintam hæresiarcharum notam exprimit. Ea verò est, quòd non solùm æterna præscientia sua Deus eos ad hoc impietatis facinus, & subsequuturæ postmodum damnationis iudicium miserabiliter deuenturos cognouerit; verùm etiam per veteres suos Prophetas eosdem prorsus venturos, & Ecclesiam ac fidem turbaturos, tandemq; in æternum perituros olim reuelauerit. Sensus ergo huiusmodi erit. Aduentus tot impostorum, ac impietas eorum animos vestros nihil commoueat, nihilque perturbet, aut reuocet à constantia fidei ac religionis Christianæ, ceu res noua, vel Deo aut prophetis eius ignota. Hoc enim iam dudum præuisum & cognitũ fuit Deo, cui omnia futura præsentia sunt: quiq; ob præscita impiorum scelera eosdem iusto iudicio suo reprobat, & sempiternis supplicijs adiudicat & damnat. Insuper, & hoc futurum rebus ipsis adumbrauerunt quotquot aduersus antiquũ populum

Dei

Dei insurrexerũt pseudophetæ, magi ac persecutores: & clarissimis verbis aduersus Messiã & regnum eius (quod est Ecclesia Christiana) insurrecturos prophetæ prædicauerunt & significauerunt. Cùm itaque Deus optimus maximus huiusmodi hostes suos & vestros venturos prænouerit, simulque prænunciauerit, & pro sceleribus æternæ morti adiudicauerit, à vobis sunt potius cauendi & fugiendi, quã mirandi aut suscipiendi.

Ex his porrò tres in primis Caluinianorum hæreses aut potius damnabiles blasphemiæ, sunt à nobis refellendæ. Prima est, qua *negant Deum habere simplicem futurorũ malorum præscientiam*, eoque multis cõuitijs lacessunt qui eam ex sacris literis & patribus adfirmant & probant. Contrà verò, ijdem cum Caluino suo suis se gladijs confodientes, fatẽtur, Deum cùm Adamum crearet, præsciuisse cuncta quæ illi euentura erant: itemque, præsciuisse in eius lapsu totius posteritatis eius ruinam. Ergo simplex ac æterna est in eo hominũ infidelitatis, superbiæ, defectionis & aliorum scelerum præscientia. Deinde, quis inficiabitur eum præsciuisse Serpentem sua malitia Euam ad esum fructus vetiti pellecturum; aut malos angelos à suis sedibus propter superbiam & inuidiam, in tartarum præcipitandos? Sed ne in re tam manifesta simus prolixiores, certissimũ ac manifestissimum est, illum prænouisse non solũ diluuium, Sodomæorum immania scelera & Aegyptiorum excidium, Iudæ proditionem, Petri negationem, Apostolorum scandalum; Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis, ac Iudæorum in

Cal. Instit. l. 2. c. 16 sect. 4. & lib. 3. c. 4. sect. 3. & l. 3. c. 23. sect. 6. Li. 3 c. 21. sect 4 & c 23. sect. 7. ibid.

admittēda nece Christi multiplicia & grauiſſima ſcelera; verùm & tot miſeriarum atq; iniquitatum humanarum ſingulas cauſas atq; conditiones; cùm hæc antequam contingerent diſertè reuelauerit atq; prædixerit. Denique Paulus apertis verbis docens, Deum hos tempore ſuo vocaſſe & glorificaſſe, quos ab æterno præſciuit: Petruſq; adfirmans, Chriſtum conſilio & præſcientia Patris in mortem traditum: & re, & nomine diuinam Præſcientiam confirmant.

Rom.8.

Act.2.
1.Pet.1.

Secunda hæreſis eſt, *Deum non ſolum permittere; ſed etiam efficaciter velle, ordinare, decernere, imò etiam immittere in populum ſuum ſeductores, hæreſiarchas, ac omnium impietatum miniſtros, qui illum ſuis erroribus abducant à vera fide, & excæcatum perdant in æternum.* At hac impietate Deus omnium mendaciorum, errorum, & blaſphemiarum author conſtitueretur: quod nihil aliud eſſet, quàm eum cum diabolo mendacij parente nefariè confundere & permiſcere. Inſuper, nullum eſſet diſcrimen inter verum & falſum, virtutē & vitium, pietatē & impietatem lucē, & tenebras, Chriſtū & Belial, Apoſtolos & impoſtores; quippe vnicam haberent cauſam & originem. Nullus præterea hæreticus, nullus apoſtata, nullus pſeudopropheta, nullus infidelis iuſtè damnaretur: quandoquidem id tantùm efficerent, quod ille vellet atque decerneret. Poſtremò, hæc impietas tot locis coarguitur & damnatur, quot docemur Deum eſſe naturā ſapientem, bonum, verum, iuſtum in verbis ſuis, & ſan-

Bucer. in 1. & 9. c. Rom. Cal. inſtit. l. 1. c. 18. ſect. 1. & 3 &c.

ſanctum in omnibus operibus ſuis: odio habere mendacium, & ab omni iniquitate abhorrere.

Tertia hæreſis eſt, *cum hac Dei ordinatione & voluntate nullum ſupereſſe hominibus liberum animi arbitrium, nullamque in rebus humanis contingentiam, ſed abſolutam ineuitabilemque neceſſitatem.* Ex quo ſequeretur nullum prorſus peccatum eſſe voluntarium, ſed abſolutæ neceſſitatis: quod Caluinus alibi pernegat. Deinde, manifeſtum eſt nec Adamum nec Euam vlla coactos neceſſitate mandatum diuinum præteriſſe, nec Cainum ad necem fratri inferendam, nec Sodomæos ad nefaria ſcelera, nec Lot ad conſtuprandas filias, nec Hebræos ad cultus variorū idolorum, nec Dauidem ad patrandum adulterium, nec Abſalonem ad parricidium, nec Iudam ad proditionem atque deſperationem à Deo coactos compulſosve fuiſſe. Hoc enim tam abſurdum, horribile, ac execrandum dictu eſſet, vt ab eo nullus nō poſſit ſummopere abhorrere. Nunquam ergo vel leuiter putandum, vel dicendum eſt beatū Apoſtolū Iudam præſenti loco velle Deū ſeductores & pſeudoprophetas, de quibus loquitur, aut deſtinaſſe, aut impulſiſſe conſilio ſuo vt populum ſuum erroribus faſcinent & perdant: ſed (vt in paraphraſi diximus) duntaxat iſtud ab omni æuo præuidiſſe, & ſuis vt ab illis diligenter cauerent, ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum reuelaſſe. Enimuerò, nec eos viros impios appellaret, nec tantorum ſcelerum coargueret atque damnā-

Cal. li. 3. inſt. c. 23. ſect. 8. & alijs locis quoties diſputat contra lib. arb.

De his ex profeſſo diſſeruimus Dialog. 2.

damnaret, si à Deo missos & inspiratos esse sibi persuasisset.

Superest ergo, vt ex præsenti hæresiarcharũ nota colligamus, Deum & præuidisse & prædixisse eos exorituros, qui suis flagitijs piorũ seruorum suorum exercerent pietatẽ, & sibi condemnationem sponte accerserent: adeo non ni si eius consilio probatur Ecclesia. Atque huc in primis pertinet insignis illa prædictio diuina, de perpetuis inimicitijs inter semen mulieris, quod est Christi Ecclesia; & semen serpentis, cuius nomine vniuersi satellites & ministri Satanæ comprehenduntur. Harum inimicitiarũ illustrissima continuò subijciuntur exempla in Caino, Cainitis, Gigantibus, Nemrod, Chaldæis, Sodomæis, Aegyptijs, cæterisq; seruorum Dei hostibus, qui nullas inducias pijs vnquam viris concesserunt, nec Deum colere ac inuocare cum omni libertate concesserunt. Daniel referens cruenta Nabuchodonozoris edicta aduersus eos, qui nollent idolum suum colere; quatuor terrificas & vastatrices belluas pugnantes in mari magno; deniq; Antiochi figura describens bella cruentissima, quibus Antichristus Ecclesiã Christi laceraturus est: procul dubio de Turcis ac hæreticis postremis illius hostibus vaticinatur.

Gen. 3.

Dan. 7. 9. 10. 11.

Quot etiam pseudoprophetæ, Baalistæ, Magi, Sadducæi priscæ Synagogæ fuerunt quondam infesti; tot hæresiarchas Ecclesiam olim impugnaturos designauerunt, vt his verbis Petrus subindicat: *Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Consentit & Paulus

2. Pet. 2.

lus de suæ tempestatis seductoribus dicens: *Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, &c.* 2.Tim.3. falluntur ergo illi, falluntur profectò, qui putant Lutheranorum, Caluinianorum, Anabaptistarum, similiumq; hæreticorum aduentũ, progressumq; non esse in scripturis prædictum & significatum: cùm non solùm Prophetæ & Apostoli, vti perstrinximus, tã apertè sint vaticinati, verùm & ipsemet Christus de ijsdem prędixerit: *Venient ad vos in vestimentis ouium, &c.* Item: Matth. 7. *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus: & multos seducent. Surgẽt pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Matth. 24. An non quoque ad eos manifestè pertinet hæc Pauli prædictio, *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidã à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ &c.*? 1.Tim ca. 4. Ergo *præscripti*, id est, à Deo præuisi, prædicti imò, & permissi sunt venire: sed vt eos omni diligentia caueamus & fugiamus, nec semel nec perfunctoriè monemur.

Sed quorsum dicet aliquis, à Deo venire finuntur, & non potius efficaciter præpediũtur? Respondet Augustinus: Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorũ callida inquietudine exagitãtur, vt aduersus eos defendi possint; & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur: & Aug. l. 16. de ciuit. cap. 2.

ab

ab aduersario mota quęstio, discendi exiſtit oc casio. Eiuſdem rei plurima ab eodem referuntur exempla his verbis. Nunquid perfectè tractatum eſt de Trinitate, antequam oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Nouatiani? Sic non perfectè de Baptiſmate tractatum eſt antequàm contradicerent rebaptizatores: nec de ipſa vnitate Chriſti enucleatè dicta erant quæ dicta ſunt, niſi poſtea quàm ſeparatio illa (Donatiſtarũ) vrgere cœpit fratres infirmos. Et alibi rurſum: Quàm multi (ait) ſcripturarũ ſanctarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinũ, quàm multi de homine Chriſto contra Manichæum, quàm multi de Trinitate contra Sabellium, quàm multi de vnitate Trinitatis contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos: quàm multi de Catholica Eccleſia toto orbe diffuſa aduerſus Donatiſtas: quàm multi contra cæteros hæreticos: quorum tamẽ ſenſum probati aſſertores aut prorſus laterẽt, aut non ita eminerent, vt eos eminere fecerunt ſuperborum contradictiones? Addit denique: Improbatio hæreticorũ facit eminere, Domine, quid Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana doctrina, &c. Habes ergo ex ſagaciſſimi patris iudicio, hęreticorũ cõtradictiones prodeſſe (tametſi per accidens, & ex Dei altiſſima prouidẽtia, non eorũ ſuperbia vel malitia) Eccleſię; videlicet, vt excitato doctorũ ac paſtorum eius langore & ſopore, Scripturarũ reconditos ſenſus diligẽtius inquirant, clarius explicẽt, inſtantiuſq; cũ ad Dei cultũ aſſerendũ, tum ad animos piorũ in vera pietate cõſtantius retinẽdos & confirmandos prędicent. Ad-

In pſal. 54.

In pſal. 67.

Lib. 7. Confeſſ. c. 19.

Adfert & aliam hæreſeon vtilitatem alibi dicens: Sunt innumerabiles in Eccleſia ſancta Deo probati viri, ſed manifeſti non fiunt inter nos quandiu imperitiæ noſtræ tenebris delecta ti, dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. Quapropter multi vt diē Dei videant, & gaudeant, & Eccleſiæ manifeſti fiant, per hæreticos de ſomno excitantur. Ideo ſcribit Apoſtolus: *Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos*, vt vtamur iſto diuinæ prouidentiæ beneficio. Concludit autem pro nobis idem Auguſtinus. Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt Catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiam ſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus, &c. *Lib. de vera religion. c. 6.* 1. Cor. 11.

Habes denique ex hac Impoſtorum nota, quæ ſit eorū, & cunctorum hæreticorū pro concionum, ſcriptorum, vigiliarum ſuarū laboribus in oppugnanda Chriſti Eccleſia catholica mercesatq; retributio: nimirum, *præſcriptum eſſe in iudicium ſempiternæ vltionis atque damnationis.* Exempla præceſſerunt in Pharaone, & magis eius: in Dathan, Core, Abiron, Baaliſtis, Iuda, Nicolao, Simone, Cerintho, Manete, Ario, & ſimilibus: de quibus iure dici poteſt, quod de perfido & Apoſtata proditore ſuo Chriſtus protulit: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Firmiſsimè tene, inquit Auguſtinus, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum vel ſchiſmaticum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Catholicæ Matth 26. *Aug. l. de fide ad Petr. cap. 39.*

Eccle-

Ecclesiæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Et idem alibi istud confirmat ex hoc Pauli testimonio: *Si distribuero facultates meas in cibum pauperum, & tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Consentit & Hieronymus dicens: Possumus dicere, quod seruus qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam, vapulabit multis: & quod hæretici foris nefanda cõmittant, & extra arcam Noe naufragio pereant, &c. Et quis ambigere potest, omnem hæresim sempiternæ gehennæ dignam esse, audiens Paulum Satanæ tradere plectendos hæreticos: Petrumq; testificantem eos, sectas introducere perditionis, superinducentes sibi celerem perditionẽ? Aut quis inferorum æternis supplicijs dignissimos non pronũciabit eos, qui cum schismate, teterrimas hæreses coniungunt; quando Dathan, Core, & Abiron, duntaxat schismatici, descenderunt in infernum viuentes?

Lib. 4. de baptis. con. Don. c. 17. & Tract. 6. in Ioannem.
1. Cor. 13.
Hier. in c. 23 Ezech.
Luc. 12.
1. Tim. 1.
2. Petr. 2.
Num. 16.
Psal. 105.

Sequitur sexta pseudoprophetarum & hæresiarcharũ nota, à prauis eorũ studijs desumpta: *Dei*, inquit, *nostri gratiã transferentes in luxuriam.* Id est, quicquid ad lasciuiã & carnis voluptatem spectare viderint, quicquid hominum corruptorũ moribus adblandiri conspexerint, libertatis euangelicæ velamine prædicant, inculcant, & suadent, vt multos alliciant & trahant in suas partes. quasi dicat Apostolus. Iure à vobis, Carissimi, cauendos monui impostores ac seductores istos, quoniam

miris

miris modis sese incautis insinuant. Norunt enim ea, quæ à Deo vtiliter ordinata sunt inuertere, vt ex salutaribus, fiant damnabilia: rapere statim ad malum, quicquid ad bonum hominum institutum est. Libertatem spiritualem ac Euangelicam, qua Christus ab ira Patris, à peccatis, à tyrannide diaboli, & gehenna nos eripuit, transferunt in libertatem quiduis audendi & agendi secundùm voluptatem carnis. Caritatis sacro nomine, quarumlibet vxorum profanissimam communitatem operiunt: & propter nactam à Christo, & prædicatam à nobis remissionem peccatorum, putant omnem peccandi licentiam sibi datam & concessam esse. Prætextu libertatis Euangelicæ, omnem legem contemnunt, omnia tollunt iura, debitam pastoribus & parentibus obedientiam negant, Ecclesiæque decreta non solùm irrident, sed & incredibili impudentia damnant atq; præuaricantur.

His autem verbis triplex ostenditur hæreticæ malitiæ gradus. Primus est improbitatis, quòd in lasciuiam incumbunt, atq; libidinem effrænatã, quæ ἀσέλγεια dicitur. Est enim propriè ἀσέλγεια indefinens lasciuia, effœminata, cinædica, ea denique intemperantia, qua homo voluptatis omne genus venatur, colit, atque in eis diffluit: dicta ex ἀ intendentis significationis, & nomine *Selgæ*. Fuit autem *Selga* oppidum Cappadociæ, in finibus Cappadociæ & Galatiæ, cuius ciues luxus & perditionis nomine fuerunt infames, maximè quod sua ipsorum corpora contabefacerent eneruarentque mutuis libidinibus. Quamobrem vt vires a-

missas reciperent, neruosq; debilitatos confirmarent, inuenerunt oleum neruis vtile, quod de nomine illorum veteres appellauerunt *Selgiticū*. Hi ergo intemperantissimè viuētes, verbis & exemplis docebant licere impunè moechari, scortari, & quauis libidine seipsum commaculare; in hoc libertatem Christianam constituentes, si nullam relinquerent intactā. Contrà verò Apostolus testatur, Gratiam Dei saluatoris nostri omnibus hominibus apparuisse, *vt abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Et ad Galatas scribit: *Vos in libertatem vocati estis, Fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Beatus quoq; Zacharias docet finem aduentus Messiæ non esse, impuram ac profanam scortandi licentiam: sed *vt sine timore* seruili *de manu inimicorum nostrorum*, diaboli nimirum, peccati, mortis, & inferorum, *liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia*; viuentes sicut coram Deo *omnibus diebus nostris.* Petrus denique prædicat, nos vocatos esse à Sancto (id est, Christo, qui sanctus sanctorum dicitur) vt & ipsi in omni conuersatione sancti simus: quoniam scriptū est: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.*

Plinius lib. 15. cap 7. & lib. 23. ca. 4.

Tit. 2.

Galat. 5.

Luc. 1.

2. Petr. 1.

Daniel. 9.

Leuit. 11. & 19.

Secundus hæreticæ improbitatis gradus est, ingrati animi crimen: quo gratia Dei neglecta & contempta, impuras cupiditates suas eidem præferebant: malentes carnis voluptatibus indulgere, ac belluinam quandam vitam; quàm Christianā, id est, castam, innocentemq; viuere. Talis fuit ille omnium hæreticorū parens Simō magus,

magus, qui Helenæ meretriculæ suæ impuros complexus, cunctis Christi beneficijs antetulit. Hanc enim, vt amplissimus testis est Tertullianus, Tyriam, de loco libidinis publicæ, eadem pecunia, qua donum Spiritus sancti mercari tentauerat, redemit, dignã sibi mercedem pro Spiritu sancto. Hãc sibi quæstuariam fœminam cũ redemisset, ait Irenæus, secum circunducebat, dicens hanc esse primam mentis suæ conceptionem, matremq; omnium, &c. Quibus addit Epiphanius: Cùm natura lasciuus esset, in abscondito eidem scorto permiscebatur. Habemus ergo in Simone exemplum hominis transferentis gratiam Christi in luxuriam: quem imitati sunt hoc nostro sæculo, quotquot abiecta cucullã, vel sacerdotio, Catholicæ fidei nuntium remiserunt, vt Lutherana, Zuingliana, aut Caluiniana libertate ac indulgentia, nefarijs atq; incestuosis nuptijs sese cum impuris meretriculis commacularent. Sed de hæreticorum lasciuia paulo post fusius dicemus.

Tertull. lib. de anima, cã. 34.

Iren lib. 1. c. 20.

Epiph. cont. hæres. 21.

Tertius hæreticæ prauitatis gradus hic à beato Iuda notatur, quod non solùm Christi gratiam & humanæ redemptionis beneficium, tam gratiosè & liberaliter cunctis oblatum in Euangelio neglexerunt, suisque voluptatibus posthabuerunt: sed etiam eo pertraxerunt Christianam & Apostolicam doctrinam, vt per eandem impietates suas confirmare & approbare conarentur. Notum est ex Irenæi & Tertulliani scriptis Simonem, Cerinthum, Ebionẽ, Valentinum, & veteres Gnosticos deliria & figmenta sua, ex quibusdã Euãgelicis parabolis, & sententijs detortis pro viribus conatos esse adserere.

Iren. libr. 1. cap. 1. 10. 11. 12. 13. 15.

Non solùm ex literis Euangelicis & Apostolicis (ait Irenæus) tentant ostensiones facere, conuertentes interpretationes, & adulterantes expositiones: sed etiam ex lege & prophetis, cùm quando multæ parabolæ & allegoriæ sunt dictæ, & in multa trahi possint, ambiguum per expositionem propensius ad figmentum suum & dolos adaptantes, in captiuitatem ducunt à veritate eos, qui non firmam fidem in vnum Deū Patrem omnipotentem, & in vnum Iesum Christum Filium Dei conseruant. De eisdem quoque Tertullianus ait: Nihil mirum si ex Apostoli Pauli instrumento captentur (ab hæreticis aduersus resurrectionem carnis) argumenta, cùm oporteat hæreses esse; quæ esse non possent, si non & perperam scripturæ intelligi possent. Et rursum: Scripturas obtendunt hæretici, & hac sua audacia statim quosdam mouēt: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Ambrosius autem post Irenæum, comparat illos, cum his, qui gypsum aqua permiscent, vt lactis mentito colore incautis imponant & illudant. Insuper, & cum improbis furibus, quoniam verbum Dei non ad vtilitatem suam furantur & rapiunt: sed ad fraudem & patrocinium suarum impietatum. Hi sunt (subijciens) qui miscent aquam vino, tanquam caupones pessimi, adulterantes sermonem Dei. Concludit postremò, nec mirandum, nec à syncerita te fidei orthodoxę deficiendū esse, tametsi scripturas obtendant hæretici; quoniam & diabolus vsus est testimonijs scripturarum, non vt doceret, sed vt circunscriberet atque falle-

Lib. de resurr. car.

Lib. Præsc.

Amb. lib. de fide cont. Arr. cap. 1.

Origen. 8. in Psalm. 118. Isaiæ 1.

In cap. 4. Lucæ.

falleret, &c. Sed quod nunc ſumus polliciti, opere præſtemus.

DE VETERVM RECENTIVMque hæreticorum libidine, intemperantia, & impudicis moribus.

QVàm verè ſancteque aliquando dictum fuerit à Sapiente, *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. & : Qui ſe iungit meretricibus, erit nequam:* plus ſatis verum eſſe euincunt manifeſtantque non modò veterum ac recentium hæreſiarcharum exempla; verùm & quorundam illuſtrium atq; clarorum hominum (cuiuſmodi fuerunt poſteri Seth, Samſon, Salomon, & alij plurimi) horrendi per impurum fœminarum amorem lapſus, & horribiles caſus. Notum quoque eſt ex Moſe & Apoſtolo, viginti & tria Iſraëlitarum millia vno die cæſa eſſe, eò quod relicto veri Dei cultu, initiati fuerant Beel-Phegor Moabitarum idolo, vt filiarum eius ſtupris ac fornicationibus ſeſe oblectarent. Achab & Herodes impiarum fœminarum blanditijs deliniti, Deo & ſeruis eius cruentum bellum indixerunt.

Eccli. 19.
Geneſ. 6.
Iudic. 16.
3 Reg. 11.
Num 25.
1. Cor. 10.

Sed vt de hæreſiarcharum mulierоſitate tantùm dicamus, certè Petrus & Paulus ſcriptis ſuis indicant, notantque illos, fœdis libidinibus plurimum eſſe deditos. Ille cùm ſcribit: *Multi ſequentur eorum luxurias: poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant: voluptatem exiſtimant diei delitias coinquinationis & maculæ: delitijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti,*

2. Petr. 2.

2. Timoth. 3. Galat. 5. *licti, &c.* Ille verò, quando adserit eos, *voluptatum amatores esse magis quàm Dei:* & sectas numerat inter opera carnis: quibus appositè cõuenit, quod hîc dicit Beatus Iudas, illos *gratiam Dei nostri transferre in luxuriam.* Sed ad veterum Patrum testimonia properemus.

Ign epist. ad Trallian & ad Magnesian. Lib. de Præscript. cont. hær. 25. Lib. 1. ca. 27. Ignatius profectò iubens fugere immundos Nicolaitas, voluptatum amatores: alios quoq; appellans, mulierum corruptores, hæresiarcharum impuram conuersationem satis traducit. Insuper, Tertullianus ac Epiphanius tradunt; eundem Nicolaũ & sectatores eius, promiscuos mulierum concubitus, imò & obscœnas execrabilesq; permixtiones tum peregisse, tum docuisse: quod & Irenæus martyr subindicat scribens, nullam eos differentiam docuisse in mœchando; ideoq; iustè damnari à Spiritu diuino per Ioannis Apocalypsin, cùm dicit *Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarũ, quæ & ego odi.* Apoc. 2. De Simonis & Simonianorũ impudicitia paulò ante diximus. Carpocrati & manipularibus sub artes magicas, & philtra (id est pocula ad venerem incitantia,) & vitam luxuriosam Irenæus tribuit. Hæc velut explicans Clemens Alexan. scribit: Carpocratiani ad cœnas conuenientes viri simul & mulieres, postquam satietate venerem excitante, exatiati fuerint, lumine amoto, quod fornicariam eorum iniustitiam pudore afficiebat, auersa lucerna, coêunt quomodo volunt, & cum quibus volunt: & à quibus volunt mulieribus exigunt Carpocrateæ legis obediẽtiam. Has leges ferre õportuit Carpocratem, ea num, & suum, & hircorum libidinibus. Hoc ipsum repetens Epiphanius addit, Carpocra-

Lib. 1. ca. 24. Lib. 3 strom.

tianos

tianos in luxu degere, & omnia ad corporis voluptatem operari solere: vsq; adeo vt Eusebius Carpocratianis imputet suspicionem illã, quã de omnibus Christianis ethnici cõceperant, nimirum, de promiscuis stupris, & execrando infanticidio: à quibus criminibus Tertullianus, Iustinus, Athenagoras, Tatianus in Apolog. eos perpurgant & defendunt. *Euseb. lib. 4. hist. ca. 8.*

Ex schola Valentini prodijt etiam Marcus hæresiarcha, qui miris præstigijs ac imposturis, imò & poculis amatorijs, multarum præsertim opulentarum, matronarum pudicitiam (vt est apud Irenæum) expugnabat, adeò vt & ipsæ ambitiosè cum illo copulari expeterent, & idẽ cuiusdam diaconi hospitis sui vxorem formosam sententia & corpore corruperit, & à viro seiunctam multo secum tẽpore abduxerit. Nec Cerinthus cũ assectis castior fuit superioribus hæresiarchis, quippe qui (vt Dionysius Alex. & Eusebius docent) illecebris corporis & carnis cum primis obsequeretur: ideoq; Christi regnum terrestre futurum somniauit: & quarum rerum cupiditate ducebatur, in eisdem beatam vitam fore asseruit, vt in ventris, & earum partium quæ ad venerem spectant, expletione. *Iren. li. 1. ca. 9.* *Euseb. lib. 3. hist. cap. 22. & lib. 7. cap. 20.*

Ebionitas quoque accusat Epiphanius, quòd docuerint cuilibet licere, prioribus resciss cũ cõiugibus adhuc viuẽtibus nuptijs, alteris vsq; ad secundas & tertias copulari: q Irenæus Basilidianis etiam exprobrat. Tertul. coarguit Hermogenẽ, q assiduè nuberet, totusq; adulter esset & prędicationis & carnis, legem Dei in libidinẽ defenderet, nubentiũq (id est, polygamorũ) cõsortio fœteret. Alibi eundẽ coarguit, q plures *Lib. 1. ca. 32. Tert. l. ad. Hermog. & Libr de Monogem.*

mulieres ducere, quàm iuxta artem ſuam pingere, ſolitus eſſet. Marcion tametſi nuptias damnare, & continentiam prædicare videretur, nec ipſe continens fuit, quandoquidem propter ſtuprum cuiuſdam virginis, quemadmodum ei Tertullianus criminis loco ponit, ab Eccleſiæ communione abiectus fuit. Et alibi, natum eum refert gente Pontica, in qua libido promiſcua, & plurimum nuda exerceretur. Subnotans denique eundem cum ſectatoribus ſuis, eos appellat, carnis amiciſſimos: refertque neminem tam carnaliter viuere, quàm iſti, qui carnis reſurrectionem negabant.

Lib. Præſcrip. Lib. 1. adu. Marc.

Lib. de reſurr. carn.

De Valentini ſectatoribus, qui propriè Gnoſtici, à præſumpta rerum omnium ſciẽtia, vulgò appellantur, ſcribit Irenæus: Quidam eorum carnis voluptatibus inſatiabiliter inſeruientes, carnalia carnalibus, ſpiritalia ſpiritalibus reddi dicunt. Et quidam ex ipſis, clam eas mulieres, quæ diſcunt ab eis, corrumpunt. Alij verò & manifeſtè, ne quidem erubeſcentes, quaſcunque adamauerint mulieres, has à viris ſuis abſtrahentes, ſuas nuptas fecerunt. Alij valdè modeſtè initio, quaſi cum ſororibus fingentes habitare, procedente tempore manifeſtati ſunt, grauida ſorore à fratre facta, & alia multa irreligioſa facientes.

Iren. lib. 1. ca. 1. 8. 9. 20. 23.

Sed neque magis temperans fuit Apelles, vtpotè qui lapſus in fœminam, relicto Marcionis præceptore, Alexandriam ſeceſſit. Inde poſt annos regreſſus non melior, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen, poſtea verò immane proſtibulum & ipſam. Verba ſunt Tertulliani, qui & rurſum alibi non ſemel

Tertullianus lib. Præſcrip.

Tertull. libr. de Præſcript. c. 6. & 30.

mel eundem Apellem à muliercula Philumena seductum, eiusdemque amoribus implicitum, corruptumq; fuisse testificatur. Montanus tantæ impudentiæ fuit, vt legem tulerit de dissoluendis matrimonijs, vt apud Eusebium inquit Apollonius; quin etiam vt adulterijs & impuris scortationibus suis sectatoribus præluceret, Priscillam & Maximillam impudicas fœminas à maritis suis abstraxit, quibus cùm commixtus esset, eas & Prophetissas, & à se Spiritu sancto plenas redditas incredibili iactabat impudentia. Quàm impudici fuerint etiam Nouati & Nouatianorum mores Cyprianus martyr docet, illi exprobrans quod vxoris vterum calce percusserit, & abortione properante partum in parricidium expresserit: istis autem obijcit, quod authoris petulantiam imitati, adulteri & fraudatores, stupratores virginum, & matrimoniorũ depopulatores, plurimorumque adulteriorum & aliorum delictorum authores fuerint.

lib. 3. aduers. Marc. & lib. de carn. Christi.

Euseb. lib. 5. hist. cap. 8. 16. 18.

Cypr. ep. 48.

Epist. 52.

Epist. 55.

Notant etiam Patres concilij Antiocheni Paulum Samosatenum de subintroductis ad se quibusdam mulieribus, quarum duas præsertim deperibat, vegetas & facie decoras: quas si quò abeundum esset, vnà circumferret, idq; delicians & valdè satur. De petulantia Arianorum scribit Victor Vticensis: Hunericus præcepit sacras virgines congregari, dirigens Vandalos cum suæ gentis obstetricibus ad inspicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Et iterum: Mulieres Catholicas, & præcipuè nobiles contra iura naturæ,

Euseb. lib. 7. hist. cap. 27.

Victor lib. 2. persecut. Vand.

Lib. 3.

turæ, nudas omninò in facie publica cruciabant,&c.

Opt.lib.2. adu. Parm.

Lasciuiam Donatistarum paucis,sed grauibus verbis istis notat Optatus: Vrbanus Formensis & Felix Idicrensis(hi Donatianæ hæreseos ministri erãt)inuenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres.De eisdem

Aug.lib.2. cont.epist. Parm.c.9.

Augustinus quoq; scribit:An non cum mœchis particulam suam ponũt,qui greges ebrios sanctimonialium suarum,cũ gregibus ebrijs Circumcellionum die noctuq; permixtos vagari turpiter sinunt?Alibi rursum refert, quendam

Epist.169.

Subdiaconũ Ecclesiæ Spanensis reprehensum, quòd familiarius æquo cum sanctimonialibus versaretur,irritatum,ad Donatistas cum duabus monialibus confugisse: vbi etiam tunc cũ gregibus Circumcellionum,inter vagabundos greges fœminarum,quæ propterea maritos habere nolunt,ne habeãt disciplinam,in detestabilis vinolentiæ bacchationibus superbus exultabat.

Vt autem terminis suis hanc de veterum hæreticorum lasciuia & impudicis moribus digressionem claudamus, vnius tantùm Hieronymi testimonia subijciemus. Huic longa temporum experientia, & veterum lectione tam persuasum fuit,hæreticos gulæ,ventris, ac veneris impura esse mancipia,vt de his inuniuersum scribat: Nulla hæresis, nisi propter gulam ventremq; constituitur,vt seducat mulierculas oneratas peccatis. Omnes hæreticos duobus impuris senibus & scortatoribus, qui Susannæ vim inferre conati sunt, simillimos esse dicat: voluptatum libidinisq; doctores appellet; concludatq;

Hiero in c.3. Ieremiæ.

Idem in ca. 29 Ierem in c.13 Ezec.in c.9 Oseæ.

eludatq́;,difficilè esse hæreticum inuenire, qui diligat castitatem. Quarundã autem hæreseon lasciuiam traducens, Basilidis sectam turpissimam;ipsumq́;authorem, luxuriæ, & turpissimorum complexuum magistrum appellat. Iouinianum passim vocitat, Epicurum Christianorum,voluptuosissimum concionatorem, in hortulis inter adolescentulos & mulierculas suabantem. Pelagianos sic alloquitur: Ideo creuit vestra hæresis,& decepistis plurimos, maximeq́;eos qui adhærent mulieribus, quia semper docetis,semper negatis, &c. Et de Priscillianis scribit:Soli cum solis clauduntur mulier culis;& illud eis inter coitũ amplexusq́; decantant:Tũ pater omnipotens fœcundis imbribus æther,Coniugis in gremiũ lætę descẽdit,& omnes Magnus alit magno permixtus corpore fœtus.Et paucis multa cõplectens ista inductione demonstrat,quantum semper fœminis indulserint hæretici: Simon magus hæresim cõdidit Helenę meretricis adiut9 auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fęmineos.Marcion Romã præmisit mulierem,quę decipiendos sibi animos prępararet. Apelles Philomenen suarũ comitẽ habuit doctrinarum.Montanus immundi spiritus prædicator,multas Ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, primũ auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius vt orbem deciperet,sororem Principis ante decepit.Donatus per Africam, vt infelices quoſq; fętentibus polluueret aquis, Luciliæ opibus adiutus est. In Hispania, Agape Elpidium,mulier virum,cæcum cęca duxit in foueam,&c.

Epist. 29. li. 1. cont. Iou. cap. 2. & 19.

Epist. ad Ctesiphontem.

Virgil.

Sed

Sed hactenus satis de veterum hæreticorum lasciuis & impudicis moribus: nunc addendum, quopacto etiam recentiores, iuxta beati Iudæ propheticam descriptionem, *gratiã Dei nostri transferant in luxuriam*, ne lato quidem vngue à prauitate & sceleribus anteceſſorum suorum recedentes. Parum profectò castis mentibus, aut puris corporibus ac moribus ij possunt esse, qui omnem à vino (*in quo est luxuria*) & carnibus abstinentiam, omnem sacrorum ieiuniorum rationem velut papisticam superstitionem exsibilant; omnia virginitatis & castitatis vota quantumuis sanctè & publicè Deo nuncupata, damnant; continentiam vt penitus impossibilem profligant; & sacramenti matrimonij vinculo plurimis ac leuissimis de causis soluto, non solùm secundam, tertiam, quartam, aut quintam; sed & decimam, & vigesimam vxorem, si fors tulerit, adhuc etiam superstitibus alijs tam sibi, quàm sectatoribus suis ducere permittunt. Quid quod primos præcipuosque hæreseon suarum architectos, ministros, ac Prædicantes habent sacerdotes ac monachos votifragos & excucullatos, qui deserto sanctæ continentiæ proposito, incestis nuptijs, seu potius stupris & sacrilegijs, seipsos commacularunt?

Ephes. 5.

Siquidem toti orbi manifestum est, Martinum Lutherum nouissimarum sectarum principem, contemptis continentiæ & monasticæ vitæ, cui se sacrauerat, votis, quandam Catharinam Borensem, votifragam monacham, incestis nuptijs sibi copulasse, & cum eadem toto

reſiduo vitæ curriculo dormiuiſſe, & ex ea ſex liberos ſuſcepiſſe: eundem inſuper palam docuiſſe, & ſcriptis euulgaſſe, concubitum æquè neceſſarium eſſe omnibus viris ac fœminis, atque edere, bibere, ſcreare, aut dormire. Verbũ iſtud: *Creſcite & multiplicamini*, præceptum, imò & pluſquam præceptum eſſe; à quo nullus omnino eximi poſſit ac valeat. Quinetiam, conſulit viro cui vxor morosa contigerit, vt eam ſic conueniat: *Si tu nolis, velit alia: recuſat vxor, veniat ancilla: dimiſſa VVaſthi, Eſtherem accipiat.*

Epiſt. ad Præpoſitum Lugneburg.

Conc. de vita coniugali.

Adhæc, Fridericus Staphylus Germanus, ac Lutheri pro tempore diſcipulus, aſſerit, eiuſdem Lutheri ac Melanchthonis extare Epiſtolas, quibus cuidam Ioanni Oldendorpio, & alijs plurimis permittunt, duas ſimul vxores ſecum habere ac retinere: hocque Chriſtianiſſimum eſſe & Euangeliciſſimum. An nõ obſecro, iſtud planè eſt *Dei noſtri gratiam* in turpiſſimam atque fœdiſſimam *transferre luxuriam?* Huiuſmodi autem Lutheranis ac venereis ſtimulis incitati Carolſtadius, Brentius, Zuinglius, abdicatis ſacerdotijs impuras mœchas ſibi publicè duxerunt; Pomeranus, Bucerus, Oecolampadius, Munſterus, Pellicanus, & alij multi ex monachis apoſtatæ, hæretici, & ſacrilegi mariti facti ſunt.

Et ne ſolũm à vilibus & deſpectis homuncionibus perageretur fabula, Hermãnus a Weda, & Gebhardus Truchſeſius deſerta fide, & prodita Eccleſia Catholica, ex Archiepiſcopis Colonienſibus, ac Romani imperij principibus,

bus, salacium mulierc ularum salaciſſimi ſponſi viriq́ue euaſerunt: inſuper & Henricus Octauus Anglorum rex, & Guilielmus Naſſouius Auriæ princeps duas vxores eodem tempore habuerunt. Hinc quoque Bucerus, Ochinus, Beza ipſi prius polygami, polygamiam Chriſtianis viris licitam docuerunt: & ne res inter huius Euangelij noui miniſtros ſuo exemplo careret, Oecolampadius duas, Bucerus tres, Farellus quatuor, Cnoxus quinq;, Hetzerus tredecim, & Bocoldius quindecim duxit vxores. Sed vt res Luthericas Germanis perquirendas & dijudicandas relinquamus, de Caluinianorum & Bezanorũ caſtis pudiciſq; moribus differamus, ne fortè non & ipſi more aliorum hæreticorum, *gratiam Dei noſtri tranſtulerint in luxuriam.*

Certè, piſcis à capite tã putidè tamq; moleſtè fœtet, vt Caluinus adoleſcens execrabilis Sodomiæ conuictus, ideoq; ſulphureis flammis dignisſimus, ſed nimia iudicum lenitate altero tantùm humero candentis ferrei lilij inuſtus, ſtigmateq; compunctus, Franciæ regno expulſus fuerit, (vt à grauiſſimis teſtibus relatum, & ſcriptis publicis traditum eſt. Et quomodo non ab initio flagitioſiſſimus & ſpurciſſimus fuiſſet, impuri ſacrificuli, (vt eidẽ obijcit Heshuſius) & proſtitutæ ancillulæ ſpurius? Aut à perdocto & laudato viro Pantaleõte Theuenino, Caluin⁹ Sodomita, eaq́ue de cauſa ſtigmaticus perfuga vocaretur; niſi hoc nefario ſcelere adoleſcentiã ſuam dæmoni dedicaſſet? Ideo enim cũ à patria ſua ob vitæ improbitatem exulaſſe teſtificatur Democharcs, Caluini non ita pridẽ cõpatriota. Et Vaquerius deſcribit eum, vt hominem inter vrbis ſuæ diſſolutos, diſſolutiſſimũ; inter incõ-

Zolſecus. Prateolus. Theuenius.

Li. de ſacrifi. Miſſæ. cap 2.

ſtantes

ſtãtes & fœdifragos inconſtantiſſimũ. Geneuæ, vt omniũ ſacrorum Pontifex ſemel eſt factus, mox cuiuſdam Anabaptiſtę vxorem ſibi aſſumpſit: nec iſta contentus, plurimarũ matronarũ, ſpecie conſolationis ſpiritalis capiẽdæ, ad ipſũ oportunè ac importunè aduentantium, pudicitiã expugnauit: & cuidã ſatis opulentę ſuaſit, vt maritum in extremis laborantẽ, ſine ſolatio interire ſineret, vt poſtea ſibi mutuo matrimonio copularentur. Planè noluit dedecori eſſe Guilielmo Farello, in tui banda Geneuenſi Eccleſia prædeceſſori & cõmilitoni ſuo; qui annum ſuperans 70. palam oſtendit quo ſpiritu toto vitæ ſuæ curſu agitatus & raptus fuiſſet, filiam ancillæ ſuæ, iuuenculam, vix 17. aut 18. natam, ducens in vxorem. Rogatus autem ab amicis, quid ſui tantoperè oblitus, id faceret? Reſpondit hircoſus ſenex, Se etiã illa ætate, vxoris conſuetudine carere non poſſe. Sed de Bezæ in cathedra Caluinianæ peſtilentiæ ſucceſſoris, caſtis ſanctiſq; moribus iam dicamus. Hic, ait Author illius vitæ, ſi quis vnquam adoleſcens omni ſe libidinis & flagitiorum turpitudine maculauit, noſter Beza fuit, non modò verborũ obſcœnitate inter ſocios, verùm etiã morũ geſtorumq; corruptiſſimorum fœditate deteſtanda, & pudicis auribus execranda. Hoc ne vnquam negare poſſet ipſe prouidit: mandauit enim ſcriptis ſuã nequitiã, quæ impreſſa Lutetiæ 1548. magno ſuo mœrore & opprobrio, ad hæc vſq; tempora ſarta tecta peruenerunt, quibus & Audebertum iuuenculum, & Candidam meretriculam ſeſe miſerabiliter & damnabiliter ardere diſertis verſibus cõteſtatur. Mox Neapolitano (exteri, Gallicum

Lib. de ten tat.

Beza in eius vita.

Bolſecus.

Hiſt. de vita & moribus Bezæ.

Hieron. Bolſecus hiſt. de vita Bezæ, Latinè reddita per Pant Thenen pag. 46. 49. 51. 58.

Gallicum vocant)morbo correptus,eius exprimendi, totoque corpore exhalandi causa, in quodam suburbio Parisiensi, ad caminum cuiusdam balneatoris,æstuás & anhelus diu multumque desudauit. Is more impiorum,proficiens in peius,& in dies multo magis sordescens, cuiusdam sartoris, qui in Calendræ vico, Lutetiæ morabatur,vxorem sollicitat,polluit,deinde secum Geneuam abduxit,& pro vxore retinet, immanissimi adulterij raptusque scelerum reus effectus. Nec istius nefarijs amplexibus contentus, ancillulam Claudiam nomine comprimit, grauidam Chirurgo committit, qui confecto pestilenti morbo,acribus medicamentis abortsum procurat,quem in hortuli sepeliuit angulo. Iterum, meritis libidinis suæ supplicijs(lue venerea)correptus,fœdissimos sudores suos Gallicis versibus subiectis & Geneuæ typis excusis omnibus obtrudere, & diuulgando patefacere non erubuit: *Seiché de douleur, Tout cuit de chaleur, Seigneur tu me vois:&c.* Id est: *Siccatum dolore, Coctum calore, Domine,vides me.*

Hæc denique decumana Bezæ crimina ad ciues magistratusque Geneuenses idem scriptor sic perorat. Hactenus vitam, mores, res gestas Archiministri vestri Bezæ accepistis, qui integro adolescentiæ,propeque totius vitæ curriculo impurissimus fuit & impudicissimus, sodomita nefarius, adulter execrandus, nuptarum expugnator sceleratissimus, latro facinorosus,fur improbissimus, sacrilegus nequissimus,impostor audacissimus, suæ ipsius prolis inter

Pagin.96.& 97.

interfector crudeliſſimus, iactator vaniſſimus, cauſa cędium innumerabilium, bellorum ciuilium & ſeditionum, incurſionum, prædationum, combuſtionum, direptionis & vaſtitatis vrbium, arcium, caſtrorum, pagorum, oppidorum, templorum, regionum, & infinitarum hoc miſero infeliciqúe ſæculo miſeriarum & calamitatum. Hæc ille de Bezanis moribus: quæ ne leuioris fidei tanquam ab vno tantùm vel altero de illo aſſerta videantur; ſuis etiam publicis ſcriptis viri clariſſimi Lindanus in Dubitantio, Sanctesius Reſponſione ad Apologiam, Genebrardus in Chronologia, Prateolus, Vetus, Fabricius, Surius ſcriptores Catholici, eadem de eodem conſtanter teſtantur: quibus etiam Heshuſius Lutheranus, Candidus quidam Brentianus, & Carpentarius Caluinianus facilè ſubſcribunt; ne quis dicat Catholicos aliquid horum in eius odium confinxiſſe.

Quid, quod & ijdem Caluiniani inueteratam ſibi laſciuiam iactantes, ſcriptis adfirmant, & inter fidei ſuæ dogmata collocant: *Hominem aut fœminam quamcunque non poſſe vltra quatuor aut quinque dies à re venerea continere?* Ecquis ergo non ſibi perſuadebit, ex tam impuris ac impudicis Prædicantibus ac Miniſtris, nouos Adamitas & Nicolaitas illos facilè emerſiſſe, qui in *Domum amoris* (hoc enim titulo fœdiſſimum lupanar ſuum nominabant) non ita pridem antuerpiæ conuenientes promiſcuis concubitibus ſine vllo pudore ſeipſos commaculabant? Quis denique non obſtupeſcet ac totus exhorreſcet, audiens, Caluinianos publicis

Lib. Statu fidei ſuæ. Dialogo.

M. Launœus lib. 2. replicæ Gallic.

Coſſerus præfat. Enchiridij.

tabellis obſignaſſe, orbiq́ue patefeciſſe, ſupe-
rioribus à ſe excitatis in Francia tumultibus,
ſupra duodecim millia & trecentas ſeu filias ſeu
honeſtas fœminas violatas & contemeratas fu-
iſſe? At ne quis de iſta horum Gnoſtico-
rum immanitate & nefanda ſpurcitia dubita-
ret, id ipſimet in viginti ſeptem ſolum regni
Franciæ diœceſibus ſpeciatim narrãt: demum-
q́ ie ſummatim in libro Gallico [redacted] edito, &
LE SECRET DES FINANCES DE
Libro tertio, pag. 379. FRANCE, id eſt, *Sacrum ærarium Franciæ*
nuncupato, colligunt his verbis ſuis: *Femmes*
& filles violees, douze mil trois cens: quod
eſt ad verbum: *Fœminæ & filiæ violatæ, duode-*
cim millia trecentæ. Et poſtea: *La prenne eſt plus*
patente que ie ne vondrois: & au lieu de douze mil
trois cens filles ou femmes qui ſe treuuent violees
par les proces verbaux & autres diligences ſur ce
faites, l'on peut bien doubler, voire quadrupler le
nombre etc. Sic ad verbũ reddo. *Probatio huius*
rei apertior eſt quàm vellem, & loco duodecim mil-
lium trecentarum filiarum ſeu fœminarum, quæ
violatæ fuerunt, vt ex actis ſcripto renunciatis &
alijs per quiſitionibus ea de re factis apparet, poteſt
ſatis duplicari, imò & quadruplicari illarum nu-
merus. Atque hæc omnia, ſi ſuperis placet,
ſunt planè Euangelica, reformataq́; horum no-
uorum noui Euangelij miniſtrorum atque ſa-
tellitum præclara facinora: hæc quibus extra-
ordinariam vocationem ſuã aduerſus papiſtas
comprobant, miracula; hæc nouiſſimi tempo-
ris huius nouorum Apoſtolorum, vt mundum
à Chri-

à Christi legibus auertant, & ad Caluinismum conuertant, execranda prodigia. Et his principes, magistratus, nobiles, milites, plebeij suas animas & conscientias erudiendas cõmittunt? Cum his pacem & concordiam sanciendam Pseudocatholici clamitant? Horum protectoribus & assertoribus Ecclesiam fidemq; Catholicam, id est, castissimam sponsam Christi Iesu subijciendã & credendam homines bellè politici ad rauim vsq; in senatu, in foro, in aula, in templo, in vicis vociferantur? O tempora! O mores! &c. Sed de his plus satis.

Septimam porrò hæresiarcharum notam his verbis Apostolus noster comprehendit: *Et solũ dominatorem Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Hæc autem notatio ad duos præcipuos fidei christianæ, quæ symbolo Apostolo continetur, articulos pertinet, istos nimirum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Et in Iesum Christum Filium Dei vnicum Dominum nostrum:* quibus & operibus & verbis Pseudoapostoli ac impostores isti contradicebant. Δεσπότην θεὸν appellat Deum Patrem, ratione creationis, quę ei tribuitur: κύριον autem vocat Filium, quòd Ecclesiæ, quam redemit & sanctificauit sanguine suo, peculiariter imperet, velut sponsus sponsæ, caput membris, pastor ouibus, & Dominus seruis suis. Adeò peruersi sunt, inquit, hæresiarchæ, quos suis coloribus ac notis depingo, & fugiendos doceo, vt non tantũ bonos fidelium mores profligata impuraque conuersatione sua corrumpant: verũ & prima præcipuaq; doctrinæ Euangelicæ capita suis monstrosis & abominandis

hæresibus conuellant. Siquidem summum illud fidei caput, quo credimus, Vnicum Deum esse, qui ex nihilo cuncta formauerit, hisq; dominetur & præsideat, diabolica impietate labefactant & subuertunt: simulq; abnegant Dominum nostrum Iesum Christum, filium eius coæternum, qui nos propriæ vitæ suæ pretio asseruit & redemit, vt viuentium & morientium dominaretur.

In his autem obseruandum Deum Patrem, & Dominum nostrum Iesum, duobus modis ab impijs hominibus abnegari. Primò, verbis & scriptis, vt cùm athei ac Epicurei vel eorũ Deitatem æternam absolutè negant & subsannant; vel certè eorundem bonitati, potestati, sanctitati, sapientiæ, alijsque perfectionibus naturalibus ac essentialibus contradicunt. Huiusmodi quondam emerserunt inter gentes Protagoras, Diagoras, Epicurus, Theodorus Cyrenaicus, Plinius, & alij aliquot, quorum Eusebius, Lactantius, Epiphanius, Tullius & Valerius meminerunt.

Euseb. lib. 14. præp cap. 1. Lact. lib. de ira Dei. Epiph in Epitome.

In horum classem ordinemque Caluinianos referre non dubitarim, vtpotè, qui abnegantes Deum peccata hominum & cacodæmonum simpliciter tantùm permittere, palam vociferant, *eum esse illorum authorem, ea esse opera Dei, Deum horum præcipuum authorem, Satanam verò tantùm ministrum:* deniq;, plurima eum non posse facere confingentes, verè omnipotentem esse negant. Nam Tertulliani & magni Basilij sententia, quicunque Deo proprietates ac perfectiones suas naturales adimunt; aut alias repugnanteq; affingunt, omninò Deum esse infician-

Calu. Inst. li. 1 ca. 18. sect. 1. Tertull. li 2. cãu. Marc. Basil. hom. quod Deus nõ sit author malorum.

ficiantur & negant. Vt qui homini rationem, angelo spiritalem ac immortalem conditionē, igni calorem, aut Soli splendorem detraherent, prorsus eos destruerent atque de medio tollerent: sic, qui Deum aut non esse præditum infinita potestate, aut peccata perpetrare dixerint, Deum verum esse prorsus negant, &c.

Secundò, abnegatur Deus impuris moribus, gestis, & sceleribus contra eius voluntatem & reuerentiam admissis. Scribit enim de huiusmodi Paulus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati & increduli, & ad omne bonum opus reprobi.* Tit. 1. Nam Deus illos habet tanquam homines profanos, maledictos, & diaboli filios atque mancipia, iuxta illud: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facitis.* Ioan. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* 1 Ioan. 3. Et Christus se illis dicturum profitetur: *Discedite à me operarij iniquitatis, non noui vos.* Matth. 7. & 25. *Nescio vos, &c.*

VETERVM AC NOVORVM GNOsticorum blasphemiæ aduersus Patrem & Filium.

NOtandum ergo hæc omnia ad Simonianos, Ebionitas, Carpocratianos, & veteres Gnosticos primò quidem loco pertinere: deinde etiam ad posteriores, adeoque nouissimi huius æui hæreticos, qui in oppugnanda Christi deitate ac maiestate eisdem successerunt. Simon namque venditans se pro virtute Dei, quæ dicitur magna; deinde, Iudæis iactitās se Deum Patrem, Samaritis Filium, Gentibus Act. 8.

verò Spiritum Sanctum, vt est apud Iustinum, Irenæum, Tertullianum, Eusebium, & Nicephorum; qui etiam sese Angelos & Archangelos per Helenā scortum suum creasse iactitans; verum & solum Deum creatorem & dominum vniuersorum blasphemabat, & Dominum nostrum Iesum Christum negabat.

Apologia 2. Lib. 1. ca 20. Li. præscrip. Libr. 2. hist. eccl.

Post hunc (inquit Tertullianus) Menander discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicēs quæ Simon ipse, negauit quemquam habere posse salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Secutus est Saturninus, dicens Angelos inferiores mundū fecisse: Christum in substantia corporis non fuisse, & phantasmate tantū quasi passum fuisse. Postea Basilides hęreticus erupit, in vltimis Angelis, qui fecerunt hunc mundū, nouissimum ponens Iudæorum Deum, id est, Deum legis & Prophetarum; quem Deū negat, sed Angelum dicit. Christum autem non ab hoc, sed à quodam Abraxa, missum venisse in phantasmate, sine substantia carnis. Hunc passum à Iudæis non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum: vnde nec in eum credendum esse qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem (Cyrenæum) credidisse.

Tertull. libr. præscript. ca. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53.

Accessrunt Ophitę, serpentem Christo præferentes: & Christum in carnis substantia venisse, & salutem carnis sperandam omnino negantes. Erupit quoque alia hæresis, quæ dicitur Cainæorum, Cain magnificantes; & Iudæ reddendam gratiam dicentes, quòd Christum tradidit, ne subuerti veritas posset. Sed & hæresis precessit Setthoitarum, dicentium Christum, ipsum Seth fuisse.

Carpo-

Carpocrates, dixit Christum non ex virgine Maria natum, sed ex semine Ioseph, hominem tantummodò genitum, cuius sola anima in cælos recepta sit. Post hunc Cerinthus erupit, similia docens. Nam Christum ex semine Ioseph natum proponit, hominem illum tantummodò sine diuinitate contendens: ipsam quoq; Legem ab Angelis datam perhibens: & Iudæorum Deum, non Dominum, sed angelum promens. Huius successor Ebion fuit, Legem proponens ad excludendum Euangelium.

Valentinus dixit Christum missum à quodã Propatore, qui est Bythos, & per Mariam, quasi aquam per fistulam transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Marcus & Colarbasus alterum Deum finxerunt præter Creatorem: & Christum negarunt in substantia carnis fuisse. Accessit his Cerdon, introducẽs duos deos, vnum bonum, & alterum sæuum: & sæuũ hunc, esse mundi Creatorem: christum natum ex Virgine, & passum, negans. Post hunc emersit discipulus eius Marcion, hæresim Cerdonis approbare conatus. Exstitit post hũc Lucanus, per eadem vadens blasphemiæ genera.

Subsequitur Apelles, Christo fideream carnem affingens, quæ in ascensu redierit in aêrẽ, solo spiritu eius in cælis recepto. Habuit hic & suos libros syllogismorum, in quibus probare voluit, omnia quæcunq; Moyses de Deo dixit, vera non esse, sed falsa. Hæretici secundũ Phrygas, habuerunt communem blasphemiam, qua dixerunt Paracletum non tantùm plura in Mõtano, quàm Christũ in Euangelio protulisse: sed etiam meliora atque maiora. Primatam autem

blaſphemiam, qua adiecerunt etiam hoc, vt dicerent Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem.

Acceſſit his Theodotus Byzantius, qui poſtea quàm Chriſti pro nomine comprehenſus negauit, in Chriſtum blaſphemare non deſtitit. Doctrinam enim introduxit, qua Chriſtum hominem tantummodò diceret: Deum autem illum negaret, &c. Atque hæc quæ ex Irenæo, Tertulliano autem maximè, Epiphanio, Auguſtino, Philaſtrio, Damaſceno, Niceta, & alijs hęreſeon expugnatoribus, contraximus, ſufficiant, vt norint omnes, quàm iure Pſeudoapoſtolos & impoſtores illos hoc loco traduxerit, & procul ablegandos ac fugiendos ſcripſerit Beatus Iudas Chriſti Domini germanus Apoſtolus, eiuſdemque gloriæ & doctrinæ conſtantiſſimus aſſertor & vindex: ablegandos inquam, & fugiendos, vt qui Satanica planè impudentia *Dominum Deum ſolum verumq; creatorem & dominatorem* cæli & terræ, atque Filium eius *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, ſuis blaſphemijs lacerarent, deformarent, *negarent*.

Sed vt ſeſe hæc habeant de veteribus illis impoſtoribus ac hæreſiarchis: certè præter ius faſque videbitur multis vel Lutherum, vel Caluinum, vel alios quoſcunque, qui ex horum ſcholis prodierunt, aduerſus Deum Patrem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum impietatis accerſere. At ſi horum errores diligentius ac propius inſpexerimus, profectò non pauca eos aduerſus ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, aduerſus Dei Patris maieſtatem, Filij ac Spiritus Sancti deitatem & ſcripſiſſe, & prædicaſſe, noſque

uiſque Arianis blaſphemiarum occaſiones ac ſemina reliquiſſe comperiemus. Quid enim ſibi voluit Lutherus, cùm ſcripſit: *Animam ſuam odiſſe hoc verbum ὁμοούσιος, conſubſtantiale:* & cũ ex Germanicis precibus ſuſtulit has preces: *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis?* Aut Caluinus eum ſequutus, cũ optat *Trinitatis, perſonarumq; conſubſtantialium nomina ſepulta eſſe?* Aut VVolffangus Muſculus ſcribens: *Nollem coram ethnicis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dicere tres perſonas, ne viderer dicere tres Deos?* An non latiſſimam viã ſtrauerunt Ochino, vt autumaret, *Deum infinitum, Deum Trinum, monſtroſa eſſe nomina?*

Lib. cont. Iacob. Latomũ.

Lib. 1. Inſt. c. 13. ſect. 1.

Primo Anticochlæo.

Redeamus ad Lutheri & ſequacium errores aduerſus æternum Dei Filium. Quando ſcribit idem Lutherus: *Negotium mihi fuit cum Neſtorianis, qui pertinaciſſimè contra me diſputabant, quod Diuinitas Chriſti non poſſet pati:* conſentit & Melanchthon inquiens, *Diuinam naturam Chriſti non quidem fuiſſe laceratam vel mortuam; ſed fuiſſe obedientem Patri, eiuſdemq; ceſſiſſe, & acquieuiſſe imperio:* an non Deitatem natura patibilem, mutabilem, longeque inferiorem Patris Deitati Chriſto confingunt, ſicque verum ac æternum Deum, Deiq; conſubſtantialẽ filium eſſe negant?

Parte 2. libri de Concilijs.

Locis com. anni 1545.

Eiſdemne ſuccinit Caluinus, laudans Sarnicium Polonum hæreticum, quod publicè docuerit, *Chriſtum ratione officij minorem eſſe Patre, etiam in natura Diuina?* Scribens quoque, hæc verba Pauli, *Filius ſubiectus erit ei, ad*

Epiſt. ad Polonos.

Inſtit lib. 2 cap. 14.

vtramque filij naturam, id est, Diuinam & humanam, referenda esse, nonne æqualitatē eius cū Patre negat? An non etiā Beza eandem Christi Deitatem pro viribus deprimit, *cùm eam realiter & ab æterno distinctam esse à Patre, & illum secundùm eam pro nobis apud Patrem intercedere*, non timet effutire? Ecquid aliud est Dominum nostrum Iesum Christum negare, nisi ei *substantiam distinctam à Patre tribuere: solum ministrum, vicarium, & secretarium eius censere: secundum à Patre tantùm causæ, honoris, ac imperij locum concedere*: denique, eundem *nec personaliter adorandum, nec inuocandum prædicare*; quod post Caluinum, Bezam, Richerum, Danæumque faciunt Hugnostici? Horrendas eorum aduersus eius scientiam, potentiam, innocentiam, natiuitatem, conuersationem, passionem, descensum ad inferos, resurrectionem, & merita, prætermitto, nec exaggero blasphemas opiniones & sententias: quibus ea planè rident & subsannant, quæ cum omni fide cultu ac reuerentia de illius perfectionibus, ac redemptionis humanæ mysterio sunt credenda, honoranda, & retinenda.

Confess. ar. 1.

Lib. quæst. Theol. Gallic. pa. 33. Latin. pag. 675. Vide Dialog. 3. cont. hæres.

Ex horum scholis prodierunt Seruetus, Gentilis, Alciatus, Blandrata, & omnis illa nouorū Sabellianorum, Arianorum, Antitrinitariorū, & Tritheitarum fœdissima colluuies, quæ nunc in Polonia, Hungaria, Liuonia, & Transsyluania suos habent publicos conuentus; quibus quod superesse potest Christianismi, impuris & verè Antichristiani regni conditoribus Maometanis opprimendum & extinguendum nefariè

fariè produnt, & velut proprijs manibus tradunt. Quod enim Seruetus nominauit se *Summum orbis terræ Prophetam*, Lutheri fecit imitatione, dicentis se *Germaniæ Apostolum ac primum Euangelistam*: sicut inscribens libros suos, *De erroribus Trinitatis*, & in his, *Nullam esse in Deo distinctionem personarum* blasphemans, Caluinum sequutus est, cupientem, *nomina Trinitatis & personarũ sepulta esse*. Gentilis è contrario, constituens non solùm personarum, sed *& Essentiæ ac naturæ diuinæ Trinitatem, sicq; tres Deos reipsa inter se distinctos; quorum tamen Pater solus summus & altissimus Deus appelletur germanum* Caluini discipulum præbuit, scribentis, *Filium habere substantiam distinctam à Patre: obtinere secundum locum honoris, imperij, & potestatis à Patre: Spiritum sanctum verò tertium*: Bezæ autem in eadem impietatis schola condiscipulũ, pro confessione fidei suæ palam verbis Gallicis profitentis, *l'essence diuine est distincte realement, & à la verite, & eternellement en trois personnes*: quæ sic ad verbum latinè redduntur: *Essentia diuina est distincta realiter, verè, & ab æterno in tres personas.*

Cal. 2. li. Gallico de actis Seru. pag. 249. et 250. Harm. in 26. Matth. & 16. Marc.

Beza Confess. fid. puncto 1. art. 2.

Quod etiam Franciscus Dauid cum suis Hungaricis ministris contendit, *IESVM CHRISTVM, non esse inuocandum vel adorandum*, hoc planè à Caluinistis didicit, quorum hæc sunt verba: *Is qui dixerit Iesum Christum esse necessariò adorandum & inuocandum, hæreticus est*. Et rursus: *Qui ad carnem Christi etiam in vnione, inuocationem dirigit, ex ipsius*

Richerus.

Danæus.

Deiere

Dei ore male dictus est. Et ne singula longius persequamur, Transsyluani autumãtes Patrem esse alijs personis eminentiorem, illud tantùm Caluinianum axioma alijs licet verbis enunciant, quo profert: *Filium ratione officij etiam in natura Diuina Patre minorem esse*: & verba ista dominica, Pater maior me est, *non de natura eius humana, sed de* Diuina, intelligenda esse. Arium denique laudantes, & velut magna iniuria affectum damnatumque à Patribus Nicænis ægreferentes, Caluinismum pleno spirant ore, *quo omnia veterum Concilia errorus coarguuntur: Filius Dei personæ respectu, non nisi impropriè creator cæli & terræ nominandus traditur*: hæcque Concilij Nicæni aduersus Arium sententia, Filius est Deus de Deo, lumẽ de lumine, Deus verus de Deo vero, *velut dura & impropria* damnatur & reijcitur, &c.

Caluin. libr. adu Gentilem.

Præfat refut blasphemiæ Apologiæ Danæi.

Ex his ergo patet, Iacobum Andream meritò scripsisse: Minimè mirandum esse, ex Caluinianis in Polonia, Transsyluania, Hungaria, alijsque locis, quamplurimos ad Arianismum, quosdam etiam ad Maometismum accessisse, quorum impietati hęc Caluiniana doctrina viã parat. Rursumque Andream Volanum, tametsi Caluinismo infectum testari, impuros illos Arianos palam profiteri, se nihil aduersus Trinitatem, nihil aduersus Deum Patrem, nihil denique aduersus Filium Dei docere ac scribere, quod non ex Lutheranorum & Caluinianorum scriptis scholisque hauserint, didicerint, retinuerint.

Parænesi ad Ebionitas et Samosaten.

Ex quibus mihi videor rectè diluciḍq; conficere,

ficere, Beatum Iudam veteres simulque recentes Gnosticos denotasse, cùm scripsit, illos *Solum dominatorem Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum negare*. Hos itaque meritò fugiendos esse monet, quin & pro retinenda seruandaque semel tradita fide Apostolica & Catholica, aduersus illorum incursiones ac impetus non simpliciter pugnandum, sed etiam ἐπαγωνίζεσθαι, id est, supercertãdum, studiosè enitendum, atque continuò dimicandum & agonizandum esse. Sequentia nunc persequamur.

5. *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundò eos qui non crediderunt perdidit.*

NOn est in Græcis codicibus πάντα, *omnia*: sed τοῦτο, hoc ipsum. Neque ὅτι ὁ ἰησοῦς, *quoniam Iesus*: sed ὅτι ὁ κύριος, id est, quoniam Dominus.

Cæterùm, præcedentibus septem hæresiarcharum ac seductorum notis, hanc subijcit exhortationem, qua tribus grauissimis veterum Hebræorum, cacodæmonum, & Sodomæorum exemplis, suadet omnino cauendum esse ab illorum sceleribus, videlicet primò incredulitate ac impietate in Deum, secundò ab omni superbia & ambitu diabolico, tertiò ab omni luxuria & impuritate. Vtitur autem præfatiuncula, qua institutum suum commendat ab eorum præcedente rerum cognitione; & eximia, quam gerebat commonefaciendi eos de omnibus ad

bus ad ſalutem communem requiſitis, ſolicitudine. Quaſi dicat. Non opinor opus eſſe, Cariſſimi, vt vos ipſa veræ religionis elementa doceã, quandoquidem ea omnia à Petro, Paulo, Iacobo, Ioanne, & alijs Eccleſiæ ſummis paſtoribus ac columnis iam iam didiciſtis: tantùm itaq; in memoriam volo reducere quæ audiſtis, ne illa propter imminentia aduerſus Pſeudoapoſtolos bella excidant animis, ſicque in tentationibus iſtis deficiatis. Hoc autem faciam, ſi ſanctiſſima & grauiſſima iræ diuinæ aduerſus incredulos, ſuperbos, & impuros iſtiuſmodi homines exempla, ex veterum Prophetarũ ſcriptis propoſuero: vt vel hinc colligatis, quã horribilite Deus contemptũ ſui multauerit, & quæ ſupplicia tam ſeductores iſtos: quàm horum ſectatores pro certo maneant apud Deũ omnipotentẽ.

Nulli ſunt igitur tam rectè ac diligenter in doctrina Chriſtiana inſtituti ac docti, nulli ita probi, aut ſancti, qui non exhortatione & commonefactione indigeant, tũ vt & quæ nouerunt attentius meditentur & retineant, tum vt in ſuſcepta pietate alacrius perſeuerando pergant in præcedentibus donis confirmentur, & in d proficiant. Hac ratione Petro præceptum e

Luc. 22. *Tu aliquando cõuerſus confirma fratres tuos.* Paulus & Barnabas redeuntes Lyſtram, Iconiũ, An-

Actor. 14. tiochiam, *confirmabant animas diſcipulorum, exhortantes vt permanerent in fide, &c.* Rurſum idem Paulus electo & aſſumpto ſecum Sila, per-

Actor. 15. ambulabat Syriam, & Ciliciam, *confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorũ & ſeniorum. Et Eccleſiæ,* inquit Lucas, *confirmabantur*

bantur in fide, & abundabāt numero quotidie. Eodem fine ſcripſit ad Romanos, *Deſidero videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos, &c.* Et Timotheū ſuum tametſi ſacrarum literarum ab infantia ſua ſtudioſum, adhortatur, *vt attenderet lectioni, exhortationi, atq; doctrinæ.* Eundemq; graui adiurat exorciſmo, vt prædicet verbum, inſtet oportunè, importunè, arguat, obſecret, in omni patientia & doctrina. Nam fides, veraq; in cordibus hominum religio ſuas ætates habet; proinde verbi Dei meditatione & prædicatione eſt iugiter alenda, fouenda, & confirmanda.

Actor. 16. *Rom. 1.* *1. Timoth 4.* *2. Tim. 4.*

Præfatiunculæ ſubijcit primum exemplum dicens: *Dominus Ieſus populum de terra Aegypti ſaluans, ſecundò eos qui non crediderunt, perdidit.* Senſus eſt. Quemadmodum Dominus IESVS, diuinitatis ſuę brachio forti ac extento, veteres Iſraelitas primùm quidem de duriſſima Aegypti ſeruitute ſaluās per alueum maris rubri potenter eduxit: verùm, multis eorū parū profuit hæc liberatio, quandoquidem propter ſuas in Deum obmurmurationes, ſtupra, comeſſationes, & frequētes apoſtaſias, poſtea ſunt proſtrati & varijs cladibus affecti deletiq; in deſerto. Ita certè parū admodum nobis proderit ſemel per Baptiſmum peccata depoſuiſſe, fidē, ſpem, & charitatē in vnius ſanctæ & Catholicæ fidei communione profeſſos eſſe, niſi conſtantibus animis in ea ſemper creſcentes, ad cæleſtis vitæ hæreditatem tendentes tandem aliquando perueniamus. Nam vt plurimos eorum gladio Leuitarum, alios flāma cælitus immiſſa, quoſdam ſerpen-

Exod. 12. 13. 14. 17. 32. *Exod. 16. 17. 32.* *Pſal. 77.* *Num. 11. 14. 16. 21. 25.*

serpentum venenosis morsibus, aliosdehiscentibus sub pedibus inferis horribili quidem, attamen iusto iudicio suo Deus perdidit, eo quòd suis verbis diuinis nec crederent, nec obaudirent: sic neque seductoribus istis, nec sectatoribus eorũ parcet, sed hos persequetur, vlciscetur & funditus destruet, si diuino verbo suo, atq; doctrinæ Apostolicę obsistere ac detrahere vlterius perrexerint.

Ex his autem primùm obserua, mirabilem liberationem Hebræorum ex Aegypto, speciali quodã modo, Domino nostro IESV Christo, quem profani impostores isti negabant, hoc loco ab Apostolo tribui; propterea quod ipse tandem esset totum genus humanum ex seruitute peccati, inferni ac diaboli miserrima captiuitate, passionis ac mortis suæ virtute liberaturus. Hunc enim & nomine & reipsa adumbrauit Iesus filius Naue, Mosis successor; insuper, eidem vt Iustinus martyr interpretatur, in specie angeli armis præcincti apparens dixit se, Imperatorem exercitus Domini veniisse vt Hierichuntem & Regem eius daret in manus eius. Hic quoque ipse est, ait idem Beatus martyr, qui vt Angelus, Deus, Dominus, vir, Abrahamo Isaacoque visus est; & in ardente rubo Mosi conspectus, eum alloquebatur: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manu Aegyptiorum.* Eadem persequitur Tertullianus, docens Ausen filium Naue, à Moyse Iesum appellatum, figuram Iesu Christi Domini nostri gessisse. Nam quia Iesus Christus, inquit ille, secũdum

Iust. Dialog. Ios. 5. & 6.

Exod. 3.

Tertull. lib. adu. Iud. ca. 9. lib. 3. adu. Marc. cap. 13.

dum populum, quod sumus nos nationes in sæculi deserto commorantes antea, introducturus esset in terram repromissionis, melle & lacte manantem, id est, in vitæ æternæ possessionem, qua nihil dulcius: idque non per Moysen, id est, non per legis disciplinam, sed per Iesum, &c. ideo is vir qui in huius sacramenti imagine parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus est figura, vt Iesus nominaretur.

Hinc autem & aliud rectè colligit venerabilis Beda, nimirum, cùm veteris huius populi Hebraici tam liberatio ex Aegypto, quàm vltio in desertis, *Domino nostro Iesu Christo*, tribuitur, clarissimum & certissimum esse, illum non habuisse principium ex solo partu Virginis, quemadmodum hæretici garriebant: sed quatenus diuina persona, Deum esse æternum, creatorem, & iudicem totius mundi. Ait enim de seipso: *Abraham cognouit diem meum, & gauisus est. Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et Patrem rogat: *Clarifica me Pater, claritate quam habui apud te, antequam mundus fieret.* Ignatius eosdem refellens hæresiarchas, quos hîc Apostolus perstringit, his quoq; verbis Christi deitatem æternam asserit. Euangelistæ, qui dixerunt vnum Patrem solum verum Deum, etiam quæ Domini nostri sunt, non prætermiserunt, sed scripserunt; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt.* Quisquis ergo vnum & solum annunciat Deum, vt tollat Christi diuinitatem, diabolus est, & inimicus omnis iustitiæ. Qui purum hominem dicit Christum,

Bed. com. in hunc locum.

Ioan. 8.

Ioan. 17.

Ignat. epist. ad Antioch.

Ioan. 1.

Epist. ad Philadelphien.

maledictus est. Et idem rursum alibi: Si quis putat hominem esse putet Dominum, non Deum vnigenitum, & sapientiam, ac Verbum Dei; is serpens est, fraudem & errorem prædicans ad perditionem hominum, vt qui cognominatur Ebion, &c. Nemini ergo dubiũ esse potest, quin Christi omnipotentem, æternam, planeq; Diuinam maiestatem hoc loco Apostolus asserere voluerit, cùm eum saluatorem simulq; vltorem & iudicem Israelitici populi constituit.

Per hæc quoq; vt notat Oecumenius, ostẽditur contra illos impostores, vnum & eundem esse Deum veteris ac noui testamenti authorẽ, & non duos, quorum alter sit sæuus, bellorum amator, & sui acerrimus vindex; alter verò per humanus ac facilis, vt Marcionistæ & alij aliquot Gnostici perperam sentiebant. Idẽ enim qui misericorditer *saluans liberauit* pios ex Aegypti seruitute, idem incredulos & contentiosos iustè flagellauit, *& perdidit*. Et qui vetus testamentum pepigit cum Abrahamo, Mose, ac populo Hebraico, idem per Ieremiam dixit:

Ierem. 31. Heb. 8.

Feriam fœdus nouum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, &c. Aduersus eosdẽ

Epist. ad Philadelphien.

impostores paulò post diuinum Iudam, inuexit his verbis martyr Ignatius: Vnus est Deus veteris & noui testamenti, vnus mediator Dei & hominum, vnus itidẽ Paraclitus, qui operatus est in Mose, Prophetis, & Apostolis. Si quis autem Deum Legis & Prophetarum prædicet vnum, Christum autem neget eius Filiũ, mendax est sicut pater eius diabolus. Si quis cõfiteatur Iesum Christum Dominum, neget autẽ

Ioan. 8.

Deum legis & Prophetarum, is in veritate non

stetit: & talis est Simonis magi, & non Spiritus Sancti discipulus. Idem rursum Epistola ad Philippenses ait: Vnus est vniuersorum Deus Pater Christi, ex quo omnia: vnus Dominus noster Iesus, vniuersorum Dominus, per quem omnia: vnus etiam Spiritus Sanctus, qui operatus est in Mose & Prophetis & Apostolis. Dominus enim ait: *Deus tuus, Dominus vnus est.* Et iterū: *Nonne vnus Deus creauit nos? Nonne vnus Pater est omnium nostrum?* Irenæus martyr, & post ipsum Eusebius laudant plurimum hanc Iustini martyris de vno Deo mundi creatore, patreque Domini nostri sententiam: Quoniam ipsi quoq; Domino non credidissem alterum Deum annuncianti, præter fabricatorem, & factorem, & nutritorem nostrum. Idem rursus Irenæus vnitatem Dei aduersus Marcionem propugnās, scribit: Marcion diuidens Deum in duos, alterū quidem bonum, & alterum iudicialem dicens, ex vtrisq; interimit Deum. Hic enim qui iudicialis est, si non & bonus sit, non est Deus: quia Deus nō est, cui bonitas desit: Et ille rursus qui bonus, si non & iudicialis, idem q; hic paries, vt auferatur ei ne sit Deus, &c. Saluat enim quos debet saluare, & iudicat dignos iudicio, &c.

Deut. 6. Malach. 2. Iren. li. 4. c. 14.

Euseb. lib. 4. hist. cap. 17.

Iren. libr. 3. cap. 43.

Attende etiam singula propemodum redemptionis humanæ mysteria per Christum adimpleta, longè antea præsignata, & rebus ipsis adumbrata, annunciataq; fuisse antiquo Hebræorum populo. Quod enim fuit illis Pharao tyrannus crudelis, hoc nobis diabolus, peccatum, & infernus: & quod intollerabilis seruitus Aegyptiaca, nobis est peccatum originis, innumerabilium calamitatum fons & causa. Illi clamores

mantes ad Dominum, Mosis opera, per medias vndas maris rubri mirabiliter liberati & saluati fuerunt: & nos credētes in Christum, eiusdem ope & sanguine per Baptismum abluimur, & à tyrannide mortis ac diaboli, in libertatem & adoptionem filiorum Dei vindicamur & asserimur. Denique, vt illi per loca deserta & inculta, in terram lacte & melle manantem euaserunt: sic & nos per angustam viam portamque in vitam æternam perducimur, &c. Hoc & Paulus disertis verbis prædicat, dicens: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube* (i. nubis protectione & ductu) *fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & mari:* quando videlicet mare rubrum, quo sacramentum Baptismi designabatur, ingressi sunt. *Sed non in pluribus eorum,* infert Apostolus, *beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.* Etenim murmurantes contra Dominum pro cibo, deinde pro aqua ad bibendum, tertiò pro carnibus, quartò insurgentes aduersus seruum Dei Moysen; & nunc vitulum aureum adorantes, mox verò Beelphegor seipsos consecrantes; multi eorum nunc à Moyse & Leuitis, illicò ab Amalechitis cæsi sunt; quidam cælesti flamma consumpti, alij à serpentibus interfecti, non pauci cum Dathan & Core à terra deuorati; omnes denique qui viginti ætatis annos superauerant, in desertis extincti sunt, nec terrā promissionis intrārunt, duobus tantùm Iosue & Caleb exceptis. Adeo populū, quem summis beneficijs Deus ornauerat, quem præ cæteris totius

Exod. 3.
Deut. 6.
Matth. 7.
1. Cor. 10.
Exod 16.
Exod 17.
Psal. 77.
Exod. 16. & 32.
Num. 11. 14. 16. 21. & 29.

totius mundi gentibus extulerat, aduersus se insurgentem postea seueriſſimè vltus est.

Hæc autem, subijcit Apostolus, *in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, &c. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt ad correptionem nostram.* Itaque vt illos verbis & promiſſis ſuis diffidentes, Deus vltionum multis cladibus & caſibus afflixit: ita hæreſiarchas, & eos qui his adhæſerint, nunquã ſinet inultos. Nam vt illi non attigerunt terram ſanctam, ſic nec iſtis pars erit in terra viuentium, id eſt, regno cælorum, quod per terrã Chanaam ſignificabatur. Siquidem & Paulus hæreſes, & ſectas omnes numerat inter opera carnis, quæ qui fecerint, regni Dei hæreditatem non conſequentur. 1. Corint. 10.

Videruſum tam beati Iudæ quàm Pauli exemplo, vtiliſſimum, imò & longè neceſſarium eſſe, in concionibus atq; exhortationibus Chriſtianis iræ diuinæ aduerſus peccatores exempla proponere: vt quos amor Dei & cęleſtis vitæ deſiderium in officio non retinet, pœnarum olim peccatis redditarum timor ſaltem & horror coerceat. Nam oderunt peccare mali formidine pœnæ. Sic Baptiſta in concionibus malos per comminationes mortis & genennæ à peccatis reuocare ſtudebat, dicens: *Quis vos docebit* Galat. 5. Luc. 3.

Matth. 3. cebit fugere à ventura ira? Iam securis ad radicem
Matth. 10. arboris posita est. Et Christus non tantùm hortatur, timere eum qui potest mittere corpus & animam in gehennam: verùm & diuitis epulonis terribili narratione; & serui pigri; &
Luce 16. Matth. 22. & 25. hominis carentis veste nuptiali; & virginum fatuarum parabolis, cunctos à vitijs ad virtutum officia & bona opera conatur transferre. Errant itaque palpones ac molles illi concionatores, qui non nisi de bonitate, misericordia, humanitate ac beneuolentia Dei tractant; omni de ira & iudiciorum eius terribilium seueritate mentione prætermissa.

Nec silentio prætereundum, quod omnium malorum superius enarratorum causam & fontem Apostolus indicat fuisse incredulitatem. *Eos*, inquit, *qui non crediderunt*, verbis nimirum ac promissis Diuinis, quæ prædicabat illis Moyses, *perdidit*: quod de Psalmis
Psal. 77. sumptum videtur, vbi dicitur: *Malè locuti sunt de Deo*: d. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare &c. Ideo audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, &c. Quia non crediderunt in Deo, &c. In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Dilexerunt eum ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum ex-*
Psal. 105. & 106. *celsum, &c.* Et alibi. *Irritauerunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini. Fecerunt vitulum in Horeb. Obliti sunt Deum qui saluauit eos. Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in*

tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini. Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, &c. Apostolus quoque de ijsdem scribit: *Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex ijs quæ audierunt.* Rursumque: *Quibus* (inquit) *iurauit Deus, non introire in requiem ipsius,* (id est, in terram patribus promissam,) *nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire in requiē ipsius, propter incredulitatē.* Finalē quoq; totius gentis reprobationem in putan. eius infidelitati, ait ad Gentilem assumptum: *Dicis ergo: Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, &c.*

Heb. 4.
Heb. 3. Psalm. 94.
Rom. 11.

His ergo vides ἀπιςίαν, id est, incredulitatem Iudæorum, qua nec Iosue & Caleb sanctis exploratoribus, nec Moysi, imò nec ipsi Deo nunc ex gloria sua in monte, nunc ex arca secū loquenti ac differenti, fidem constanter adhibere voluerunt, omnium malorum causam præcipuam fuisse.

Exod. 14. 16. 17 19. Num. 11. 13. 14. 16. 20. 21. 25.

Deinde, horum exemplo discamus cautiores sapientioresque esse oportere Christianos, ne quando gratiam Dei conuertant in impudicitiam: aut à suscepto verbo, timore, cultuque Dei, vnà cum apostatis & impostoribus à vera fide & pietate deficiant. *Videte fratres ne quando sit in aliquo vestrū cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Festinemus ingredi in illam*

Heb. 3. Heb. 4.

illam requiem, nimirum cæleſtem, quæ nos manet per Chriſtum apud Deum; *ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.* Incredulitate enim & Zacharias voce priuatus fuit, & ciues Nazareth miraculis Chriſti deſtituti, & Apoſtoli dæmonium eijcere non potuerunt, & Petrus in mari periclitatus eſt, & Thomas increpatus à Domino, & vndecim Diſcipuli ex probrationibus ac increpationibus Diuinis caſtigati. Enimuerò vt fides omnium virtutum, ac bonorum fons & baſis eſt, ita infidelitas malorum, &c.

Luc. 1. & 4. *Luc. 17.* *Matth. 14.* *Ioan. 20.* *Marc. 16.*

6. *Angelos verò qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.*

HOc eſt ſecundum exemplum, quo ab Angelorum malorum horribili lapſu & dānatione, docet quæ quantaque ſupplicia maneant impoſtores ac hæreſiarchas: ſimulque omni ſtudio cauendum à ſuperbia, ambitu, & contumacia in Deum, quibus ſceleribus & illi & iſti commaculati erant. Continet autem argumentum à maiore ad minus negatiuè, hoc modo. Si Deus non pepercit Angelis peccantibus quantumcunq; præſtantioris ſint ſubſtantiæ ac conditionis, ſed defectionem eorum terribili exemplo iam vltus eſt, & ſeuerius adhuc in ſupremo die vlciſcetur: multo minus parcet hominibus perfidis, ſuperbis, & religionis ac Eccleſiæ ſuæ deſertoribus. Vel ſic poteſt affirmatiuè componi ratiocinatio. Quid olim acciderit quibuſdam Angelicis ſpiritibus, quæſo

vos, fratres mei, diligenter aduertite. Illi quidem natura immortales, cælorum ciues, intelligendi magna vi præditi insuper, ad hominũ, elementorum, cælorum regimen destinati; quinimò multis inferiorum ordinum spiritibus præfectis malitiosa damnabiliq́ue aduersus Deum rebellione insurgentes, primæ & maximæ conditionis suę dignitatem perdiderunt: & hac de causa de cælo præcipites dati, cælestiq́; domicilio priuati, tanquam perduelles ac latrones in tetrum carcerem detrusi sunt, donec ad tribunal supremi omnium iudicis pertracti extremo supplicio afficiantur. Sic etiam pro certo quicumque ex hominibus locum suum in Ecclesia Dei derelinquunt, id est, qui per schismata & hæreses ab eadem exeunt, tanquam malefici & apostatæ ad extremum iudicium vt æterna supplicia pendant, procul dubiò reseruantur. Omnibus ergo modis cauendum est vobis ab hæresi, ambitu, & perduellione, si parem damnationem, ac æquale iudicium vultus euadere.

Obseruandum autem in primis, hunc B. Iudę locum desumptum videri, ab hoc Beati Petri: *Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni* (Græcè, catenis noctis) *detractos in tartarum tradidit cruciandos, &cæt.* 2. Pet. 2. quod tam huius quàm illius Epistolæ authoritatem non minuit, sed potius adserit: & confirmat vtramque ab eodem Spiritu Sancto reuelatam & traditam fuisse. Nihil enim prohibet sacros scriptores posteriores à prioribus aliquid desumere, ac scriptis suis inserere: sicut Daniel

& Author libri secundi Machabæorum, citauerunt Ieremiam; Ezechiel, Danielem; Petrus quoque Epistolarum Pauli meminit; & Ioannes in Apocalypsi, Ezechielem & Isaiam ad verbum non semel exprimit.

Deinde, hinc liquidò patet, quosdam reipsa esse Angelos malos, reprobos & damnatos, contra Sadducæorum, Dositheanorum, Balborum, Athinganorum, veterum hæreticorum; & nouorum Anabaptistarum ac Libertinorum errorem: quo volunt atque impiè contendunt quicquid de cacodæmonibus dicitur ac legitur, tantùm referendum esse ad prauos affectus turbulentosque motus animorum nostrorum: & non ad quasdam spiritales, & per se subsistentes improbas substantias, quas Diabolos & maligno: spiritus appellamus. Contra verò constat malum angelum, adeoque Satanam ipsum (vt vult Paulus) assumpto serpentis corpore, cum Eua ratiocinatum & colloquutum, vt eam deciperet. Iobi quoque initio dicitur, eundem Satanam semel & iterum stetisse coram Deo, ab eoque aduersus iustum omnem potestatem petijsse & accepisse: qui & horrendis modis in liberos, facultates, denique in corpus sancti viri grassando & debacchando, ostendit reipsa dæmones esse homini infestissimos inimicos. Moyses insuper, prohibens dæmonibus sacrificare: & Dauid quibusdam exprobans, quod filios suos & filias immolassent dæmonijs, palam ostendunt quosdam superbos & malignos spiritus esse. Constat etiam cladibus Aegyptiacis, tormentis Saulis, & mortibus septem maritorum Saræ, diabolos longè aliud esse, quàm

2. Corinth. 11. Genes. 3. Iob. 1. & 2. Leuit 17. Deut. 32. Exod. 5. 6. 7. 8. 9. 1. Reg. 18. Tob. 6.

prauos

prauos motus vel affectiones animorum nostrorum. Denique, Satanas Christum etiam tertiò adoriens, Apostolos cribrans vt triticum, mulierem alligans 18. annis: fornicarium Corinthium corripiens, plus satis euicit dæmones esse, à quorum insidijs & infestationibus postulemus liberari. Enimuerò Locus iste Beati Iudæ non nisi de malis ac peruersis angelicis spiritibus potest intelligi, &c. Luc. 22. Luc. 13. 1. Cor. 5.

Voluntantem Beati Apostoli, tam cælestium creaturarum & præstantium ministrorum Dei peccatum damnationemque nobis assiduè coram oculis versari, vt seriò cogitemus, quanta sit peccatorum nostrorum grauitas, quamq; ipsi Deo nostro inuisa ingrataq; existant seu angelorum seu hominum scelera. Non minus enim nunc auersatur Deus superbiam, philautiam, apostasiam, gratiæq; suæ cõtemptum, quã olim, cùm semper sibi similis sit. Meritò itaque Paulus docet, diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis Dei, quibus ad pœnitentiam adducimur, non esse contemnendas; ne nobis thesaurizemus iram eius in diem iusti iudicij & reuelationis. Christus quoque exemplo serui scientis voluntatem Domini sui, & non facientis, monet impios Christianos grauioribus tormentis ac plagis, præ infidelibus qui de lege Domini nihil vnquam audierint, tandem plectendos ac corripiendos esse; vt hinc saluti nostræ maturè prospiciamus. Nec absimili argumento suadet Apostolus cuiq; nostrum timendũ esse, nec de Patrum stemmate aut virtute gloriandum, quãdo scribit. *Si Deus naturalibus ramis* (id est, Iudæis qui ex Abrahami semine orti erant) Rom. 2. Luc. 12.

non

Rom.11. *non pepercit, noli altum sapere, sed time, ne forte nec tibi parcat.* Vnus itaque est Deus hominum & Angelorum, cui non placent peccata, ait Irenæus martyr, etiam si à claris fiant.

Iren.lib.4. c.p.45.

DE LAPSV DAEMONVM.

1 EXpende etiam, quàm mirabili breuitate multiplicia horrendaq; cacodæmonũ scelera Beatus Iudas comprehendat. *Non seruauerunt*, inquit, *suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium.* Id est, Puram, sanctam, ac felicem illam originem, in qua primũ conditi fuerunt, præ nimio sui amore dereliquerunt, & à Creatoris sui reuerentia, obedientia, & obsequio auersi, illius diuinæ maiestati subesse noluerunt. Dixit enim princeps eorum in corde suo, cæteris eius superbiæ consentientibus: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Hac itaque superbia & perduellione commaculati, de cælo, velut de omnium altissima & præcellentissima statione, in qua collocati fuerant, deiecti sunt, & ad inferos deturbati; vbi detinentur in vinculis ad vltimum iudicium vsque, in quo postremam cum omnibus reprobis æternę damnationis sententiam istam sunt audituri & suscepturi: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.*

Isaiæ 14.

Matth.25.

2. Notandum enim nomen ἀρχὴ significare & originem, & principatum, siue potestatem super alios eminentem, ac vtramque significatio-

ſcationem huic loco aptè conuenire. Nam peccatis beatam puramque ſuam originem ac conditionem cæleſtem perdiderunt: ſimulque poteſtatem ac eminentem ſuper alios multos Spiritus dignitatem & authoritatem, quam à Deo acceperant, miſerum in modum amiſerunt. Enimuerò docent Theologi multos cacodæmones non tantùm ex inferioribus Angelorum, vel Archangelorum ordinibus in peccatum & infernum cecidiſſe; verùm etiam ex Poteſtatibus, Principatibus, Dominationibus, Thronis, Cherubinis, & Seraphinis, quibus in alios inferiores præcellentiſſima poteſtas data eſt, lapſos eſſe. Quinimò ipſum inferorum principem, (ſiue eum Luciferum, ſiue Satanam, ſiue alio quo volueris nomine appellaueris) ex ſupremo Seraphinorum vel Cherubinorum ordine collapſum, non tantùm opinatur, ſed & aliquot ſacrarum literarum teſtimonijs conſtanter aſſerit, probatque diuus pater Gregorius. Iob, inquit, ſcribens Behemot, id eſt, principem diabolorum, eſſe principium viarum Dei, docet hunc primùm conditum, & reliquis Angelis eminentiorem factum eſſe. Explicans quoque iſta Ezechielis verba, *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, &c.* ſcribit: Prælatum cæteris legionibus tanta illum ſpecies pulchriorem reddidit, quanta & ſuppoſita Angelorum multitudo decorauit. Sed idcirco peccans ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione creatus fuerat. Idē rurſus in expoſitione horum verborum Ezechielis, *Cherubextenſus & protegens in monte ſancto Dei, &c.* ait: Idcirco iſte Cherub dicitur, quia

2. ſentent. d. 6.
S. Thom.
S. Bonauent.
Greg. lib. 32. Moral. ca. 18. & homil. 34. in Euang.
Iob. 40.
Ezech. 31.
Ezech. 28.

quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur: & aliorum magnitudinem excellentia maiore transcendit. Et postea, enumeratis nouem pretiosorum lapidum speciebus, infert eos significasse nouẽ Angelorum ordines, quibus Behemoth iste (i. princeps cacodęmonum) opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. Hactenus Gregorius, ex quibus perspicuum est, ipsum principem malignorum spirituum præcipuum & maximum honoris & authoritatis locum inter Angelos quondã occupasse: quem miser nõ seruauit, sed propria peruersitate amisit, sieq; beatissima sede cælesti (qua velut domicilio donatus fuerat) pulsus & deturbatus est, vnà cum reliquis, qui ei tanquam principi seditioso ac perduelli adhæserunt. *Proiectus est*, inquit Ioannes, *draco, serpens antiquus, qui vocatus est diabolus & satanas, in terram: & Angeli eius cum eo missi sunt.* Apocal. 12. De eodem lapsu Christus quoque ait: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Luc. 10.

Hæc porrò attentis secum animis meditentur ac frequenter reuoluant homines superbi, arrogantes, tumidi, seditiosi ac perduelles: & tormenta sibi reposita perhorrescant, citiusq; resipiscant, ne in idem iudicium cum principe dæmonũ & satellitibus eius incidant. Intueantur quid Adamo, Pharaoni, Nabuchodonosori, Antiocho, Herodi, ac cæteris superbiæ diabolicæ imitatoribus contigerit, & arrogantiæ

suæ cristas deprimant, si saluti suæ in æternum consultum volunt. *Deus quippe superbis resistit,* nulla personarum aut dignitatum habita ratione: imò quo altior est humanæ gloriæ maiestas, eo casus fit grauior. Celsæ grauiore casu decidunt turres: feriuntque summos fulgura montes. *Iacob. 4. 1. Pet. 5.*

3. Sed in quem locum deturbati dæmones, vltimo iudicio reseruantur? certè cùm substantiæ sint creatæ ac finitæ, non autem natura immensæ, quòd solius Dei proprium est; necesse est illos definitis quibusdam locis contineri: Ideoque Iudas ait eos *seruari sub caligine*: & Petrus scribit, illos *rudentibus inferni*, id est, vinculis seu catenis caliginosis *detractos in tartarum cruciandos traditos reseruari*: quibus verbis ac nominibus, volunt plerique Theologi hunc aërem caliginosum & obscurum, in quo nubes, tonitrua, procellæ, ignes, & tempestates gignuntur, significari. In hanc igitur huius inferioris mundi partem relegati, tanquam in tætro acerboque carcere inuiti detinentur; suum secum ignem & supplicium quocunque vagati fuerint circunferentes, suo tempore in tartarum abyssumque demergendi, nunquam inde exituri. Hinc quoque docent, Apostolum illos vocasse, *Principes potestatis aëris*, eo quod in aëre isto vagantes peccata hominibus miris modis insinuent: itemque: *Mundi rectores tenebrarum harum, & spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Non quo dæmones (ait Hieronymus) in cælestibus commorentur, sed quo supra nos aër, hoc nomen ac- *2. Petri 2. Ephes. 2. Ephes. 6. Hieronym. in 6. ca. ad Eph.*

men acceperit. Vnde & aues quæ volitant per aërem, *volucres cæli dicuntur.* Atq; hanc communem omnium Patrum esse sententiam idem ilicò adfirmat his verbis: Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quod aër iste qui cælum & terram medius diuidens, inane appellatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus. Eundem Apostoli locum expendens Athanasius ait: Ingens dæmonum turba istum peruolat aêrem, nec procul à nobis hostium caterua discurrit. Tertullianus quoque scribens, Dæmones habere de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cælestes sapere paraturas; illos aêris huius incolas esse docet. Propter nimiam insuper horum quiduis audendi & agendi in hoc mundo agilitatem, in momento (ait idem Tertullianus) vbiq; sunt: & totus orbis illis locus vnus est: quid vbiq; geratur tam facilè sciunt, quàm enunciant. Velocitas, diuinitas creditur: quia substantia (id est natura eorum spiritalis) ignoratur, &c. His planè consentiunt reliqui Theologi, vt videre est apud Augustinum libro 8. de ciuit. cap. 22. & lib. 11. ca. 33. libro 14. cap. 3. Libro Enchiridij cap. 28. libro 3. de Trinit. cap. 7. Libro de natura boni cap. 33. Libro 1. de genesi ad lit. cap. 26. Chrysostomum Hom. 11. in priorem ad Thessalonicenses, &c.

Matth. 8. & 13.

Athan. in vita Antonij.

Tertul. c. 22. Apolog.

4. Ex hoc autem suo carcere, seu caliginosis vinculis, facultate sibi diuinitus aliquoties cõcessa erumpentes, circumeunt terram & perambulant eam, vt Satanas coram Deo gloriatur: & tanquam leones rugientes quærunt non simpliciter vt noceant aut lædant; sed vt penitus lacerent, atque deuorent quoscunque placitis atque ten-

Iob. 1. & 2. 1. Pet. 5.

que tentationibus ſuis obtemperantes inuenerint. Operatio eorum, inſit Tertullianus, eſt hominis euerſio à primordio. Corporibus valetudines infligunt, & caſus acerbos; animæ repentinos & extraordinarios exceſſus; ſuppetit illis ad hoc ſubtilitas & tenuitas ſua. Fruges etiam conuulnerant, & aêri peſtilentes hauſtus offundunt: mêres furoribus & amentijs, aut ſęuis libidinibus cum varijs vexant erroribus. Humano ſanguine ſimulacris, id eſt, ſibi ipſis litandum procurant, & hominem à cogitatu veræ Diuinitatis præſtigijs auertunt. Lædunt primò, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum noua ſiue contraria, poſt quæ deſinunt lædere, vt curaſſe credantur, &c. An non ergo iure optimo cæleſtis vox perſonuit, *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam*? Chriſtus quoque admonuit, vt vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem? *Apoc. 12.* *Matth. 26.*

5. Quæritur etiam, an vniuerſi dæmones ſic verſentur in hoc aêre, ac circa terram; vt nulli permaneant in tartaro, qui circa terræ centrum creditur eſſe? Reſpondeo, valde probabile eſſe Luciferum, quoſdamque alios principes cacodæmonum in profundiſſimam illam abyſſum detruſos, inde ad tentandum non exire, niſi ſingulari diuinæ permiſſionis licẽtia. Auguſtinus namque in ea eſt opinione, quòd ille primos parentes noſtros tentauerit ac vicerit: Chriſtum denique ſemel, ſecundò, & tertiò ſit adortus, velut in Euangelio refertur. Ad id referri non incongruè poterunt hæc eiuſdem Domini noſtri ver- *Auguſt. li. 11. ciuit. cap. 33. & lib. 20. cap. 1.* *Matth. 14.* *Ioan. 14.*

ſtri verba: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, quod propter inſtantem paſſionem, in qua nouiſſimo impetu, ὁ τῦ κόσμυ τύτυ ἀρχὼν, ille huius mũdi princeps, aduerſus Chriſtũ irruit, dictũ eſſe ſancti viri putant. Ecquis enim niſi vniuerſorum cacodæmonum ſuperbiſſimus, audaciſſimus & furioſiſſimus tantum heroêm impetiuiſſet? His porrò argumentis confirmant hunc tenebrarum principem in profundam illam tartari voraginem, cum alijs aliquot demerſum eſſe.

6. Certum eſt quoq; multorũ reproborum vt Caini, gigantum, Sodomæorum, Iudæ, Epulonis animas, ante poſtremi iudicij tempus, in inferorum barathro cruciari. Ergo nec deſunt illic cacodæmones, qui velut diuinæ vltionis ſatellites ac miniſtri, pœnas ab illis repetant, eiſdem inſultent, ac terrori ſint & horrori: ſcribente Hieronymo, quendam malorum angelorũ pœnis illis eſſe præpoſitum. Huius quoq; ſententiæ eſt beatus Ephrem, cùm inferorum horrore permotus exclamat: Quomodo minas malorum angelorum, qui cruciatibus præſunt, effugere potero? Sunt enim immites atq; terribiles. Nec ab his diſſentiunt magnus Baſilius & Cyrillus. Non omnes ergo maligni ſpiritus in aêre, aut circa terram verſantur: ſed quidam in abyſſis detenti & cruciantur, & miſeris reprobis ſunt tormento.

Hieronym. in cap. 14. Iſaiæ.

Ephrẽ ſerm. de moderat. riſus, & præconio fletus.

Baſil in Pſal. 33.

Cyril. ſerm. de exitu animæ à corpore.

Secundò, cùm diuerſis meritis diuerſa debeantur & loca & præmia, beatis autem angelis locus datus ſit in cælis, vbi perfecta Dei viſione fruuntur, dicente Chriſto, *Angeli eorũ in cæ-*

Matth. 18.

lis

lis semper vident faciè Patris mei, &c. diuinè profectò iustitiæ cõuenit, vt reprobis angelis locus ac supplicium in inferno inferiori destinetur.

Tertiò, ex sacris constat sanctorum hominum spiritus cùm ex hac vita in aliam ex corporũ ergastulis commigrant, à bonis angelis in locum quietis & consolationis deportari, vt Lazari exemplo Christus palam asseruit. Igitur è contrario ab angelis malis impiorum animæ abripiuntur cruciandæ. Quod exhorrescens Propheta vociferatur, *Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Nequando rapiat vt leo animam meam.* Leonis etenim nomine, Hieronym. August. & Cassiodori sententia, diabolum intelligit, qui vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Huius autem rei plurima & grauissima exemplа referuntur à beato Gregorio in Dialogis, & venerabili Beda in Historia Anglorum.

Luc. 16.

Psalm. 7.

1. Pet 5.

Gregor.

Beda.

Hinc igitur fit, vt sicut quidam sunt angeli in cælo cum sanctis animabus, quidam verò in terris adsunt hominibus, præsertim qui hæreditatem salutis sunt capturi; ita in inferni voragine, seu abysso puteo, vt Ioannes appellat, aliqui cacodæmones versentur cum impiorum animabus, quas horrendis cruciatibus affligũt; & sint qui in aëre & terris vagentur, vt impijs dominentur, pios verò multis tentationum machinis pulsent ac exerceant. Induamus ergo vniuersam armaturam Dei, vt possimus stare aduersus insidias diaboli, &c. Redeo ad Apostolum.

Heb. 1.

Apocal. 9. & 20.

Ephes. 6.

7. Quomodo verò *vinculis æternis* sub caligine ab Apostolis, seruari dicuntur? Quia nó sunt suæ potestati aut libertati relicti a Deo, sed eius sententia & iudicio velut facinorosi à legitimo magistratu quibusdam manicis, compedibus, & vinculis astricti, catenisq; plusquam ferreis religati, ne quicquam vltra id quo eis concesserit, facere; aut captiuitatis suæ fines egredi valeant. Hanc malignorũ spirituũ captiuitatẽ Petrus appellat σειρὰς ζόφου, catenas caliginis, seu iuxta veterẽ interpretem, *rudentes inferni*: sumpta metaphora à flagitiosis, q̃ in ima carceris parte vinculis constricti retinentur, donec ad vltimũ & publicum supplicium pertrahantur. Eandem rursus Ioannes designat in Apocalypsi, referens se *angelum vidisse descendentem de cælo, habentẽ clauem abyssi*, id est, Christum, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, *& catenam magnam in manu sua; & apprehendisse draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligasse eum annos mille*. Hac ipsa etiam metaphora dicitur Raphael angelus apprehendisse dęmonium, & religasse illud in deserto superioris Aegypti: quãdo nocendi Tobię ac vxori eius omnẽ vim & rabiẽ eius coercuit.

2. Pet. 2.

Apocal. 20. Primasius. Ambros.

Matth. 28.

Tob. 8.

Augustin.

8. Concinnè ergo ab Augustino dæmones cõparantur cum molossis ac ferociſſimis canibus, alicubi in angulo religatis ac vinctis; qui in transeuntes latrare possunt, eos autem nisi sponte propius accesserint, mordere non possunt. Hinc & Tertullianus scribit: Nihil Satanę aduersus seruos Dei licebit, nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidem electo-

Lib. de fuga in pers. cap. 2.

electorum in tentatione victricem: aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illũ. Habes exemplum Iob, &c. Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulauit, non habens eam nisi ex permissu. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset, tantùm abest, vt in oues Dei habeat. Et post pauca: Cæterùm, in domesticos Dei nihil illi licet ex propria potestate, nisi aut ex causa probationis, conceditur ei ius tentationis; aut ex causa reprobationis, traditur ei peccator quasi carnifici in pœnam, vt Saul; aut ex causa cohibitionis, vt Apostolus refert datum sibi sudem angelum Satanæ, vt colaphizetur, &c.

Iob.1. & 2. Luce 22. Marc.5.

1.Reg.16. 2.Corinth.12.

His adde quod Augustinus scribit: Permittit Deus eos in nos noſtraque sęuire, aut vt probet, si boni sumus: aut vt corrigat, si peccatores. Inexcusabilis est igitur hominum socordia, qui tam leuiter ab eo deijciuntur, qui neminem vicit nisi volentem. Sed & grauissimis periculis seipsos exponunt, qui frequenter eũ appellant, seque illi toros deuouent, qui procul ab eis non est, nocendique auidissimus terram, mare, aêrem, nunquam non circuit, quærens quem deuoret. Apostolorum ergo salutaribus istis præceptis obtemperemus: *Nolite locum dare diabolo. Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Serm.241.de tempore.

Ephes.4. Iacob.4.

9. Vincula porrò dæmonum dicuntur *æterna*, quoniam conditionis eorum miseria, iniquitas & damnatio sempiterna est. Vt nunquã à peccatis resipiscent, sic nullam vnquam indulgentiam, aut tormentorum remissionem consequentur. Notatur autem in his pœnæ eorum

rum multiplex atrocitas. Qui enim quondam liberi erant spiritus, nunc perpetuis vinculis astringuntur. Qui cælum incolebant vt ciues, dominationes, throni, cherubini, amissa omni dignitate, ac derelicto domicilio cęlesti, nunc inferis sunt mancipati. Qui fruebantur cælorum luce, nunc sub caligine sunt demersi. Et qui æterna Dei gratia & gloria gaudere potuissent, nunc propter apostasiam, omnibus donis exuti, sua quocunque pergant secum ferunt vincula, incendia & tormenta, extremo iudicio potius augenda quàm minuenda. Etenim quocunq; se verterit diabolus (inquit Beda) ignem gehennæ secum fert, etiam si à suis sequacibus in templis & phanis gentiũ diuinos vendicet honores: sicut beati angeli cùm nobis etiam præsto sunt, semper vident faciem Patris qui in cælis est. Rectè ergo Augustinus: Nunquam esset illorum æterna miseria, nisi esset magna malitia. Est autem dæmonum misera aternitas, ac æterna miseria. Idem quoque aduersus Origenistas & Priscillianistas multis confirmat horum tormenta nullum vnquam terminum aut finem habitura, quoniam a Christo dicetur *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et ibunt hi in vitam æternam, illi autem in combustionem æternam.* Vtrumque (inquit) sine fine dictum est æternum, hoc est ἀιώνιον, ne cùm diaboli pœnas dolemus, & de regno Christi dubitemus.

Matth. 18.
Augustl. 9. de ciuit. cap. 13.
Lib 21. ciuit. cap 16. 17.
& lib. cont. Priscillianistas & Origenistas.
Matth. 25.

10. Nec quicquam illis vnquam profutura est Christi Domini nostri passio vel mors; quoniam,

niam, vt rectè sensit Tertullianus, restitutio nunquam illis repromissa est. Nullum quippe mandatum de salute angelorum suscepit Christus à Patre. Quod autem Pater neq; repromisit, neque mandauit, Christus administrare nō potuit. Damascenus denique etiam de his scribit: Quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus: quia videlicet post lapsum nullus superfuit illis pœnitentiæ locus, sicut nec post mortem hominibus aliquis est. Nunquam ergo satis à nobis laudari potest plusquam humana & paterna Dei in nos miseratio, qua toties, totoq; vitæ nostræ curriculo peccantes, non ilicò damnat & plectit in æternum, vt suo iure posset: sed econtrario multo tempore dissimulat peccata nostra propter pœnitentiam, patienterque nobiscum agit, nolens aliquem perire.

Lib. de carne Christi. c. 14.

Lib. de fide orthod. cap. 14.

Sapient. 11.

11. Postremò, dicuntur *in iudicium magni diei reseruari*, quoniam cùm Christus venerit in maiestate sua ad iudicandum orbem terræ in æquitate, tum & cacodæmones omnes ex aêre caliginoso, & inferis, coram eo sedente pro tribunali, velint nolint aderunt, & ab illo omnibusq; sanctis eius iudicabuntur, damnabuntur, & in profundum abyssi, cum cæteris reprobis in æternum relegabuntur, nunquam inde ad tentandos fallendosque homines super terram redituri. Christus namque *tradet regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, potestatem, & virtutem, posueritq; omnes inimicos sub pedibus suis*: id est, postquam diabolum coram omniū electorum cœtu confuderit, & in ignem æternum miserit. Tunc,

1. Corinth. 15. Psalm. 109.

Lib 8. de ciu. cap. 23. ait Augustinus, dæmones æterna damnatione puniendi sunt, cum omnibus hominibus, qui eorum societatè detinentur, sicut religio loquitur, quæ nec fallit, nec fallitur. Quinetiam ab omnibus sanctis illos tum esse iudicandos ac damnandos Apostolus diserte tradidit, scribēs; *1. Cor. 6.* *Angelos iudicabimus:* quod non nisi de angelis, quibus in lauacro renunciauimus posse intelligi, docet Tertullianus. Consentit & Chrysostomus inquiens: De dæmonibus ibi sermo est, de quibus Christus dicet, *Discedite in ignem præparatum diabolo & angelis eius.* Quando enim incorporeæ virtutes nobis qui carnem induti sumus, inferiores reperientur, grauius dabunt suppliciū. Id autem eos non prorsus latuisse, imò & exhorruisse palam ostenderunt, quando ad præsentiam eius, tanquam leueri, iusti tamen iudicis, trementes sunt vociferati: *Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Rogamus, ne nos mittas in abyssum: sed permitte ire in porcos.* Enimuerò apertè eum totius orbis iudicem cognoscunt & fatentur, quando metu consternati obtestantur, ne ante tempus iudicio vltimo destinatum, ad pœnarum locum amandentur. Nā cùm Dominus in nefario opere occupatos deprehendisset, verebantur ne propter scelerum immanitatem, communi punitionis tempore non expectato, statim in abyssum præcipitarentur.

Lib de habitu muliebri. *Hom 16. in cap. 1 epist. 1. ad Cor.* *Matth. 8.* *Lucæ 8.*

Ad ca. 5 Marci Euang. 12. Et si dęmones, ait Victor Antiochenus, sint nequissimi, flagitiosissimisque moribus deformati, attamen certò compertum habent, propter

pter mala quæ quotidie perpetrant, tandem aliquando grauissimas pœnas sese daturos. Licet enim etiam nunc crucientur, suaq;, vti paulò superius diximus, vbique circumferant supplicia, quæ à Theologis essentialia dicuntur; accidẽtaria tamen in die iudicij ac deinceps multis modis augebuntur & crescent, quando superbissimi Spiritus à Christo & sanctis omnibus coarguentur, confundentur, iudicabuntur, & postrema sententia in stagnum ignis & sulphuris cum omnibus reprobis in æternum præcipitabuntur. Nam vt cuiuslibet sancti gloria tam ex resumptione glorificati & iam immortalis corporis sui, quàm ex consortio communiq; aliorum sanctorum conglorificatione non paruis incrementis cumulabitur; sic è diuerso quilibet dæmonum & reproborum de aliorum miserorum commercio, & tenebris exterioribus infernalium locorum maiore horrore ac confusione in æternum contabescent. Hoc confirmans venerabilis Beda, Deus, inquit, superbientes angelos ita sub caligine aëris huius dãnauit, vt eosdem in die iudicij grauiores reseruaret ad pœnas. De his quoque Anselmus ait: Sicut bonitas hominis boni, hominibus est ad lætitiæ incrementum: sic dæmonibus & hominibus damnandis erit ad detrimentum. Dæmonibus namq; & hominibus damnatis Sanctorũ consummatio erit interminabilis luctus, & æterna damnatio. *Anselm. lib. similitudinum, cap. 45.*

Dicitur autem postremum ac vniuersale iudicium *dies magna*, propter res omnium præcipuas & maximas, quæ tum tractabuntur & perficientur. Christus namque tanto cum *Matth. 25.*

Matth. 25. splendore tunc apparebit & iudicabit, vt etiam dicatur dies aduentus, dies maiestatis, dies
Matth. 24. 2. Thess. 2. regni, dies gloriæ ac dies manifestationis &
Tit. 2. illustrationis eius *Videbit eum omnis oculus, et-*
Ioan. 19. *iam eorum qui illum pupugerunt. Videbunt in quẽ*
Apocal. 1. & 20. *transfixerunt.* Libri aperientur, & iudicium fiet de his, quæ scripta erunt in libris. Manife-
1. Cor. 4. stabuntur abscondita tenebrarum, & consilia
Luce 8. cordium *Nihil occultum, quod tunc non sciatur.* Deinde, finis vltimus huic vitæ ac sæculo im-
Apoc. 10. ponetur, quandoquidẽ non erit amplius tempus. Adhæc, omnes tam boni quàm mali in ijsdem corporibus resurgemus, terra & mari reddentibus mortuos suos: stabimusq; ante tribu-
Apoc. 20. nal Christi rationem de cunctis cogitationi-
Rom. 14. bus, verbis & operibus reddituri, recepturiq;
2. Corinth. 5. prout gesserimus siue bonum siue malum. An non hæc per maxima?

Vt autem bonis dies hæc periucunda & salutaris; sic impijs, vel testantibus Prophetis, erit
Ioel. 2. dies magnus & horribilis, dies iræ, dies tribu-
Sophon. 1. lationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, &cæt. Propterea rememorantes il-
Lib. de resur. & iudicio, cap. 2. & 3. lum diem, inquit beatus Ephrem, non negligamus, fratres dilectissimi, neque in præsentibus & caducis rebus tanquã in æternis & perennibus delectemur. Non obdormiamus somno (peccatorum) nequissimo. Non obliuiscamur
Hebr. 13. sanctorum Patrum, qui huius vitæ nostræ du-
Prouerb. 4. ces optimi extiterunt, quorum contemplantes
Matth. 24. & 25. conuersationem, imitemur fidem. Omni custodia seruemus cor nostrum, expectantes patrem familias Christum. Abluamus frequen-

ter animas noſtras lacrymis, ne radix amaritudinis rurſum germinãs impediat. Præparemus nos, ſine macula inueniri in illo terribili Chriſti examine, in quo omnes actus noſtri arguentur. Nam & pro operibus, & pro ſermonibus otioſis, & pro inhoneſtis aſpectibus, & omnibus actibus vel manifeſtis vel occultis, ſinguli iudicium ſument, &c. *Heb. 12.* *Matth. 12.*

DE NOMINE, ORIGINE, PECCATIS, *damnatione, atque pœnis cacodæmonum.*

I.

QVoniam verò & hîc, & alibi paſſim in ſacris literis, Patrumq; monumentis, multa traduntur de Cacodæmonibus, non erit à præſenti tractatione alienum, aut pijs lectoribus inutile, ingratúue paulò prolixius & diligentius in eorum originem, lapſum, ſcelera, damnationem, atque multiplicia ſupplicia inquirere. Ac vt primo loco de ipſa voce dicamus, Conſentiunt Lactantius & Auguſtinus cum Platone, Δαίμονες à ſcientia, & variarum rerum peritia, quaſi ſapientes vocari: quando δαίω Græcis olim fuerit ἐπίσταμαι καὶ γινώσκω, ſcio & noui. Eſt ergo in dæmonibus ſcientia ſine charitate: & ideo tam inflati & ſuperbi ſunt, vt honores diuinos ſibi curarint exhiberi. Vbicunq; autem in ſacris literis hoc nomen poſitũ reperitur, ſiue dæmones, ſiue dæmonia dicantur, non niſi maligni ſignificantur ſpiritus. Et hanc loquendi conſuetudinem in tantum populi vſquequaque ſecuti ſunt, vt eorum etiam qui Pagani appellantur, & deos multos ac dæmones colendos eſſe contendunt, nullus ferè ſit tam *Lib. 2 cap. 15, 16. 17. 18.* *Lib. 9 ciuit. cap. 20.* *In Cratylo.* *1 Corin. 8 & 10.* *1 Timoth 4.* *Iob 7.* *1. Reg. 17.* *Leuit. 17.* *Deut. 32.* *Pſal 106.* *Auguſt. li 9. ciuit. cap. 19.*

sit tam literatus & doctus, qui audeat in laude vel seruo suo dicere, Dæmonem habes: sed quilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quàm maledicere voluisse dubitare non possit. Idem & Tertullianus asserit suo tempore inualuisse, vt ethnicorum etiam vulgus indoctum nomen Cacodæmonis in vsum maledicti frequentaret: hominem insuper aut immunditia, aut malitia, aut insolentia, aut quacunque macula affectum, dæmonium vocaret. Ab Hebræis vocatur cacodæmon *Sched*, id est, vastator seu populator: & *Schagir*, id est, pilosus, hirsutus, horridus. Rationes horum nominum ex horribilibus eorum apparitionibus, & effectibus facilè colligentur.

Apolog. c. 22. & lib. de testim. animæ, cap. 3.

Isaiæ 13. & 34.

2. Errant autem turpissimè, qui cum Sadducæis, & quibusdam Epicureis putant aut nullos esse cacodæmones, aut horum nomine, prauos duntaxat animorum nostrorum motus, quales sunt ægrotorum phantasiæ, aut excandescentium, furentium, aut ardentius amantium affectus significari: illudque profani planè poetæ in triuijs cantillant,

Iuuenal. Satyra 2.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; vna transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt.

Huiusmodi enim permultos huic sæculo peperit nouum Lutheri & Caluini Euangelium, ipsis etiam in propriam ignominiam & damnationem idipsum testificantibus, & hos concionum suarum amarissimos fructus esse confitentibus. Ait enim in lib. Colloq. pag. 97. & 98. Luthe-

Lutherus. *Euangelium Christi ita floccifacimus, quasi esset dictum aliquod Terentianum. Anno 1539. prima Iunij quidam studiosus VViteberga publicè proposuit, Angelos bonos & malos esse bonum & malum genium: Spiritum Sanctum, inclinationem bonam: resurrectionem, quandam exhalationem.* Hæc Lutherus de gregalibus suis. An non quoque in Frisia, Hollandia, & Zelandia in planum plenumque Sadduceismum Caluinistimus nunc tandem conuertitur? Anabaptistæ, & Embdenses id sanè testificantur. Quinetiam in Geneuanis scholis quosdam esse ludimagistros, qui id discipulis suis doceant, oculatus & auritus testis est huius sectæ minister Petrus Virerus, scribens eos adolescentibus illis occinere, *eum beatum esse, qui Metus omnes, & inexorabile fatum subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari. Lib. 2. de ministerio verbi.*

At verò Tertullianus & Lactantius productis etiam Trismegisti, Hesiodi, Platonis, Socratis, Asclepij, Sybillarum, Magorum, & aliorum omnium, qui inter Ethnicos aliqua sapientiæ laude floruerunt, testimonijs obsessorumque verbis patentibus & gestis, euincunt etiã Gentilibus id persuasissimum fuisse, quod isti septies miseri negant. Nimirum, aliquos esse πονηροὺς ἀγγέλους, quos Dæmonas, quasi δαήμονας, id est, peritos, ac multarum rerum scientes appellauerunt. Nos quoq; hoc ipsum ex sacris literis abundè confirmauimus, tum paulò supra, tum maximè in Appendice adu. hæreses. *Apologet. ca. 22. Lib. 2. ca. 15. 16. 17.*

3. Falluntur etiam, qui existimant reliquos Dæmones ex vno primũ lapso propagatos esse,

esse, quemadmodum ex vno Adamo patre peccante, vniuersi postmodum filij hominum nascuntur & ipsi peccatores: quandoquidem nec illi quē Trismegistus Δημιουργὸν vocat, nec alijs, collata vnquam fuit vis creandi, aut generandi: insuper cùm in illis nullus sit sexus, nulla potest esse propagationis potestas vel ratio. Neq; eorum (tametsi & veterum & magnorum virorum) admittenda est sententia, qui ex non rectè intellectis Prophetæ Mosis verbis, contendunt illos genitos fuisse ex formosis hominum filiabus: quoniam ex his non nisi veri ac mortales homines gigni possint; locusq; ille, de filijs Seth, qui ob pietatem Filij Dei vocantur, à synceriorib⁹ Theologis rectius intelligatur. Multò etiam longius recedunt à vero, qui cum Apuleio & quibusdam alijs Platonicis, censent cacodæmones esse secundùm naturam ipsam, animalia corpore aèria, & tempore æterna: cùm æternitas soli & vni vero Deo competat: & quæ ex aëre constant, temporaria sint; adeoque propter confligentes inter se contrarias qualitates, corruptioni ac interitui obnoxia. In tetro deniq; etiam errore sunt versati, qui senserunt, piorum animas corporum mole exutas fieri καλοδαίμονας; impiorū ac sceleratorum in κακοδαίμονας euadere, & ita perpetuò manere; sicque ex hominibus fieri lares, genios, lemures, laruas, & manes. Nam ista non modò diuinis libris, sed etiam purioris Philosophiæ professoribus palam aduersantur.

Genes. 6.

August. 9. de ciuit ca. 8. 9. 10. 11. 12. &c.

4. Ex illis enim constat, cacodæmones fuisse Angelos illos cælestes, immediatè à Deo omnipoten-

nipotente ex nihilo conditos, qui primam originem, ac domicilium suum (vt hîc loquitur beatus Iudas) dereliquerunt, & ad iudicium magni ac postremi illius diei seruantur. Nam sanctè in concilio Nicæno definitum est, *Credendum esse in Deum factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium*. Et concilium Bracarense ante mille annos secundùm apertas vtriusque testamenti scripturas piè decreuit: Si quis dicit, diabolum non prius fuisse angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificiũ fuisse naturam eius: sed dicit eum ex tenebris emersisse, nec aliquem sui habere authorem, sed ipsum esse principium atque substantiam malam, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt: anathema sit. Et longè antea in 4. Carthaginensi definitum fuerat, Diabolum nõ per cõditionem, sed per arbitrium factum esse malũ. Hinc Theodoretus apud Anastasiũ Nicenũ, Dicimus dæmones ab initio à Deo creatos esse nõ malos, sed mentis auersione à melioribus ad deteriora esse prolapsos, & ijs non contentos quæ præbuerat Creator, maiora appetijsse. Nec dissensit Cyrillus Ierosolymitanus cùm scripsit: Diabolus bonus creatus, propria voluntate factus est diabolus, ab actione capiens cognomen. Tertullianus rursum id confirmat ex eo quod scribitur: *Facit angelos suos spiritus*. Irenæus & Iustinus idem etiam astruunt ex historia tentationis & lapsus primorum parentum, quos patet huius cacodæmonis malo artificio circumuentos fuisse. Nec obscurè Paulus docet illos conditos fuisse à Deo, cùm ait: *Omnia per illum condita sunt & quæ in*

Cap. 7.

Cap. 1.

Quæst 61. in script.

Catech. 2.

Lib. 2. adu. Mar.

Lib. 2. ca 30. In Dialogo.

Psal. 103.

Coloss. 1.

cælis,

cælis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia. Quorsum verò diabolus toties in veteri testamento inter cæteras res creatas numeraretur, nisi Deũ haberet authorem? Aut diceretur *spiritus Domini*, tametsi *malus*, si non conditus fuisset ab illo? Constat itaq; cacodæmonum substantiam naturamq; omninò à Deo omnipotente initio mundi conditam fuisse; omnesque illos impiè deliraſſe, qui aliter docuerunt: nec vllis rationum vel argumentorum momentis aliter effici posse, vt docet Augustinus, Lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 20. 21. 22. 23. &c. & Lib. 22. ciuit. cap. 1. 2. 3. Libro 22. cap. 1. &cæt. Volunt autem Cyrillus & Chrysostomus, Moysen ideo nihil apertis verbis de horum creatione expressisse, quòd sibi cum rudissimo populo, qui spiritalia non caperet; insuper & ad pluralitatem deorum cõfingendam, idololatriamque sectandam nimium pronus esset, erat negotium.

Daniel. 3. Psalm. 148. 1. Reg. 16. & 19 Iob. 40. Ioan. 1

Li 3 adu. Iul. Hom. 2. in Genes.

5. Neque verò solummodo conditi sunt à Deo, verùm & tanta libertate arbitrij, insuper & gratia initio donati, vt eorũ peccatũ lapsusque illis ipsis duntaxat, nunquam autem Deo creatori optimo valeat imputari. Poterant enim stare, vt & boni constanter steterunt in Dei timore & amore; & non auerti à summo ac incommutabili bono, quemadmodum sponte auersi sunt, ac proinde iustissima vltione in abyssum præcipitati: vt ex subiectis scripturis & patrum orthodoxorum testimonijs cuiuis liquebit. Contendit in primis diuus Areopagita, Dæmones nequaquam malos esse natura, quoniam ex Deo bono processerunt, qui non

Dion. lib. de diu. nom. ca. 4. parte 4.

nisi

nisi *valdè bona* condidit; sed tantùm ex eo malos esse & dici, quòd iuxta sacra eloquia, infirmati sunt ad seruandum suum principatum. Mali verò esse dicuntur, infit, & angelicorum bonorum indigentia, & quòd circa naturalem operationem infirmentur. Et post pauca: Non itaque mala est dæmonum gens, qua parte secundùm naturam est, sed qua parte nō est. Neque immutatum est, traditum illis totum bonum: sed ipsi dato sibi toto bono exciderunt; &c. Quid autem totius boni nomine, aliud nisi arbitrij libertatem, quæ bonum est naturæ; & gratiam, quæ supernaturale bonum dicitur, vir Apostolicus significat? Vtroque igitur bono abutentes in peccatum & perditionem sunt prolapsi. *Genes. 1.* *Iud. vers. 6.*

Subscribit Cyrillus, adfirmans plurimos eorum fuisse inter sanctos angelos, qui beatam & sanctam viuebant vitam, sed vt sacra scriptura dicit, *Non seruauerunt suum principatū*. Chrysostomus quoque contendit, diabolum antea fuisse bonum, ex eo quod scriptura dicat, *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentē*. Fulguris similitudo, inquit, & claritatem pristinæ conuersationis ostendit, & naturæ acumen. Et Theodoretus ait. Serpens talem à Deo omnium conditore naturam non accepit: bonus enim creatus est, & vna cum incorporeis virtutibus conditus. Idem rursum confirmat in Epitome diuinorum decretorum, ex aliquot Ezechielis Prophetæ testimonijs, vt pote, quòd aliquando plenus sapientia, & coronæ pulchritudinis, & in deliciis Paradisi fuisse dicatur. Deinde, quod aliquando cum Cherubin inunctus habitauerit in *Li 4 contra Iulianum.* *Iud. v. 6.* *Hom. 10. de pœnit.* *Lucæ 10.* *Quæst. 24. in Genes.* *Ezech. 28.*

monte sancto Dei, & irreprehensibilis ambulauerit. Damascenus deniq; scribens, cacodæmonem initio bonitate præditum, in luce creatum, splendore & honore circundatum, boniq; causa productũ, à bono libera voluntate abscedentem in malum incidisse, efficit quod contendimus, nimirum, malos angelos initio & libertate arbitrij, & gratia diuina fuisse præditos.

Lib. 2. orth. fidei cap 4.

Idipsum quoque verbis non ambiguis inter Latinos Patres asserit Augustinus, quãdo scribit, Deum angelos omnes condidisse cum bona voluntate, & castiore amore, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Iterumque ait: Diabolus & angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitriũ stetissent, donec summæ beatitudinis plenitudinem acciperent. Consentit & Hieronymus, adfirmans dæmones pristinam gratiam perdidisse, quando lapsi de propria dignitate de cælo ceciderunt. Docet etiam Gregorius, immundos spiritus à cælesti gloria, supernaq; gratia superbiendo cecidisse, & conditionali gloria virtutis à Deo exutos esse, vt in lapsis angelis homo disceret, quid timeret, &c. Hæc autem dona ad ipsorum substantiam, sub ficto naturalis gratiæ nomine referre, atq; qualitates spiritales cum ipsa eorum natura confundere, non tantũ puerile, sed & peruersæ in contraria sententia obstinatorum hominum malitiæ fuerit.

Lib. 12. ciuit. cap. 9.

Lib. de correptione & gratia, c. 10.

Com. in cap. 3. Oseæ.

Com. in ca. 7. libri 1. Regum.

6. Causas lapsus varias, adeoque multiplicia fuisse peccata dęmonum docent Theologi. Atq; in primis Iustin. martyr scribit, illos in natura

Dialog.

muta-

mutabili conditos propria voluntate, contra voluntatem Dei peccasse, & ab eo defeciſſe. Aſtipulatur Tertullianus dicens, Dæmonem deferendo Deum ſeſe feciſſe diabolum, id eſt delatorem & quidem falſum. Quod velut explicans Albinus, ait: Angelica (dæmonum) natura ab amore ſummi boni recedens, in ſeipſam delapſa, ſui homicida facta eſt. Et paulo poſt. Cũ cauſa miſeriæ malorum angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quia noluerunt ad illũ cuſtodire fortitudinem ſuam, qui eſt ſummum bonum: ſed auerſi ſunt ab illo, & ad ſeipſos cõuerſi ſunt, ſua propria delectati poteſtate. Et iſte primus defectus eſt, & prima inopia rationalis creaturæ. Hoc attigit & Anſelmus ſcribens: Non eſt aliqua ſpecies mali, quę non ex aliqua cupiditate procedat. Hac enim & primus angelus cecidit, qui vtiq. non amauit pecuniã, ſed propriam poteſtatem Et rurſum: Quia diabolus ſe cunctis meliorem iudicauit, factus eſt cunctis poſterior. Hæc illi: ex quibus manifeſtum eſt initium lapſus angelici fuiſſe impiam auerſionem ſeu defectionem à Dei reuerentia timore & obedientia, & conuerſionem ad creaturam, per excellentiæ propriæ nimium ac illicitum amorem, quem alij φιλαυτίαν, alij etiam luxuriam appellãrunt. Hinc quoq; factum puto, vt paſſim à Hieronymo, Auguſtino, Caſſiano, & Damaſceno, ipſi cacodæmones apoſtatæ, defertrices virtutes, & refugæ ſpiritus appellentur; propterea quod tam nequiter à ſummi boni, quod Deus eſt, amore defecerunt.

Lib. 2. adu. Mar.

Proœmio li. 3. de Trinit.

In cap. 6. primæ ad Tim. & in 3. eiuſdem.

7. Huic cacodæmonum defectionis & proprij amoris peccato Heſychius coniungit va-

Com. in 13. cap. Leuit. Com. in ca. 2. & 7. primi l. reg.

næ gloriæ scelus, cùm scribit: κενοδοξία fuit angelorum præuaricatio. Subscribit his verbis Gregorius. Maligni spiritus dum superbiæ suæ calice in momento inebriati sunt, à statu gloriæ tumescendo ceciderunt. Et hunc affectũ eorum ad hominum superborum cautelam alibi transferens, ait: Immundi spiritus, qui à cælesti gloria superbiendo ceciderunt, elatis doctoribus ad terrorem proponuntur, vt de se tanto iam humiliter sentiant, quanto etiam angelos à superna gloria lapsos per appetitum vanæ gloriæ contemplantur.

Libr. de virginit.

8. Superbię verò eosdem accusat Athanasius; scribens: Satanas non ob scortationẽ, aut adulterium, aut furtum deiectus est è cælo: sed superbia ipsum præcipitauit infrà ipsam abyssum. Et idem rursum. Constat diabolum cecidisse propter superbiam suam; cogitauit enim apud semetipsum, Supra nubes locabo solium meum, & Altissimo similis ero. Consentit Nazianzenus; Ex angelis (inquiens) is qui supra dignitatem se attollere est ausus, ac contra Dominum omnipotentem rebellare, & cathedrã super nubes Verbi instar ponere, dignas arrogantiæ suæ pœnas dedit. Hieronymus quoq: Satanas ex angelico fastigio, non aliam ob causam, nisi ob contrariam humilitati superbiam ruit. Huic denique sententię accedunt Ambrosius, Leo, Chrysostomus, Prosper, Primasius.

Lib. quæst. 46.

Orat. 1. de rect. Monach.

Epist. ad Antonium.

9. Sequuta est superbiam cacodæmonum Inobediẽtia, de qua scribit venerabilis Beda, Diabolus inobediẽdo & superbiẽdo lapsus, factus est diabolus. Quod & ijsdem pene verbis confirmat Albinus, cũ ait: Quæritis vnde ipse diabolus?

In cap 8. Ioan.

bolus? Vtiq; vnde & cęteri angeli. Cęteri angeli in sua obedientia perstiterunt: ille inobediendo & superbiendo lapsus, factus est diabolus. *Quæst. in Genes.*

10. Ambitus quoque & affectatæ dominationis eundem insimulant Cyprianus & Augustinus. Ille siquidem magna pertinacia contendit, vt etiã à Christo, velut huius mundi conditor & administrator, coleretur: quod in variorũ idolorum cultu ab ethnicis toto ferè orbe iam obtinuerat. Eius apostasiam (ait August.) multos angelos secum in præuaricationem traxit, dum voluit sibi regnum impia præsumptione defendere. Et paulò post: Videns infra se multas spiritales potentias, ipsa elatione inflatus, voluit dici Deus, &c. *Ser. de ieiun. & tent. Christi.* *Quæst. 11. vet. & nouĩ test.*

11. Quinetiam Deo illum inuidisse his verbis Anselmus tradit: Cùm tanto bono abundaret, videns diuinam essentiam multo se præstantiorem, contra conscientiam suam, non ex aliqua infirmitate, cœpit Deo inuidere, & voluit se ei parificare. Nõ ergo ex infirmitate ignorantiæ contra Deum peccauit, sed ex sua praui tate, cognoscens tamen eum esse Deum & conditorem suum, & tamen contra conscientiam suam inuidit ei. *In cap. 12. Matth.*

12. Impatientiæ quoque natales (id est principium & originem) Tertullianus in Diabolo deprehendit, iam tunc cùm Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini subiecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset: nec inuidisset homini, si non doluisset. Adeo decepit eum, quia inuiderat: inuiderat autem, quia doluerat: doluerat, quia patienter vtique non tulerat. *Libr. de patient.*

Ser. de zelo & Liuore.

Hom. de inuidia.

Humanigeniæ.

13. Impatientiæ zelum ac liuorem aduersus hominem cacodæmoni accessisse docent Cyprianus, Basilius, & Chrysostomus. Illius verba sunt ista: Hinc (ex zelo) diabolus inter initia statim mundi, & perijt primus, & perdidit. Ille dudum angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum cõspexit, in zelum maleuolo liuore prorupit: non prius alterum deijciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deiectus: captiuus antequam capiens, perditus ante quam perdens, dum stimulante liuore homini datæ gratiam immortalitatis eripit, qui ipse quoq; id quod prius fuerat amisit. Subscripsit huic sententiæ Prudentius istis versibus:

Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit inuidia, stimulisq; instigat amaris.
Arsit enim scintilla ody, de fomite zeli:
Et dolor ingenium subitus conflauit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum & structile, flatu
Concaluisse Dei: &c.

Ioan. 8. Lib. 11. ciuit. ca. 13 & lib. 2 cont. lit. Petil. cap. 13.

14. Homicidij quoque reus dicitur fuisse ab initio, quod Augustinus censet intelligendum esse, ab initio humani generis: ex quo vtiq; homo factus est, quem decipiendo posset occidere. Rursus de eodem scribit: Quærimus vnde fuerit diabolus homicida ab initio, & inuenimus, quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum, & à Paradisi felicitate deijciendo.

Lib. 11. ciuit. cap. 13. & 15.

15. Illud etiam quod ait de diabolo Ioannes, subdit Augustinus; *Ab initio diabolus peccat,*

non

non intelligunt (Manichæi,) qui inde volunt asserere peccati naturam, cùm naturale nullum sit omnino peccatum. Dicendum verò ab initio diabolum peccasse, hoc est, ex quo creatus est, iustitiam recusauit, quam nisi pia Deoque subdita voluntas habere non possit. Sed quis omnia eorum scelera percensendo numeraret? Sunt enim (vt idem ait) spiritus nocendi cupidissimi, à iustitia penitus alieni, superbia tumidi, inuidentia liuidi, fallacia callidi, qui in hoc quidem aêre habitant: quia de cæli superioris sublimitate deiecti meritò ingressibilis transgressionis in hoc velut sibi cõgruo carcere prædamnati sunt. Atque hæc de multis peccatis dæmonum. 1. Ioan. 3. Lib. 8. ciuit. cap. 22.

16. Quo verò tempore lapsi sint cacodæmones, non fuit vna Patrum sententia. Aliqui namque voluerunt eos tum cœpisse labi, cùm illorum princeps hominem seduxit: ac tum etiam illum primùm maledictum & abiectum fuisse à Deo, cùm ei in serpente dixit, *Maledictus eris inter omnia animantia, &c.* Verùm, hæc sententia stare non potest cum historia lapsus humani, ex qua facilè & apertè colligitur, diabolum antequam hominem tentaret, superbum Dei contemptorem, & hominis improbissimum hostem fuisse. Iamdudum quoque explosa est eorum sententia, qui docuerunt eos tunc lapsos esse, quando intemperanti amore fœminarum capti, cum illis se se miscuerunt: siquidem, vt superius attigimus, cùm veris corporibus careant, sed tantùm spectra corporum quædam edant & circumferant mortalibus illusuri, in his nec mulieribus verè commisceri, nec Genes. 3. Genes. 5.

generare, nec alia vitæ humanæ vera officia exercere possunt. Probatur verò nunc ab omnibus Origenis & Cypriani martyris opinio, docentium Dæmonem lapsum, & à Deo abiectũ atq; damnatum esse ante hominis cõditionem.

Serm. de zelo.

17. Lapsum porrò dæmonum nunquam reparandum, aut peccata eorum nunquam remittenda, non solùm docent Theologi, verùm & plurimas huius doctrinæ rationes adferunt. Prima est eorum impœnitentia, de qua Gregorius, Cor antiqui hostis, inquit, vt lapis indurabitur, quia nulla vnquam conuersionis pœnitentia mollietur. Tatianus quoq; scribit, Substantiæ dæmonum propter singularem improbitatem pœnitentiæ locum nullum habere. De hac dæmonum pertinacia pœnitus securus, diuus Martinus, simulq; de veræ hominum pœnitentiæ effectibus nihil dubitans, in hanc vocem aduersus insultantem sibi diabolum fertur exclamasse: *Si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum infectatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore cùm dies iudicij in proximo est, pœniteret, ego tibi verè confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer.* O quàm sancta de Domini pietate præsumptio, in qua & si auctoritatem præstare non potuit, ostendit affectum.

Lib. 34. Moral. cap. 6.

Orat. cont. Græc.

Sulp. lib. de vita B. Martini.

Secundam simul & tertiam causam his verbis complectitur Gregorius: Angeli lapsi reparari non possunt, quia videlicet nihil infirmi (vt homo) de carne gestarunt: & quia malitia propria ceciderunt: homo autem reparari debuit, qui in perpetratione culpæ contrahat aliquid

Libr. 4. Mor. cap 9. & 10.

quid ex infirmitate habuiſſe, & aliena malitia proſtratus eſt. Conſentit & Proſper ſcribens: Deus angelis peccantibus non pepercit, quia homo diabolo ſeducente peccauit, ille verò ſeipſum peccando ſeduxit. *Lib. de promiſſ. dei c. 2.*

Haymo duas quoque ſuperiores cauſas probans, eiſdem adijcit & quartam his verbis: Quærit aliquis, Quare homo ſit reparatus potius, quàm angelicus lapſus? Cui reſpondendũ, hominem non tantum deliquiſſe quantum diabolum. Ille enim diabolo ſuadente peccauit: diabolus verò nullo ſuadente, ſuperbiẽdo corruit. Homo quia corpus habebat, manducare indigebat: diabolus autem quia ſpiritus eſt, totus inexcuſabilis fuit. Fuit & tertia cauſa, quia homo nondum peruenerat ad locum, vbi æternaliter cum Deo regnaturus erat, ſed in Paradiſo terreno morabatur, de quo transferendus erat ad cælum, completo numero electorum: diabolus autem in cælo iam erat collocatus. *Com. in 2. ca. ad Heb.*

Quintam ſubiungit Flaccus Albinus, nimirum, quòd non tota angelica natura peccando delapſa ſui homicida facta eſt: ſed tantùm pars quædam cum maligno principe corruit; tota verò humana ſpecies in vno & altero primo parente delinquente cecidit: atque ideo hanc potius quàm illam redimi opus fuit. Atq; hunc de diaboli damnatione locum claudat his verbis ſuis ad Oroſiũ beatus Auguſtinus: Quantum poſſum ego commoneo, vt de diaboli & angelorum eius correctione & reparatione ſapere nihil audeas. Non quia dæmonibus inuidemus, & eo modo quaſi vicem maleuolentiæ illis rependimus; ſed quia vltimæ ſententiæ *Proœmio li. 3. de Trin.* *Libr. cont. Priſcillianiſtas & Origeniſtas, ca. 5.*

ſummi & veraciſſimi iudicis ex noſtra præſumptione nihil addere debemus. Ipſe enim ſimilibus eorum ſe dicturum eſſe prædixit: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* *Matth. 25.*

18. Denique, vt cacodæmonum peccata varia & grauia ſunt, ita & pœna multiplex & grauis. Omnium autem prima & maxima eſt, quòd Deum omnipotentem vbique & ſemper ſibi infenſum & ſciunt & ſentiunt. Sicut prædonibus, incendiarijs, homicidis, & cæteris malefactoribus Iudices & ſatellites ſemper ob oculos verſantur, qui terrore ac horrore vbique eos animis percellunt: ſic dæmones iram cæleſtem in ſe non ſolùm concipiunt, ſed & vident, & reipſa omni loco & tempore inuiſibili plaga experiuntur, nec vnquam ab iſta ſe expeditos liberoſvè fore ſibi pro certo perſuadent. Inde fracti deſperatione, aduerſus Deum frementes inſurgunt, blaſphemant, accuſant, diuinis eius mandatis & conſilijs pro viribus ſeſe opponunt, verbum cultumque è mentibus hominum deletum ſublatumque percupiunt. Hinc eorum princeps Deum aut inuidiæ, aut malitiæ, inſuper & mendacij inſimulans apud primos parentes, dixit: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis, &c. Nequaquam moriemini, &c.* *Geneſ. 3.* *Com. in 4 c. Matth.*

Quod expendens Theophylactus ait: Diabolus dicitur, quod accuſet & infamet Deum apud Adam. Dixit enim illi: Deus vos odio perſequitur, &c. Sed de fraudibus & operibus dæmonum poſtea.

19. Secundo ſuppliciorũ loco conſtituit Gregorius, quòd bonis & ſanctis Angelis mali ita *Libr. 4. Mor. cap. 13.*

ſubij-

subijciantur, vt eos comprimant, alligent, expellant, eorundemq; nefarios conatus à nobis frequenter abarceant. Apostata angelus, inquit ille, qui ita conditus fuerat, vt cæteris legionibus angelorum emineret, ita superbiendo succubuit, vt nunc stantium angelorum ditioni substratus sit, quatenus vel nunc ad vtilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, vel tunc ad probationem nostram eis relaxãtibus, totis se suis cõtra nos viribus solutus exerceat, &c. Reipsa enim crudelissimum dæmonem Asmodeum Beatus Raphael apprehendit, & ne Tobiæ iuniori noceret in deserto superioris Aegypti religauit. *Tob. 6.* Et alius in Apocalypsi dicitur apprehendisse draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligasse eũ, vt non seducat amplius gentes, &c. *Apoc. 20.*

20. Tertiò, certissimum est superbissimos illos spiritus etiã iniquissimo animo ferre, quòd Christi beneficio & virtute, vilissimis quibusque homuncionibus vsq; adeo parêre atq; obtemperare compellantur, vt cùm hi sanctissimum IESV CHRISTI nomen & numen inuocauerint, illi statim vel inuiti loco cedere, ac obedire omninò compellantur. *Dæmonia nobis*, aiunt rudissimi piscatores, *subijciuntur in nomine tuo*. Et Christus ad eosdẽ, *In nomine meo*, inquit, *credentes dæmonia eijcient*. Vnusq; Paulus non solùm verbo suo, verùm & sudariorum ac semicinctiorum, quæ corpus eius contigissent, obiectu, spiritus nequam de corporibus obsessorum expellebat. *Luce 9. Matth. 10. Marc. 16. Actor. 16. 19.*

21. Quartò, supra quàm cogitari vel dici potest terrorem, horrorem, & pœnam cacodæmonibus

monibus incutit ſanctiſſimæ crucis dominicæ ſignum, modò cum pietate & conſtanti fide illis obijciatur. Nam magnus Athanaſius non ſemel teſtificatur, omnes dæmonum pręſtigias, cunctaſq; magorũ artes ſigno crucis propulſari & labefactari: beatumque Antonium ita ſuos diſcipulos alloquentem proponit: Iam vobis dæmonum explicabo fallacias. Solent nocte venientes, angelos Dei ſe fingere, laudare ſtudiũ, mirari perſeuerantiam, futura præmia polliceri. Quos cùm videritis, tam vos quàm domos veſtras crucis armate ſignaculo, & confeſtim ſoluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator aêreas expolians poteſtates, eas fecit oſtentui, &c.

Orat. cont. idola.
De incarn. Verbi.
In vita Ant.

22. Quintò, non ſolùm orationibus, præſentiaque ſanctorum virorum, ſed & veſtimentis, & ſacris poſt illorum obitum oſſibus, ac reliquijs mirum in modum torquentur, ac veluti igne quodam cęleſti diuexantur & cruciantur, quemadmodum ſumma veritatis vi adacti perſæpe confeſſi ſunt. Iſtud vel vnus Hieronymus abundè teſtatur, cùm de beata Paula Eliſęi, Abdiæ, ac Ioannis Baptiſtæ ſepulchra venerante ſcribit: Ibi multis intremuit conſternata mirabilibus: namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, &c. De hiſdem copioſè quoq; & eleganter ex profeſſo diſſerit, toto opere aduerſus Vigilantium.

Epiſt. ad Euſtochium.

23. Sextò, ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ exhibitionem; & aquæ luſtralis aſperſionem tam acri ſuppli-

ſupplicio & tormento vexantur dæmones, vt horum vſu Chriſtiano à noſtris Exorciſtis è domibus & corporibus fidelium potenter expellantur. Ac de Euchariſtia quidem Auguſtinus & Proſper Aquitanicus ſunt locupletiſſimi teſtes: de aqua verò luſtrali Epiphanius, Palladius, Theodoretus, & Nicephorus conteſtantur. Clemens quoq; Romanus ex beatorum Apoſtolorum traditione recenſet, Paſtores Eccleſiæ aquam his verbis benedixiſſe: Domine ſabaoth, Deus virtutum, nunc per Chriſtum ſanctifica hanc aquam, & da virtutem ſanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, &c.

Li. 22. ciuit. cap. 8.
Lib. de promiſſ. et præd. dei part. 4. cap. 6.
Cont. hæreſ. 30.
In Lauſiaca. Lib. 5. hiſt. c. 21.
Lib. 8. conſt. cap. 35.

24. Et vt diſputationem iſtam tandem claudamus, terribili in gehennæ barathrum adiudicatione & immiſſione & expectatione, quam in extremo die ſortientur, adeò cruciantur, vt exhorrentes à Chriſto non ſemel petierint, *Ne nos mittas in abyſſum, ſed permitte ire in porcos, &c.* Benedictus autem Deus, qui per Chriſtum eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij claritatis ſuæ. Ad Apoſtolum redeo.

Matth. 8.

7. *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.*

HOc eſt tertium diuinæ vltionis exemplum, quò à prodigioſa & planè horribili Sodomæorum ruina, docet omnino caueńdum eſſe ab omni ſpecie luxuriæ, ſiue ea ſecundùm naturam, ſiue aliter fuerit. Sed quoniã

Apoſto-

Apostolus nominatis duntaxat Sodoma & Gomorrha, addit *quasdam his finitimas ciuitates*; non immeritò quærendum quot & quales illæ fuerint. Moyses quidem & Oseas his connumerant Seboim & Adamam, quas etiam scribunt cum illis perijsse: quibus alij adijciunt vrbem nomine Phogor: sicque quinque vrbes reipsa perierunt, iuxta quod Sapiens dicit, *Ignem in pentapolim*, id est, quinque ciuitates *descendisse*: quibus consentit Egesippus, author sanè & antiquissimus & Christianissimus. Stephanus libro de vrbibus scribit decem vrbes in eo lacu submersas esse, quarum metropolis erat Sodoma. His, tres adhuc alias Strabo coniungit, scribens olim locum illum tredecim vrbibus habitatum, è quibus metropolis Sodoma sexaginta stadiorum ambitum habuerit. Itaq; non solùm Sodoma & Gomorrha, sed & vniuersa totius illius tractus ac regionis, quæ à geographis dicitur habere duodecim milliaria latitudinis, & quinq; diætas longitudinis, oppida tam maiora quàm minora eodem excidio deleta fuerunt.

Deut. 29. Oseæ 11.

Sapient. 10. Lib. 4. de excidio vrbis, cap. 18. Lib. 16. geograph.

Cæterùm, hoc tam memorabile ac stupendũ omnibus sæculis ac gentibus visum est diuinæ vltionis exemplum, vt non solùm Prophetæ & Apostoli propemodum omnes, verùm & historici prophani illius frequẽter meminerint. Istud enim ad terrorem Iudæis suis proponunt Moyses Deut. 29. & 32. Isaias, cap. 1. 2. & 13. Ieremias cap. 23. 49. & 50. Ezechiel c. 16. Amos cap. 4. Sophonias, cap. 2. quinetiam de his frequentes & graues conciones habuerunt Christus, Matth. 10. & 11. Luc. 10. & 17. Paulus Rom. 9. Petrus

trus secundæ epist.c.2. & Ioannes Apocalypsis vndecimo. Rerum autem humaniorum tractatores, qui huius rei meminerũt in scriptis suis, sunt Solinus Polyhistoris c. 48. Cornelius Tacitus historiarum lib.21. Strabo & Stephanus libris prius nominatis: Plinius lib.5. historiæ naturalis cap.16. Aristoteles lib.2. Meteororum, &c. Sed veriſſima huius rei historia nunc ex sacris literis recitanda & explicanda est: postea, in quem finem Apostolus eam hoc loco producat diligenter inuestigandum.

Assumpta est ergo terribilis historia ex primo Mosis libro, vbi Deus specie angelica conspectus Abrahæ dicit. *Clamor Sodomæorum & Gomorrhæorum multiplicatus est: & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.* Supplicanti verò pro illis Patriarchæ, promisit, se non deleturum illos, si vel decem solùm iusti inter hos inuenirentur. Deinde, duobus angelis domum Lot instar peregrinorum ingressis, omnes vrbis incolæ eandem circundant, & impudentia prorsus incredibili peccata sua prædicantes, vociferant, *Educ viros, vt cognoscamus eos*, id est, vt fœdam belluinamque libidinem nostram in elegantissimis corporibus eorum exsatiemus. Ad quem locum respiciens Isaias Iudæis exprobrat, *quod peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, &c.* Contradicente porrò illis Loth, furiosa rabie perciti, vim ei adferunt, ac domus fores effringunt, cùm Angeli cunctos nebulones illos percutiunt cæcitate: *Genes 18. & 19.* *Isaiæ 3.*

cæcitate: vt qui omnem pudorem prę libidinis insania perdiderant, etiam oculorum lumen amitterent. Lot tandem cum vxore & duabus filiabus extra vrbem educto, *pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Deo de cælo, & subuertit ciuitates has, et omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virētia, &c.* Ezechiel præter exe-

Ezech. 16.

crabilē libidinem, recenset eorundem rursum superbiam, gulam, otium, abundantiam, id est, luxum ac superfluitatem, & quòd manum egenis ac pauperibus non porrigerent. An non ergo summo iure exarsit in eos diuinus furor? Et conuenienti supplicio deleti sunt, ignea nimirum ac sulphurea pluuia de cælis præter consuetum ordinem naturę demissa, qui contra totius naturæ legem peccabant? Adhæc, referunt grauissimi authores Iosephus, Tertullianus, Augustinus, Orosius, & alij plerique, plurima certissimaque diuinæ vltionis vestigia in hunc vsque diem in eis locis conspici. Nimirum, stagnum illud adeò amarum esse ac sterile, vt nullus inde bibere, nullum animal illic viuere, nihil quātumuis graue ibi demergi possit: tantum bitumen ex eo colligi, tam tenax, vt nullo ferro, sed solo filo menstruo muliebri polluto diuidi valeat. Terram quoque circumiacentem adeo torridam & exustam, vt perpaucas tantum herbas, flores tenues, pomaque proferat, quæ manibus contacta mox in cineres euanescant, quasi adhuc exarderent. Atque hęc de fœdis execrandisq; Sodomæorum sceleribus atque supplicijs.

Lib. 1. ant. ca. 19.
Apolog. cap. 40.
Lib. 21. ciuit. cap. 8 & lib. 1. mirab. sac. sc. cap. 10.
Libr. 1. hist. cap. 5. & 6.

Admo-

Admodum verò appositè & conuenienter hoc diuini iudicij exemplo vsus est Beatus Iudas aduersus hæresiarchas & seductores, quippe qui sub nomine Christiano ijsdem propemodum sceleribus seipsos cõmaculārent, quibus Sodomæi: totiq́ue Ecclesiæ Christianæ incredibili essent infamiæ & scandalo. Putantes enim ethnici cæteros omnes Christianos his pestiferis hominibus pares esse, eos ferro, flammis, omniq; genere tormentorũ, velut naturæ hostes de mundo tollendos esse clamabant, vti Iustinus, Irenæus, & Eusebius locupletissimè testificantur. Siquidem Nicolaitæ, Simoniani, Carpocratiani, Valétiniani, Gnostici omne genus fornicationum, adulteriorum, incestuum, promiscuarum ac furiosarum libidinum, non solùm clam exercebant; sed & palam in concionibus licitum esse docebant, de hisq́ue propudiosè gloriabantur. Quineriam eo dementiæ peruenerunt Carpocratiani, Caiani, & Marcionitæ, vt impuros, & ter quaterq́ue damnandos Sodomitas velut sanctos & puros homines prædicarent, atq; in cælis collocarent, quemadmodum Tertullianus, Irenæus, Epiphanius ac Theodoretus memoriæ tradunt, cùm horum commenta traducunt ac refellunt. Itaque cùm tantis scandalis & periculis tũc laboraret Christianismus, meritò Apostolus istud Sodomiticæ vindictæ exemplum planè terribile & horrendum proponit, vrgetq;, vt hæresiarchas & sectatores eorum coarguat, vniuersos homines ab horum imitatione deterreat: simulque doceat nec illorum mores, nec pestilentissima dogmata à veris Christianis probari, sed omninò

In Dialogo. Lib. 1. ca. 24. Lib. 4. hist. cap. 7. Epiph. cont. hæres. 25.

Li præscript Lib. 1. ca. 29 & 35.

ninò damnari atque reprobari debere.

Vult ergo dicere beatus Iudas: Didicistis ô boni, superius adducto Hebræorum exemplo, Deo omnipotenti non esse detrahendum aut resistendum: didicistis postea exemplo malorum angelorum ab omni superbiâ, ambitu & arrogantia cauendum: discite & nunc quæso vos, tertiò Sodomæorum exemplo ab omni prohibita libidine siue naturali siue præposte-ra penitus abstinendum esse. Sodomæi namque & his finitimi, omni rerum opulentia florentes, diuinis beneficijs abusi sunt ad luxum. Nec voluptatibus, quæ sunt iuxta naturam contenti, longè turpiora commiserunt, quando *fœminæ eorum immutato naturali vsu viri, exarserunt in inuicem. Similiter & masculi in masculos turpitudinem sunt operati contra naturæ ordinem.* Quinimò & Beatos Angelos-iræ cæleſtis ministros, in corporibus humanis apparentes, ad hoc nefarium crimen perpetrandum popoſcerunt, vt in ſacra Geneſes mundi refertur hiſtoria. Sed diuinam aduersus hos iram ac vindictam attendite simul & horrete. Flammis sulphureis ardentissimis & fœtidissimis è cælo in horum ciuitates, agros, prouinciamque demissis, omnes extincti ac deleti sunt, omnes in inferni profundum gurgitem demersi, omnes perpetuis gehennæ flammis addicti, vt & vobis, & toti mundo innotesceret, quantum Deo huiusmodi crimina displiceant, quibusque supplicijs in horum auctores & in hoc & in futuro sæculo animaduertat; ne quis impunitati confidens Christi

Rom. 1.

Genes. 19.

beneſi-

beneficijs ad vitæ turpitudinem abutatur. Simi es profectò subibunt pœnas, qui similiter peccauerint. Plectuntur quidam, vt cæteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Felices quos fecerint aliena pericula cautos.

Hinc autem primùm conspice, amplissimas ciuitates, quales fuerunt Sodoma & Gomorrha, maximis & turpissimis sceleribus frequenter abundare, atque ideò non rarò bellis, incendijs, pestilentia, terræ motibus, seditionibus, inundationibus, alijsque iræ cælestis flagellis deuastari atque perire. Sic olim horrendis cladibus afflictæ sunt Babylon, Ninive, Ierosolyma, Carthago, Constantinopolis, Corinthus, Athenæ, Roma, &c. Eusebius certè *In Chronico.* refert circa annum quintum Tiberij, tredecim Asiæ minoris vrbes terræ motu corruisse, in quibus fuerunt Ephesus, Magnesia, Sardis, Cæsaræa, Philadelphia. Rursumque sub Imperio Traiani sex alias similiter concidisse. Zonaras quoque testis est, tempore Con- *Tom. 2. an.* stantini magni tredecim vrbes in Campania prostratas esse: anno quoque septimo Constantij, Neocæsaream mari ablumptam, sola Episcopi sede ac Ecclesia salua permanente. Nostro sæculo, videlicet 1569. Ferraria Italiæ vrbs celeberrima, spatio quadraginta horarum centies & quadragesies terræ motu sic concussa est, vt palatia, templa, turres, & elegantiora ædificia, cum incredibili hominum strage diruta sint. Iactura bonorum supra quater decies centena millia aureorum æstimata est, vt scribit Petrus Bizarus in Epi-

tome hiſtoriarum. Quantum antiqui ſplendoris ſui amiſerint à paucis annis Lutetia, Antuerpia, Brugæ, Bruxellæ, Gandauum, Mechlinia, aliæque per Galliam & Belgium populoſiſſimæ & opulentiſſimæ ciuitates, præſentes ruinæ docent. Ergo niſi Dominus cuſtodierit ciuitates, fruſtra vigilant cuſtodes earum.

Attendant etiam in hoc ſpeculo fornicatores, adulteri, & qui ſimili modo, quo Pentapolitæ, corporibus vel proprijs vel alienis abuntur, quale ſupplicium eos maneat, ni matu-

Heb. 13. rè & ſeriò reſipuerint: *Nam fornicatores & adulteros iudicabit*, id eſt, diſtrictè condem-

Apoc. 21. nabit *Dominus. Homicidis, & fornicatoribus, & execratis pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*. Fornicatorem

1. Cor 5. inceſtuoſum Paulus corpore torquendum Sa-

Exod. 20. tanæ tradidit. Eſt enim peruia lex diuina: *Non*

Matth. 5: *mœchaberis*. Item: *Non concupiſces vxorem, ſi-*

Leuit. 20. *liam, ancillam, proximi tui*. Quæ omnia diligenter notanda vult Auguſtinus aduerſus quo-

Dan. 13. *Ioan. 8.* rundam peſtilentiſſimum errorem, qui dice-

Augu. ſerm. 16. de verbis Dom. & ſer. 47. ad frat. in eremo. bant, Deum peccata carnis non curare. Quorſum verò lapidibus obruendos adulteros & adulteras in lege ſua præcepiſſet: aut Dauidis adulterium tantis plagis caſtigaſſet? Idem rurſum doctor in hoc ſeculo exclamat alibi: O luxuria, per te pax deſtructa eſt, per te homicidium factum, per te ciuitates combuſtæ, per te Dauid exulat, per te Salomon expellitur, per te Samſon moritur, per te Lot iacturam vxoris & patriæ patitur, &cæt.

Expen-

Expendant quoq; furiosi legis ac naturæ corruptores, *qui abeunt post carnem alterã*, id est, quam Deus author naturæ non fecit aptam ad commixtionem, prolemq; concipiendam, quã detestandum coram Deo, angelis, vniuersaque natura, sit peccatum cui assuescunt: quando etiam in præsenti sæculo ignis æterni supplicia meretur inchoare. Insuper, præ illius execratione & horrore, etiam vrbium ædificia, mœnia, agri, prouinciæ, è rerum natura deleantur. Adhæc, Platonis quoque iudicio, scelus istud igni & ferro sit expiandum. Lege autem diuina lapidibus obrui iubeantur, qui hoc crimine sese contaminassent. Sancitum quoque sit inter Christianos, huius tetræ libidinis conuictos, atroci, iusto tamen ignis supplicio sic pereant, vt nihil eorum supersit. Denique vniuersarum gentium consensio sic aduersus hoc execrabile facinus conspirauerit, vt ab Euphrate vsque ad orientem Oceanum, quemadmodũ refertur apud Eusebium Bardesanes Syrus, cui furtum vel cædes obijceretur, non magno mœrore torqueretur: qui verò pudorem masculo eripuisset, si res in lucem venisset, magnitudine ignominiæ seipsum interficere cogeretur.

Leuit. 18. & 20.

Lib. 6 præparat. Euang.

Discant tamen omnes, concionatores præsertim, & qui confessionibus audiendis præficiuntur, verecundè ac sobriè de hoc peccati genere loqui, ne potius illud doceant, quàm damnent, castasvè piorum aures huius commemoratione & fœditate offendant. Nam si Paulus prohibuit fornicationem, & omnem immunditiam nominari inter Christianos, multo

Ephes. 5.

Ephes. 4.

magis hoc crimen innominatum esse decet:

1 Pet. 4. *Omnis ergo sermo malus de ore nostro non procedat. Si quis autem loquitur, quasi sermones Dei.*

Adfirmans præterea Beatus Iudas incendium illud, quo perierunt quinque ciuitates, typum esse ignis æterni, omnibus hominibus propositum ad terrorem & correptionem peccatorum nimirum, quorundam impiorum Epicureorum, libertinorum, & atheorum amentiam satis refellit, qua risibus & cachinnis non verentur excipere, quicquid à verbi Dei præconibus de inferorum receptaculis, terroribus, & pœnis adseritur. Discent enim aliquando, Apocal. 21. Luc. 16. Matth. 8. & 13. tametsi serò nimis, verè tartarum esse atque puteum abyssi insatiabilem; discent esse stagnum ardens igne ac sulphure; discent impios cruciari in flamma; discent illic esse tenebras exteriores, vbi fletus & stridor dentium; discent nec Abraham, nec Lazarum, nec Angelos, nec Deum ipsum miseris illuc proscriptis ac damnatis vnquam miserturos.

Nec silentio prætereundum est, in superioribus tribus iræ Dei contra impios productis exemplis, quosdam semper pios etiam ex cœtibus reproborum seruatos fuisse. Siquidem inter Israelitas incredulos, fideles extiterunt Caleb & Iosue; inter cacodæmones, beati Angeli; & inter Sodomæos, Lot cum vxore & filiabus. Eximia igitur sanctorum consolatione liquet Deum, purum granum frumenti à paleis & zizanijs discernere: &, vt scriptura loquitur,

2 Pet. 2. *Nosse pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem*

diem iudicij reseruare cruciandos. Et rursum: *Nouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* 2. Timoth. 2.

8. *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.*

TRia superiora Hebræorum, cacodæmonum, & Sodomæorum exempla nunc ad hæresiarcharum impuros mores specialiter accommodat. Veluti dicat: Audiuistis Carissimi, quàm grauiter sua infidelitate Iudæi, cacodæmones apostasia, & impuritate sua Pentapolitæ in Deum peccauerint; quamque terribili iudicio eius tandem hi omnes perierint. En rursum pro certo adfirmo & denuncio vobis, hæresiarcharum ac seductorum, qui fidem vestram conuellere nituntur, crimina atq; scelera nec pauciora nec leuiora esse. Semper sibi ipsi similis est Satanas, qui illos & istos inspirat, & aduersus regnum Dei, *quod estis vos*, conducit. Quales illi fuerunt, tales penè & isti atq; ideo vt illi quondam malè accepti sunt, sic & isti tandem aliquando malè peribunt. Et vt sigillatim collationis partes persequar, impurissimi fuerunt Pentapolitæ. Isti non minoribus ebrietatibus, scortationibus, ac præposteris libidinibus tam propria, quàm aliena corpora contaminant ac omni dedecore maculant. Veteres Hebræi semper proterui ac rebelles fuerunt in Mosem & Aaronem, quos Deus vt legitimos magistratus eis præfecerat: hi Apostolos, pastores Ecclesiarũ, magistratus à Deo institu-

tos; imò & Christum, cui omnis potestas concessa est à Patre, petulanter irridēt, superbè despiciunt & aspernantur. Denique, vt angeli reprobi apostasia, diuinæque æqualitatis appetentia, in Deum Opt. Max. contumelioſi fuerunt & blasphemi: ita & isti Pseudoapostoli & impostores diuinam maiestatem tetris erroribus lacerant, beatos spiritus cum Christo regnantes probris & maledictis insectantur. An non igitur pari cum Iudæis, cacodæmonibus, & Sodomitis, vindicta & seueritate sunt plectendi? & à cunctis pijs ac fidelibus omni studio & diligentia cauendi?

Ex his porrò primùm obseruandum est, exēplo beati Iudæ, vtile ac necessarium esse hæresiarcharum fraudes & scelera detegere, ac verbo & scripto palam coarguere & traducere: nō detrahendi studio, sed vt vel à magistratu coerceantur; vel saltem à pijs & simplicibus Christianis studiosius euitentur. Sic enim quondam veri Prophetæ falsos Prophetas traduxerunt; & Christus Pharisæos, Apostoliqúe Pseudoapostolos suis coloribus graphicè depinxerunt. Iaias de prauis sacerdotibus ait: *Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium, omnes mensæ eorum repletæ sunt vomitu.* Ieremias mendacia Hananiæ grauiter increpat, eidemque mortem breui adfuturam constanter prænunciat. Ezechiel Pseudoprophetarum impostura constanter insectatur. Elias de falsa religione conuictos Baalistas non irridet solùm, sed & populo ad Dominum Deum patrum

Matth. 23.
Isaie 28.
Ierem. 28.
Ezech 13.
3. Reg. 18.

suorum

ſuorum reuerſo multandos tradit. Petrus Simonis magi, Paulus Elimæ, Irenæus Valentini, Tertullianus Marcionis, Hieronymus Vigilantij & Iouiniani, Athanaſius Arianorum, Baſilius Eunomij, Nazianzenus Iuliani apoſtatæ, Hilarius & Lucifer Imper. Conſtantij, Auguſtinus Fauſti Manichæi, cæteriq; Eccleſiæ Chriſtianæ proceres aliorum apoſtatarum & hæreticorum technas, fraudes, & ſcelera omni conſtantia, & incredibili vtilitate in propatulum eduxerunt & exagitauerunt. Peccant ergo grauiſſimè, & cauſam Chriſti ſceleſtiſſimè prodũt, qui cum illis colludunt, aut in colloquijs & concionibus cum illis diſſimulant. Damnat enim Spiritus Sanctus tepidos, qui nec frigidi ſunt, nec calidi: Chriſtus quoque ait, *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* *Actor. 8. cap. 13.* *Apocal. 3.* *Matth. 12.* *Lucæ 11.*

Iſtiuſmodi ergo proditoribus ac hæreticorũ fautoribus relictis, vel vnicum nobis ad imitandum proponamus beatiſſimum Patrem ac doctorem Hieronymum, ita de ſuo in Chriſtianam religionem zelo profitentem: Reſpondeo, nunquam me peperciſſe hæreticis ſed omni ſtudio egiſſe, vt hoſtes Eccleſiæ mei quoque hoſtes fierent. Omnes qui Catholicam ſectamur fidem, optamus & cupimus damnare hæreſim, homines emendari. Et idem rurſum: Omnes ad nos venientes læta humanitatis fronte excipimus, ſolos hæreticos non recipimus. Et idem ad Rufinum: In vno tibi conſentire non potero, vt parcam hæreticis, vt me Catholicũ non probem, &c. *Proœmio Dialog. adu. Pelagianos.* *Apologia 3. adu. Ruff.*

Notandum inſuper cum Epiphanio, om-

nem hæresim his fœdis voluptatibus addictam esse, quibus humana caro corrumpitur, cõspurcatur, atque damnatur. Non enim solam mentem, ait ille, erroribus peruertunt; sed etiam corpora & animas per scortationes, & multiplicem coitum in seruitutem redigunt. Et posthea: Corpora suatũ muliebria tum virilia nocte ac die curant vnguentis, balneis, epulationibus, concubitibusq; & ebrietatibus vacantes: & detestantur ieiunantem, dicentes, quod non oporteat ieiunare, &c. Et citato præsenti D. Iudæ loco, subijcit: Hi sunt qui proprijs manibus corrumpuntur: & non solùm hoc, & qui cum mulieribus coêunt, & deinceps multiplici cum fœminis commixtione non exsatiati, in seipsos mutuo exardent, viri in viros (vt scriptum est) erroris remunerationem in seipsis recipientes. Exoleti enim facti, beatos se prædicant mutuo, velut qui rem mutuam susceperunt, &c. Cætera cùm vereatur pudeatq; idem Epiphanius persequi, nec nos vlterius persequemur.

Contra hæres. 26.

Rom. 1.

Oecumenius cum Epiphanio, alijsq; Græcis hic legit, *Similiter & hi somniantes, &c.* id est, opus libidinis incompletè agentes, sicut in somnia sunt incompleta. Quæ verò sit ista libido incompleta, partim explicat, partim pudore victus reticet. Epiphanius verò somnia ista ad fabulosam Gnosticorum nugacitatem refert hoc sensu, *Somniantes*, id est, delirantes, & dicentes quæ non sciunt. Sed & Irenæus martyr ad eundem Apostoli locum aspiciens, eorundem Gnosticorum fabulas de Bytho, Propatore, Aeoni-

Com. in hunc loc.

Lib. 1. ca. 1. 9. 29. 23. &c.

re, Aeonibus, &c. insuper, scortationes, adulteria, & nefarias libidines sæpè & grauiter traducit. Sed de his iam superius copiosè satis diximus.

Apostolus præterea tam seuerè reprehendens eos, qui *carnem maculant*, pios è contrario exhortatur, vt non tantùm animorum, sed & corporum castitati, puritati, atq; omnis modi sanctimoniæ studeant. Horum enim non solùm creator & opifex Deus est; verùm etiam tantam eorundem curam habet, vt omnia ossa Sanctorum custodiat, & capillos numeret. *Psal. 33. Matth. 12.*

Deinde, eadem in sacris appellantur & reipsa sunt membra Christi, & templa, in quibus Spiritus Sanctus & inhabitat & colitur. *1. Cor. 6.*

Præterea, animis nostris adsunt & cooperantur in omni exercitio spirituali, & diuinorum Sacramentorum participatione. Caro namque abluitur, ait Tertullianus, vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt anima illuminetur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. Dum igitur caro nostra ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres inuenitur. Postremò, cùm etiam Beatæ resurrectionis vitæque cælestis corpora nostra certissimam habeant repromissionem, ad eam pura illibataque pro viribus seruanda sunt, nec instar brutorum conspurcanda aut fœdanda. *Lib. de resur. car.*

Hoc idem suadet vrgetq; duplici argumento diuus

Lib. 1. cjusd. cap. 13. diuus Augustinus. Primo, quòd his velut organis suis ad multa præclara facinora, velut in Prophetis, Apostolis, & Martyribus apparuit, vsus sit Spiritus Sanctus: secundò, quod si vestem aut annulum parentum vel aliorum charorum nostrorum postquam hinc excesserunt, studiosè seruamus, multo magis corporibus suus honos est habendus.

Adhæc, ex verbis Apostolicis etiam apparet proteruiam, inobedientiam, ac rebellionem in Præfectos legitimosque superiores tam sacros quàm prophanos, perpetuam hæreticorum notam fuisse. *Dominationem*, inquit, *spernunt*. Id est, Non tantùm corporibus & animis sese cõtaminant: sed & magistratum tam sacrum quàm profanum, qui à Deo constitutus est, vt pax & honestas inter homines seruetur; contumelioseè aspernantur, & aduersus eius authoritatem loquuntur: vt omni sublato legum timore, ac mundi ordine, absq; iugo exultent, & liberius peccent. Ecquid mirum, cùm diabolus omnium *Apocal. 12.* hæreticorum caput ac princeps, primus in Deum creatorem insurrexerit; & contra Mi- *Isaiæ 14.* chaelem cælestis exercitus principem, bellum *Num. 16.* in cælis commouerit? Ab eo permoti Dathan, Core, Abiron schismatici, Mosi summo Synagogæ pastori & rectori subesse detrectarunt. *Lib. 4. ca. 43* His similes sunt, inquit Irenæus, qui exurgunt contra veritatem, & alios adhortantur aduersus Ecclesiam Dei. Paulus etiam de hæreticorũ *Tit. 1.* prauis moribus conquerens ait: *Sunt inobedientes, vaniloqui, & seductores*: quod incredibili totius Christianismi scandalo atque detrimento, plusquàm verissimum esse hac tempe-

state

ſtate manifeſtarunt Lutherani in Germania, Anabaptiſtæ in VVeſtphalia, Geuſei in Belgio, & Hugnoſtici in Francia, contra inſtitutos à Deo Imperatores ac Reges bellis ciuilibus inſurgentes; & florentiſſima regna, prouincias, ciuitates, perduellionibus ſuis funeſtantes ac euertentes. Prolixum eſſet referre conuitia, probra, omniſq; generis contumelias, quos in ſacros Pontifices; ac qui ſectis ſuis non fauent Reges ac principes, tam in concionibus quàm in ſcriptis ſuis palam euomunt. Lutherus & Caluinus ſummum Eccleſiæ Catholicæ Paſtorem ac Beati Petri ſucceſſorem, non alio nomine quàm *Antichriſti* vocitant: Epiſcopos *proidolis, monſtris, & porcis habent*: Sacerdotes ſunt eis *ſacrilegi, impuri, Chriſticidæ*: Monachos non aliter quàm *hypocritas, raſos, & ſeductores appellant*: Reges deniq; ac cunctos principes Catholicos palam ſcribunt eſſe *tyrannos, Dei hoſtes, beluas, Nembrothos & Pharaones*. Quid autem eſt *dominationem ſpernere*, ſi iſtud non fuerit?

E contrario verò pij Chriſtiani ſubijciuntur omni humanæ creaturæ propter Deum. Nouerunt enim de ciuili magiſtratu dictum eſſe: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* De præfectis quoque Eccleſiæ: *Si quis ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Apoſtolis quoque & Apoſtolicis viris dictum à Filio Dei: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Subditis itē ab Apoſtolo: *Obedi-*

1. Petr 2. Rom. 13. Deut. 17. Luc. 10.

Heb.13. Cap.33. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Tertullianus in Apologetico, paucis quidem, sed grauissimis verbis ostendit quo affectu in magistratum fuerint priores Christiani. Orantes sumus, inquit, pro Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium tutum, domum securam, exercitus fortes, orbem pacatum, senatum fidelem, & quæcumq; alia Cæsaris vota sunt, &c. De immunitate verò cleri paulo post dicemus.

Sunt quoque quibus placet hîc nomine κυριότητος designari potentissimâ illam dominationem atque authoritatem, quam Dominus noster Iesus Christus accepit à Deo Patre, vt

Ephes.1. esset super omnem principatum, potestatem, virtutem, & nomen quod nominatur siue in

Matth.28. hoc sæculo, siue in futuro: id est, datam ei omnem potestatem in cælo & in terra. Nam Satanas eam labefactare inde à principio Gnosticorum opera conatus est, vt superius ex Simonis, Menandri, Basilidis, Carpocratis, & aliorum blasphemijs declaratum fuit. Nam siue deitatem, siue humanitatem, siue officia eius, siue quidvis aliud ad redemptionis nostræ mysterium spectaueris, illud vniuersum deprauabant & subuertebant, seque verè Antichristos

1.Ioan.2.& 4. (vt loquitur Ioannes) esse demonstrabant.

Obseruandum postremò, adeò præfractos ac impios fuisse veteres illos Gnosticos, vt non solũ τὰς δόξας, id est, dignitates, seu aliqua dignitate & gloria præditas Dei creaturas, quales sunt Angeli, Prophetæ, Sancti omnes iam cælesti ac sempiterno æuo fruentes, probris ac maledictis prociderint: verùm etiam nec à diuina maiestate, vnitate, bonitate, sapientia, &

pote-

potestate blasphemanda linguas suas compescuerint. Simon namque aliquando se Patrem, aliquando Filium, aliàs Spiritum Sanctum se esse autumans, diuinam planè maiestatem blasphemabat. Valentiniani tot deos comminiscentes, quot cæli, quot æones, id est sæcula, & quot de Deo referuntur perfectiones; Deum verum atroci afficiebant contumelia. Marcion duos deos confingens, Deum verũ negabat. Deinde monstrosissima quoq; & absurdissima commentati de Beatis Angelis, de sanctis Patriarchis & Prophetis, de Apostolis & Martyribus, vt ex veterum scriptis colligi potest; dignitates cælestes atque terrenas audacissimè blasphemabant.

Iustin. apolog. Iren. lib. 1. Tert. de præscr. Clem. Alex. 3. et 4. strom. Epiph. cont. hæres. 34. Theodoret. lib. 1. & 2. hæret. fabul. Euthymius, Nicetas.

Ab illis porrò non procul recesserunt huius tempestatis Hugnostici, diuinam maiestatem in eo blasphemantes, quod dicunt, Deum nec posse facere, nec velle, nec intellectu capere, duo corpora in eodem simul loco: Deum esse authorem omnium peccatorum tam in hominibus, quàm in dæmonibus: sanctissimam Trinitatem nec adorandam, nec inuocandam, nec quidem nominandam esse: Christum Dei sapientiam & virtutem, instar aliorum hominum ignorantem fuisse: eundem non potuisse exire mirabiliter tam de matris vtero, quàm de sepulchro clauso: deniq; illum in cruce desperasse, ac damnatorum pœnas omnes animo corporeque pertulisse. Blasphemias autem & probra quibus tam beatos angelos, quàm Apostolos, Euangelistas, Martyres, beatissimosque patres Confessores lacerant & vexant, alibi pro aliqua parte retulimus & confutauimus.

DE IM-

DE IMMVNITATE SACRORVM hominum ab huius ſæculi laico ciuiliq; magiſtratu.

1. DIſputatur hoc loco à quibuſdam Caluinianis, An quibuſdam liceat ſeipſos eximere à poteſtate & obedientia ciuilis Magiſtratus, cùm externam politiam non violet doctrina fideſq; Chriſti Domini noſtri? Et quidem cùm profitentur Miniſtri atque Prędicantes hæretici ſe oportere magiſtratibus ſubditos eſſe, quandiu in terra viuunt; damnantq; Anabaptiſtas, quòd magiſtratibus ſubeſſe nolint, iure id faciunt, cùm tam illi quàm iſti tantùm laici exiſtant, nec vlla legitima ordinatione in ſacrum gradum aſciti, aut ex prophanorum hominum grege ſecreti ſint. Cur non ergo horum vel perſonæ, vel bona vniuerſa ad Magiſtratuum ciuilium tribunalia pertraherentur, & ab eo de ſceleribus conuicti plecterentur? Sic enim & Priſcillianus olim gladio ſæculari cæſus eſt: & Hieronymus de Praga poſt Ioannem Hus multorum ſcelerum conuicti, Sigiſmundi Imperatoris Romanorum decreto, vltricibus flāmis optimo iure abſumpti ſunt: & in Gallijs Carolus rex Chriſtianiſſimus multos Caluinianos cæde Bartholomeana confecit, &c.

2. Deinde, ſi de Regum ac Magiſtratuum politicis legibus illis agatur, quibus actiones humanæ in rebus temporalibus diriguntur, vt ſunt de contractibus venditionum & emptionum, de moneta non ab alijs quàm ad id deputatis cudenda, de pretio rebus venalibus imponendo,

nendo, de frumentis extra prouinciam non exportandis, ac similibus; nemo inficiabitur his etiam Clericos omnis conditionis subiacere debere. Sunt enim ciues ac membra Reipublicæ, igitur bonorũ ciuium more viuere debent: nec propterea confusionem ac perturbationem in ciuitate concitare. Ideoq; Chrysostomus testificans Christi legem non tollere politicas leges, rectè iufert, & Sacerdotes & Monachos illis parere debere. Nicolaus quoque primus, Ecclesiæ summus Pontifex scribit: Deum voluisse, vt Christiani Imperatores pro vita æterna Pontificibus indigerent; Pontifices verò pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur. Hinc Valentinianus in Epistola ad Episcopos Asiæ, vt est apud Theodoretum, dicit, probos Episcopos nó solùm Dei; sed etiam Regum legibus, (ijs nimirum quas diximus) subiacere.

In c. 13. Rom.

Epist. 1. ad Michael. Imper.

Lib. 4. hist. cap. 7.

3. Sin verò de causis Ecclesiasticis agatur, id est, quæ non pendent ex legibus ciuilibus, quales sunt controuersiæ de fide ac religione, de sacramentis, de hierarchia Ecclesiastica, & alijs quæ ex sacris literis, Concilijs vniuersalibus, & decretis Pontificum examinanda & definienda sunt; in his sanè Clerici diuino iure à potestate ciuilis Magistratus debent esse liberi atq; soluti. Vniuersa namque potestas regendi Ecclesiam suam Filius Dei commisit Apostolis, præsertim autem Petro, cũ dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum, &c. Pasce agnos meos. Pasce oues meas. Confirma fratres tuos.* Paulus quoque de se & coapostolis constanter loquitur:

Matth. 16. Ioan. 21. Luc. 22.

1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Legatione pro Christo fungimur, &cæt. In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Episcopis Asiæ minoris rursum dicit: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam, quã acquisiuit sanguine suo, &c.* Et Petrus, non laicis, non præfectis ciuilibus, non principibus huius mundi, sed Sacerdotibus ac Episcopis iubet: *Pascite qui in vobis est gregem.* Enimuerò principes ac magistratus sunt laici, non sacerdotes: oues Ecclesiæ, non pastores: subditi atq; discipuli, non rectores aut doctores: igitur decretis atque legibus eius sacris debent obaudire, non autem dijudicare. Sed neque Apostoli ad Tiberium, ad Herodem, ad Pilatum, ad Festum aut Felicẽ, aut alium quemuis politicum Magistratum in causis Ecclesiasticis confugerunt: sed exortis litibus de sacris rebus, Presbyteros, Discipulos, & Coapostolos in concilium conuocantes, de his secundùm diuinorũ oraculorum decreta sensaque res composuerunt. Quod si Paulo iniquum visum est, lites Christianorum etiam ciuiles, ad iudices profanos deferri: quanto magis de spiritalibus diuinisq; dissidentes ad eos recurrere prohibuisset? Iure igitur optimo & Ambrosius & Augustinus illos seuerè iusteque coarguunt, qui causas ecclesiasticas iudicibus terrenis deferunt. Sacra denique Concilia Clericis graues pœnas constituunt, qui Ecclesiastica dissidia per leges Imperatorias dirimenda & dijudicanda esse voluerint.

Actor. 20. 1. Petr. 3. Actor. 1. 6. 15 1. Corinth. 6. Epist. 78. Epist. 162. Conc. Mileuit. ca. 13. Matisconens. ca. 8.

4. Quan-

4. Quantum etiam ad personas Clericorum attinet, decretis Pontificum, atq; indulgentijs piorum Imperatorum cautum est, ne (etiam si contra leges ciuiles deliquerint) ad secularium Iudicum tribunalia pertrahantur, aut puniantur: sed ad proprium Episcopum remissi ab eo iudicentur. Ait enim Beatus Martyr Caius Papa: Nemo Episcopũ, aut reliquos Clericos apud Iudicem sæcularem accusare præsumat. Marcellinus autẽ & ipse Papa & Martyr: Clericum cuiuslibet ordinis, absq; Pontificis sui permissu, nullus præsumat ad sæcularem Iudicem trahere. Et diuus Gregorius, de persona (inquit) Presbyteri hoc attendendum est, si quá causam habuit, non ab alio teneri: sed Episcopũ ipsius adire debuit. Est quoque in hanc rem sancti ac Oecumenici concilij Chalcedonensis istud decretum. Si Clericus aduersus clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad læcularia iudicia non recurrat. Et Patres Agarhenſis synodi definiunt: Clericum nullus præsumat apud sæcularem Iudicem, Episcopo non permittente, pulsare.

Epist. ad Felicem. *Epist. 2.* *Lib. 11. epist. 14.* *Can. 9.* *Can. 32.*

Et vt de sanctæ memoriæ Imperatorum indultis dicamus: Magnus Constantinus oblatos sibi libellos Episcoporum inter se dissidentiũ, nec quidem legere voluit: sed flammis eos committens dixit: Vos dij estis, a summo Deo nostri iudices constituti: conueniens non est vt homo iudicet deos. Idem non modò pronunciarunt, sed & legibus suis sanxerũt religiosissimi Imperatores Theodosius, Marcianus, Valẽtinianus. Præterea Iustinus in Nouellis cõstitutionibus 79. 83. 123. eximit Monachos à sæculari iudicio

Rufin. lib. 10. hist. cap. 2. *C. de sacrosanct. Eccles. Clericis & Episc.*

in causis ciuilibus. In criminalibus autem vult à Prætore causam quidem cognosci, non tamẽ condemnari nisi prius ab Episcopo fuerit degradatus. Denique Fredericus constanter statuit, vt nullus Ecclesiasticam personam in ciuili, aut etiam criminali quæstione trahere ad iudicium sæculare præsumat, contra imperiales constitutiones, & canonicas sanctiones. Quod si factum fuerit, actor à suo iure cadat, iudicatũ non teneat, & Iudex sit ex tunc officio iudicandi priuatus.

5. Sed quid de horum facultatibus tam ecclesiasticis quàm sæcularibus sentiendum? Liberæ profectò debent esse ac immunes à tributis Principum sęcularium. Etenim Rex Aegyptiorum sola duce natura voluit sacrorum (quæ tamen reipsa profanissima erant) suorum Antistites ex horreis publicis enutriri, insuper & eorum terram immunem esse à communibus tributis. Quanto igitur sanctius & iustius Deo vero per Filium eius addicti & sacrati viri, simili debent libertate gaudere? Quinetiam Artaxerxes Persarum Rex publicis literis prohibuit imperij sui Satrapis, qui trans Euphratem Prouincijs præfecti erant, ne tributa vlla caperent aut exigerent ab vniuersis Sacerdotibus, Leuitis, Cantoribus, Ianitoribus, Nathinæis ac Ministris domus Dei, quæ erat in Ierusalem. Et in huius pietatis exercitio, finent se ab Ethnicis Christiani principes superari? Aut læuiores erunt satellitibus Saulis, quorum nullus ausus est mittere manus in Sacerdotes Domini: vt impurum Doeg imitentur? Aut Iulianum apostatam non detestabuntur, qui primus Ecclesiarum,

Genes. 47.

1. Esd. 7.

1 Reg. 22.

fiarum, sacrarumq; personarum immunitatem abrogauit? Apagete tãtam impietatem. Potius glorioſæ memoriæ Imperatores Theodoſium & Iuſtinianum ad imitandum ſibi proponant, quorum legibus Sacerdotum & Monachorum bona à tributis ſoluta liberaque facta fuerunt. Sacrorum quoque Conciliorum videlicet Lateranenſis ſub Alexandro III iterumq; alterius Lateranẽſis ſub Innocentio tertio, decretis atq; conſtitutionibus: quibus bona Sacerdotum à tributis eximuntur, diſcant pij Magiſtratus obtemperare, & Regis regum ſeruos à ſuis veſtigalibus liberos eſſe. Et de his hactenus. Ad Apoſtolicum contextum redeamus.

C. Theod. lib. 16. t. 2. lib. 16. & 26. C. l. Sanctimus. t. de ſacroſanctis Eccleſijs, &c. Ca. 19. Ca. 46.

9. *Cùm Michael Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Deus.*

QVoniam hic locus in vniuerſo teſtamẽto nouo inſignis, ſed idẽ ſubobſcurus eſt, patiẽti ac grato animo feret pius Lector, ſi in eius tractatione paulò prolixius immoremur.

Continet porrò nouum argumentum, quo mirabili atque grauiſſimo bonorum & malorum Angelorum exemplo, multis modis probat, illos turpiſſimè peccare, qui legitimos Magiſtratus, aut alias poteſtate vel ſanctitate præditas Dei creaturas probris maledictiſque vexant ac proſcindunt. Poteſt autem præcipuum argumentum ſic à maiori ad minus negatiuè diſponi: Quod non audent præcellentiſſimi angeli in damnatiſſimos dæmones, neq; audere debent viles homunciones in perſonas digni-

tate ac potestate præditas. Sed Michael Archãgelus, summa inter Angelos potestate clarissimus, non est ausus maledicta conijcere in diabolum, tametsi reprobum, necnon conuiciantem, & contra gloriam Dei multa molientem: sed tantũ modestissimè dixit illi: *Imperet tibi Deus*, totius orbis conditor & rector, cui velis nolis cedendum est. Ergo iniquissimum ac turpissimum est inferioris notæ hominibus, excellenti potentia aut sanctitate conspicuas personas iniurijs ac maledictis incessere. Itaque duplex est in personis comparatio. Prima, si *Michael Archangelus non ausus est*, quis homo iure audeat? Altera, si ne diabolus quidem conuicijs petitur, quamuis æternæ damnationi pro certo addictus, multominus homines vel quibus adhuc resipiscentiæ locus est, vel qui certè iã beato in cœlis quo fruuntur, probris vexari debent.

Vel sic contractius possunt ratiocinationes formari. Archangelus iudicio contendit, hi iudicium ferunt. Archangelus disceptauit, hi causa incognita iudicant. Archangelus non est ausus inter disceptãdum adhibere conuitia vel contumelias, quas frequenter extorquet contentionis feruor; hi extra omnem contentionẽ in angelos, in beatos spiritus, & in pios magistratus sunt sine vlla moderatione contumelioſi. Archangelus rem totam permisit iudicio Domini, hi omnes cancellos æqui boniq; perrumpunt verbis, & de diuina bonitate, sapientia, prouidentia, omnipotentia, sanctitate tam arroganter detrahunt, ac si maiestatem ipsius de solio deturbare vellent valerentq;. His autem comparationum gradibus postremum hæresiarcharum

archarum crimen beatus Iudas amplificat, probè sciens eos non posse æquos esse Christo Iesu, qui Sanctos eius, vel præfectos ab eodem constitutos conuitiantur.

His autem constitutis, subinfert accommodationem superiorum comparationum: *Hi autem quæcunq; ignorant, blasphemant, &c.* Quo antequam pertingamus, dicendum est de Michaele Archangelo, quæ & qualis fuerit eius cum diabolo disceptatio, de officijs bonorum angelorum, & de fraudibus & consilijs cacodæmonum aduersus totum genus humanum, præsertim verò Ecclesiam Christi.

Quantum verò ad ipsius Michaelis nomen pertinet, notandum primò quinq; tantùm bonos angelos in sacris literis, quibusdam nominibus velut proprijs ac singularibus denotari. Primus est Michael, de quo in Daniele scribitur: *Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum* Et rursum: *Consurget Michael, qui stat pro filijs vestris*. Et in Apocalypsi: *Michael & angeli eius prælibabantur cum dracone.* Significat autē Michael, quis vt Deus? vel, quis tanquam Deus fortis? vel, quis æqualis Deo? Quod nomen ei inditum volunt, eo quòd cacodæmonum principi æqualitatem diuinam ambiēti, primus fele cōstanter oppositurit, atq; contradixerit. Secundus est Gabriel, de quo Daniel dicit: *Gabriel, fac intelligere istam visionem.* Et postea: *Ecce vir Gabriel, quem viderā a principio, etc.* Virum autē appellat, eo q; in forma viri appareret. De quo rursum scribitur in Euangelio: *Ego sum Gabriel qui asto ante Dominū. Missus est Gabriel angelus ad Mariam, &c.* Tertius est

Dan. 10. & 12.

Apoc. 12.

Isaiæ 14.

Dan. 8. & 9.

Luce 1.

Tob.3.5.6. 8. 9.11.& 12. Raphael, de quo in Tobiæ libro diffusè tradi-
4.Esd.4.5. & 10. tur. Quartus, Vriel, de quo in libris Esdræ: *Angelus cui nomen Vriel, dixit mihi, &c.* Quintus est Ieremiel, de quo idem Esdras: *Et respondit Ieremiel Archangelus, &c.* Cæterùm, propter ministeria Deo ac hominibus exhibita, imposita fuerunt à sacris scriptoribus hæc nomina: habentq; adiunctum in fine *El*, quod vnum est ex duodecim Hebraicis nominibus diuinis, quo indicatur, eos Deo carissimos esse, illiusq; voluntatis expeditissimos administros.

Michael porrò hic appellatur *Archãgelus*
Daniel. 10. & in Daniele, *vnus de principibus primis*, id est, excellentissimis & maximis spiritibus, qui astant throno Dei. Dicitur rursum de eo in Apocalypsi, tanquam de fortissimo Imperatore ac
Apocal. 12. duce totius militiæ cælestis, *Michael & angeli eius præliabantur, &c.* Angeli eius, inquit, id est, ei subditi tanquam milites duci. Ecclesia quoque in sacris officijs, eundem appellat, præpositum Paradisi, primatem cælestis exercitus, & principem constitutum super animas suscipiendas: quibus satis indicatur, eum non esse de aliquo inferiori angelorum ordine, sed potius de summo ac præcipuo, videlicet Cherubinorum vel Seraphinorum. Nam vt cùm dicitur, *Draco pugnabat & angeli eius*, draconis voce princeps omnium cacodemonum significatur; ita & cũ scribitur, Michael & angeli eius præliabantur, Michaelis nomine cunctorum beatorum spirituum principem existimare debe-
Lib. cæleſt. hierarch c.9. Homil. 5. in Luc. mus. Hunc Dionysius Areop. & Origenes docent quondam præfectum fuisse toti Synagogæ, an-

gæ, antequam cruentas in Christum manus iecisset, ex eo quod dicitur *stare pro filijs Israel.* *Daniel. 12.* Eiusdem opera & ministerio Antichristum tãdem occidendum, non ab re scribit Hugo Aetherianus. Nam Christus dicitur interfecturus eum spiritu oris sui, &c. Atque hæc de nomine, ac dignitate Michaelis. *Lib. de regressu an. ab inf. cap. 23.*

Nunc grauior tractanda est disputatio: scilicet quæ qualis vè fuerit hæc disputatio seu altercatio Michaëlis & diaboli. Certum est autem in primis illam non fictam, simulatam, aut inanem fuisse; sed veram atque realem: tametsi spiritalem, & non corpoream. Vt enim homines corporibus præditi, armis membrisq; corporeis inter se pugnant & repugnant; sic boni & mali spiritus voluntate, intellectu & memoria, id est facultatibus spiritalibus, communiti sunt, harumque diuersis & contrarijs inter se studijs & actionibus spirituali bello decertant ac præliantur. Quater autem illos cõcertasse in sacris refertur. Primò in cælo, quando factum dicitur prælium magnũ. Secundò, super montẽ Nebo, in vertice qui dicitur Phasga, vt hic tangitur ab Apostolo. Tertiò, in regno Persarum, cùm princeps, id est, angelus Persarum restitit Gabrieli viginti & vno diebus. Quartò, in domo Raguelis & cubiculo iunioris Tobiæ, quo Asmodeus per Raphaelem superatus & vinctus fuit. *Apocal. 12.* *Deut. 34.* *Daniel. 10.* *Tob. 6.*

Quatuor autem modis ac rationibus dicuntur altercati esse de corpore Mosis. Primò, Epiphanij sententia, quando Beatis Angelis iuxta Domini præceptum, corpus Mosis sepulcro aptantibus & condentibus, diabolus eis insultãs,

improperauit, quod ſecundùm diuinam legem immundi eſſent ex cadaueris contractu, cũ ſcriptum ſit: *Anima quæ tetigerit mortuũ, immunda erit.* Michael verò è contrario defenderit, ſpiritales ſubſtantias, diuino præſertim imperio ſeruientes, immunditias à rebus corporeis contrahere non poſſe. Secundò, iuxta Oecumenium, & Græca ſcholia, cùm nihilominus Michaël & alij angeli Moſis corpus honorificè ſepelirẽt: diabolus hoc tulit iniquiſſimè; obiecitq; illud prorſus indignum tam honorifica ſepultura, vtpote qui Aegyptium occidiſſet. Tertiò, quæ & communior eſt ſententia, & Angeli diuino nutu, Moſis corpus tam ab omni hominũ cognitione remoto loco rituq; ſepelierũt, vt ſepulcrum eius nemo vnquam cognouerit. Diabolus autem hoc ægerrimè ferens, Hebræis nimium ad idololatriá pronis, iſtud prodere, & corpus tanti Prophetæ in apertum educere tentauerit, vt cultu vnius & viuẽtis Dei relicto, illius ſerui corpus adorarent. Hoc enim eis facilè ſe perſuaſurum confidebat, qui iam vt vitulum in deſerto, & duos vitulos in Dan & Bethel venerarẽtur, nullo negotio perſuaſerat. Angeli autem duce Michaele, prorſus contra obſtiterunt: ſicut eorum miniſterium honori diuino, ac hominum piorum ſaluti ſemper promptũ eſt. Poſtremò, volunt nonnulli ſic Moſis corpore totam Synagogam Iudeorum ſignificari, ſicut paſſim in ſacris per corpus Chriſti ſignificatur Eccleſia Chriſtianorum. Huius autem rector Michael pro eius ſalute ac proſperitate nunquam non decertat aduerſus diabolum hoſtem eius infeſtiſſimum. Igitur & olim diſputans altercatus eſt, & nunc

Leuit. 5.

nunc quoq; certans disceptat, & in perpetuum disceptabit aduersus diabolum tam de Mosis, quàm de Christi corpore, quod est Ecclesia.

Ex his autem obserua, diabolum magno odio prosequi Sanctos Dei seruos, non solùm cũ hîc nobiscum degunt, verũ & horum corpora, ossa, venerandasq; reliquias; addo etiã & thecas & sepulcra, in quibus honorificè recõduntur. Idcirco vel illa ne cũ honore sepeliãtur ac seruẽtur, pro viribus satagit, vt patet in martyrum histo rijs, apud Tertul. ac Euseb. aut cùm id non obtinuerit, saltem vt è contrario, elata palam pro dijs colantur & venerẽtur à superstitiosulis ho minibus efficere contendit: Ecclesia porrò Cathol. media regiaq; via incedens, & Sanctorum piorumq; corpora religiosæ tradit sepulturæ, & illis in diuorum relatis catalogũ, honesto loco reliquias eorum collocat & veneratur; non vt deos, sed vt sanctissimos dei seruos & amicos. Nouit enim Abraham defunctæ beatæ Saræ corpus religiosè sepeliuisse, vbi & à suis post mortem conditus est: quo & in loco Isaac, Rebeccæ, Iacob, & Iosephi ossa postmodum honorificè reposita fuerunt. Sepulcrum Adæ omniũ parentis in Hebrõ religiosè seruatũ fuisse vsq; ad tempora Iosue, & deinceps scriptis traditum est. Præcursoris Christi, & Stephani protomartyris corpora post mortem à pijs viris magna reuerentia sepulta sunt, &c. Itaq; miserabiliter à diabolo excæcati & delusi fuerunt olim gentiles, quorũ alij vt Massagetæ parẽtes senio confectos mactabant & vorabant, alij vt Tibareni precipitabant, alij vt Hircani & Caspij canibus edẽdos offerebãt, alij vt Scythæ viuẽtes cũ mortuis in-

Apolog. c. 37. *Lib. 4 hist. cap. 14. & 15. & lib. 5. c. 3.*

Genes. 23. 25. 35. 49. 50. *Iosue 14.* *Matth. 14.* *Actor. 7.*

tuis infodiebant : Septentrionales arboribus suspendentes coruis & vulturibus lacerandos exponebant, quemadmodum diffusè tractat Theodoretus Serm. 9. Græcarum affectionum. Nec minus infelices ac miseri censendi nunc sunt Caluiniani & Lutherani, qui per Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam ac Belgium, corpora ossaque Sanctorum de sepulcris theciſq; eruta horrendum in modum partim combusserunt, partim dispersérunt, conculcarunt, contriuerunt; & tanquā noui Nerones ac Diocletiani ad omnia tormentorum genera reuocarunt.

Sed quæritur, vnde huius Altercationis historiam assumpserit Apostolus? In Deuteronomio namque tantùm dicitur, *Moyses mortuus, & sepultus à Domino, & non cognouit homo sepulcrum eius vsq; in præsentem diem*: nulla facta de hoc angelorum dissidio mentione. Refertur etiam Satanam stetisse ad dexteram Iesu sacerdotis magni, vt ei aduersaretur, accusaret eum de peccatis, & instaurationem templi Ierosolymorum impediret: angelum verò Michaelem illum repressisse, ac dixisse: *Increpet te Deus ô Satan*: sed hoc nihil pertinet ad sepulturam corporis Mosaici. Ideo Hieronymus & Beda scribunt: De quibus scripturis Iudas hoc testimonium assumpserit, non facilè patet.

Deut. 34.

Ezech. 3.

Com. in 1 ca. ad Tit.

Com. in hunc locum

Itaq; duæ sunt ad hanc quæstionem responsiones. Prima, Origenis, quòd hoc desumptum sit ex quodam Libello, cui titulus fuit Ἀνάβασις τοῦ Μωσέως, Ascensio Mosis: cuius sententiæ subscribunt Clemens Alexandrinus, Didymus

Li. 2. de principijs.

Lib. 6. strom.

Alex.

Alex. in Com. & Athanasius magnus in Synopsi, eum libellum inter apocryphos reijcientes: verùm, hanc historiam ab Apostolo verè canonicam factam esse affirmantes. Licuit enim illi hoc facere pari authoritate, qua & Paulo hunc Epimenidis versum: *Cretenses semper mendaces, &c.* Item hoc hemistichium Arati: *Ipsius genus sumus.* Et hunc iambicum versum Menandri: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Non tamen inde sequitur, reliqua omnia quæ ab eis authoribus scripta sunt, vel sacra vel canonica esse: sed eas solummodo sententias, quas dictante Spiritu sancto, beati Apostoli scriptis suis inseruerunt.

Tit. 1.

Actor. 17.

1. Corinth. 13.

Altera sententia est, eademque probabilior & communior, huius altercationis substantiã, ex sacris literis desumptam, circunstantias verò ex longa certaque Patrum traditione petitas esse. Rei substantia est, Mosem Deo volente mortuum in monte Nebo; eodemque authore, Angelis porrò administris, sicut & in legis exhibitione contigerat, sepultum esse, &c. Ex traditione verò Patrum sunt tres circunstantiæ, prima, personarum *Michaelis & diaboli*; secunda, facti disceptantium *de corpore Mosis*: tertia, dicti Michaelis, *Imperet tibi Deus.* Sic ex eadem Patrum traditione, Iannes & Iambres à Paulo nominantur: Iacob baculo innixus adorauisse dicitur: Mosem dixisse, *Expauefactus sum & tremebundus*: & Dominum nostrũ, *Beatius est dare, quàm accipere*: quorum tamen verborum nulla planè mentio alibi reperiatur.

Deut. 34.

Actor. 7.

2. Tim. 3.

Heb. 11. & 12.

Actor. 20.

Cæterùm,

Cæterùm, ex his omnibus apparet, Apostolos in magno pretio habuisse Synagogæ, id est circuncisorum Patrum traditiones: simulque exemplo suo docuisse, vt Ecclesiasticis paterniſque traditionibus cum omni obedientia & reuerentia acquiescamus. Hinc Paulus ad traditionum obseruantiam remittens ait: *Fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Rursumque dicuntur Paulus & Barnabas docuisse Ecclesias seruare dogmata Apostolorum, & decreta seniorum. De his fusissimè scripsit Irenæus Martyr libro tertio capite tertio; & nos Annotationibus in illum locum: deinde Tertullianus libro de corona militis, & Pamelius ibidem.

2. Thess. 2.

Actó. 15. & 16.

DE OFFICIIS BONORVM ANGELORUM erga militantem Ecclesiam, cunctosque filios eius.

EX hoc porrò quòd Michael cælestis militię princeps morienti Mosi dicitur adfuisse, sepulturæ illius piam operam nauasse, simul diabolo corpus eius propalare volenti restitisse, diligenter inquirendum videtur, quæ sint bonorum Angelorum erga militantem Ecclesiam munera & officia. Certum est enim eos omnes esse (vt Paulus asserit) spiritus creatos ad obsequium hominum saluandorum. Deinde, hominum salutem diligere atque procurare pro viribus: quandoquidem *gaudium est illis etiam super vno peccatore pœnitentiam agente*, quemadmodum memorabili exemplo palam manifestarunt, quando Christo pro omnium peccatorum conuersione ac salute nato, pro incredibi-

Heb. 2.

Luce 15.

credibili lætitia cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. At quoniam non tantùm iucundum, sed & perutile & fructuosum erit de his officijs latius differere, id nunc pro viribus præstabimus.

Primum itaque eorum munus est, homines viatores suis exemplis ac commonitionibus hortari, vt Deum communem omnium parentem laudent ac celebrent: & Dominum Iesum Christum communem redemptorem & saluatorem, vnà cum Sancto Spiritu adorent ac venerentur. Audiuit enim Isaias illos sanctissimas Trinitatis personas conglorificantes & concinentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabbaoth.* Isaiæ 6. Et in Psalmis de his scribitur: *Benedicite Dominum omnes angeli eius. Laudate eum omnes angeli eius. Adorent eum omnes angeli eius.* Psalm. 103. 148. Psal. 96. Ioannes quoq; audiuisse refertur vocem angelorum multorum in circuitu throni dicentium voce magna: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, &c.* Apoc. 5. Eidemq; volenti vnum eorum adorare, dictum est: *Deum adora.* Apoc. 19. & 22. Vtrique etiam Tobiæ Raphael Angelus ait: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi.* Tob. 12. Cùm hæc igitur in terris pro virili præstamus, quid aliud quàm eorum exempla sectamur?

Secundum est verbis rursum ac exemplis docere, vt Deo præcipienti, cum omni alacritate & promptitudine obtemperemus. Ideo enim, vt tradit Beatus Areopagita, Beatos spiritus pennatos effinxit Theologia, quippe alis Li. de cæles. hier. cap. 15. Apocal. 10. Dan. 9.

alis signatur celeritas alta conscendens, & cæ-
lestis vitæ cursus iter in interiora semper ad
celsiora consternens. Sed & alarum leuitas id
in sanctis angelis indicat, quod terreni corpo-
ris sarcina liberi, toti absque vlla admistione
vel pondere ad celsa ferantur. Hactenus ille.
Iob.1. Quinetiam dicuntur tanquam filij Dei astare
Dan.7. ante Patrem: & tanquam ministri ac satellites
Ezech 9. & 10. adesse cælorum & terræ summo Imperatori,
ad cuncta videlicet mandata eius capessenda &
exequenda promptissimi. Ideo conuersus ad
Psal.102. eos Psaltes ait: *Benedicite Dominum omnes*
angeli eius, potentes virtute, facientes verbum
illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedi-
cite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui
facitis voluntatem eius. Hinc iubemur orare,
Matth.6. vt à nobis, & de nobis fiat voluntas Dei in ter-
ra, sicut fit ab angelis in cælo.

Zach.1.2.4. 5.6. &c. Tertium, diuinas nobis voluntates, cælesti-
que decreta cùm eis patefiunt, fideliter nun-
ciare, vel occultis spiritalibu sque inspiratio-
bus sic cum animabus nostris loquentes, vt in-
ter sese angelico more colloquuntur, quemad-
modum aliquando contigit Prophetis: vel ape-
tis manifestisque apparitionibus atque huma-
nis colloquijs, velut cum Abraham, Lot, Mose,
Iosue, Dauide, Tobia, & alijs quampluribus
factum est. Sub nouo quoque testamento An-
Luc. 1. Ioan.20. Actor.1. Matth.1.2. lus more hominum cum Zacharia, Deipa-
ra, Pastoribus, mulieribus, Apostolis differuit: Io-
sepho autem ac Magis in somnis, quæ in man-
datis acceperat, reuelauit.

Quartum, pios Dei seruos tristitia vel me-

rore confectos ſuis colloquijs conſolari, ac in bonas ſpes erigere: inſuper, quid in rebus ambiguis agere, vel prætermittere debeant, humâniter admonere. Sic Agarem domo heri ſui eiectam, flentemq; angelus admonuit vt reuerteretur, & Saræ dominæ ſuæ cum omni demiſſione inſeruiret. Rurſum eiectam non deſeruit, ſed dulci alloquio, puteiq; oſtenſione eandem cum filio ſuo confortauit & recreauit: oſtendens quàm pia ſolertiq́ue cura beati ſpiritus res humanas procurent. Angeli ſpecie coruorum Eliam pauerunt in deſertis: iterumq́ue pane & aqua recreatum monuerunt de via, quæ grandis illi reſtabat. Abacuc Prophetam è Ieroſolymis manu apprehenſum cum prandio Babylonem tranſtulerunt, vt Danieli in lacum leonum demerſo miniſtraret. Chriſto poſt ieiunium quadraginta dierum in deſerto ſubuenerunt; eundemq́ue flentem, trementem, triſtem, ſanguinis imbrem deſudantem in horto confortarunt.

Geneſ.16.

Gen.21.

3.Reg.19.

Dan.14.

Matth.4.
Lucæ 23.

Quintum, ſeruis Dei pro eius cultu, lege, Eccleſiaq́ue certantibus atque periclitantibus adeſſe, non ſolùm vt ſacrorum certaminum ſpectatores, ſed & efficaciſſimos dulciſſimoſq́ue conſolatores: & cùm ad Dei gloriam ſpectauerit, etiam potentiſſimos & glorioſiſſimos liberatores. Ita ſanctum Patrem Iacob inſtar caſtrorum aduerſus fratris eius Eſau minas cuſtodierunt, & redeuntem è Meſopotamia per multa diſcrimina ſunt tutati atque comitati. Vnde moriturus dicebat: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis*. Angelus liberat Lot è Sodomis, ne cum execrandis illis

Gen.22.

Gen.48.

Gen.19.

periret: pueros è fornace, ne flammis absumerentur: Danielem de ore leonum, ne ab his discerperetur: Magos, Ioseph, & Mariam Angelus sanctus præmonuit, vt à fraudibus Herodis cauerent: Petrũ & Ioannem è carceribus principum sacerdotum liberauit: & Paulum de præsentissimo naufragio.

Dan 3. & 6. *Matth. 2.* *Actor. 5. 12. & 27.*

Sextum, hominibus & semper & vbique adesse in domibus, in cubiculis, in officinis, in foro, in agris, in siluis, in aquis; siue quiescãt, siue peregrinentur, vt eos ab insidijs furoreq; cacodæmonum seruent atq; custodiant. Ideo pater fidei nostræ Abraham seruo suo, quem in Mesopotamiam ablegabat, bene precans dixit: *Dominus mittet Angelum suum coram te, &c.* Et senex Tobias Annam vxorem suam de filij peregrinantis salute anxiam his verbis consolatus est: *Credo quod Angelus Dei bonus comitetur eum, & disponat omnia quæ circa eũ geruntur.* Quod & reapse verum erat, quando Raphael totius peregrinationis illius comes, eum nunc à prægrandis piscis inuasione, mox ab Asmodei cacodæmonis rabie liberauit. Sunt ad hæc amplissimæ istæ Dei pollicitationes de perpetua bonorum angelorum cum pijs hominibus præsentia: *Angelus Domini in circuitu timentũ eum. Angelis suis Deus mandauit, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.*

Genes. 24. *Tob. 5. & 8.* *Psalm. 33. & 90.*

Septimum, vota, preces, suspiria, lacrymas, ieiunia, eleemosynas, cæteraque bona hominum fidelium opera, in conspectu Domini Dei nostri offerre, vt quid de illis decernat rescisc entes, nobis cùm opus fuerit renunciẽt. Enimuerò

uerò Raphael Tobiæ dicit: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* In Apocalypsi quoq; scribitur, Angelo data fuisse incensa multa, vt adoleret ea ante Dominum: eis verò adumbratas fuisse orationes sanctorum. Alius quoque Angelus dicit Cornelio Centurioni: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt* (deferentibus nimirum angelis) *in memoriam in conspectu Dei.* Tob. 12. Apoc. 8. Actor. 10.

Octauum, feruentissimas, purissimas, assiduasq; preces suas nostris coniungere, vt pro salute nostra tanquam pro conciuibus & conseruis suis apud communem Deum & Patrem intercedant. Eo enim sensu dicitur Michael stetisse coram Deo pro filijs Israel, qui curæ eius singulariter commissi fuerant. Stare namq; pro aliquibus apud Deũ, non aliud potest esse, quã eis patrocinari, bene precari, rebusq; eorum sollicitè adesse. Extat & angeli custodis Ierusalem pro ciuitatis ac templi eius instauratione ista feruens deprecatio: *Domine exercituum, vsquequo non miserebaris Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Et respondit Dominus angelo bona & consolatoria.* Eodem rursum sensu ac fine dicuntur in Euangelio summopere lætari & gaudere super vno peccatore pœnitentiam agente. Vnde verò gaudium, nisi ex his quæ accidunt nobis volentibus atq; desiderãtibus? Et quid hæc angelica desideria, nisi puræ preces. Dan 12. Zach. 1. Luc. 15.

Nonum, non tantùm singulis vrbibus, Ecclesijs, Prouincijs, & regnis præesse, vt bona eorum procurent, mala verò pro viribus auertant; verùm & singulis hominibus, vt

tutelares & custodes nunquam non adesse. Ideo
Apoc. 1. in Apocalypsi meminit Ioannes septem angelorum, septem Asiæ minoris Ecclesiarum. Et
Iosue 5. Iosue percunctanti respondet Angelus, *se esse principem exercitus Domini*, id est, castrorum Israelis: huncque Michaelem esse facilè colligunt Hebræi ex his, quæ de eo scripta sunt in
Dan. 12. Daniele: apud quem mentio quoque fit princi-
Dan. 10. pis regni Persarum, deinde etiam regni Græcorum: quibus intelliguntur valentissimi quidam angeli, super huiusmodi regna constituti.
Gen. 28. & 48. Iacob colluctatus cum angelo custode suo, ab illo meruit benedici. Eundem filijs ac nepotibus suis propitium fore exoptans precatus est:
Matth. 18. *Angelus Domini benedicat pueris istis.* Christus meminit angelorum, qui in custodiam parvulorum sunt destinati. Discipuli denique dicen-
Actor. 12. tes de Petro pulsante ad ostium, *Angelus eius est*, satis ostenderunt hanc fuisse totius Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ persuasionem ac fidem, quòd cuilibet homini Christiano saltem, præfectus sit à Deo angelus tutelaris.

Decimum, pijs in Domino morientibus adesse, eosdem aduersus mortis horrores, & varias graueisque tunc orientes tentationes confortare: adeoq; contra improborum dæmonum impetus dimicantes adiuuare. Insuper, exutis corporibus animas in receptacula pro meritis à Deo designata comitari atque deferre. Sic de-
Luce 16. functi Lazari spiritus delatus est ab angelis in
Heb. 1. sinú Abrahæ. Ideo etiam à Paulo dicuntur spiritus administratorij eorum qui hæreditatem
Psal. 90. capiunt salutis. Et à Psalmista, nos custodire in omni-

omnibus vijs noſtris: ergo omnium maximè in ipſo periculoſo ac poſtremo exitu ab hoc ſęculo. Sancti Patres tam Græci, vt Metaphraſtes, Damaſcenus, Nicephorus; quàm Latini, Auguſtinus, Hildephonſus, Bernardus, Anſelmus, Guerricus, nihil dubitant aſſerere, innumerabiles eorum choros adfuiſſe dormitioni & aſſumptioni ſanctiſſimæ Deiparæ. Adfirmantur quoque & viſi & auditi fuiſſe frequenter in plurimorum ſanctorum hominum mortibus & exequijs. Atq; de his pro præſenti loco ſatis: adhuc enim poſtea de ijſdem agendum erit.

DE CACODAEMONVM HORRENdis appellationibus, viribus, fraudibus, conſilijs, & malignis aduerſus humanum genus operibus.

SIcut ex beati Michaelis pro ſalute Eccleſiæ ſuſcepta aduerſus diabolum altercatione, diſputatum eſt quæ ſint bonorum angelorũ erga nos officia; ita decet ex eiuſdem cacodæmonis malitia & repugnantia diligenter perquirere & colligere, quæ quantæque ſint omnium malignorum ſpirituum aduerſum nos fraudes & artes. Nam vt ſupra notatum eſt, tanta fuit eius impudentia, vt Beatis Angelis impingeret, quod ſe contactu hominis mortui contaminarent atque polluerent; vel leges diuinas de hac re latas aſpernarentur. Deinde, iniquo animo tulerit, ſanctiſſimi Prophetæ reliquias honorificè ſepeliri; peccata (quæ reputabat) ſuperioris ætatis eidem cõtumeliosè exprobrans. Præterea, corpus ſancti viri cunctis Hebræis exponere conaretur, vt hos ad idolo-

latriæ scelus incredibili fraude atque malitia prouocaret. Sunt itaque nomina, vires, fraudes, & maligna contra nos diabolorum consilia paucis & ordine à nobis hoc loco retegenda, vt omnes ab his caueamus & abhorreamus, ac toto pectore ad diuinum auxilium confugiamus dicentes: *Ne nos inducas in tentationẽ: sed libera nos à malo. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. Erue à framea Deus animam meã. De ore leonis libera Deus animam meam, &c.*

Matth. 6.
Psal. 73.
Psal. 21.

1. PRIMO itaque dicemus de nominibus ac horrendis titulis, quibus eorum malitia, inuidia, rabies, & hostilis in nos animus in sacris literis apertè describitur. Non enim istiusmodi appellationes eorum tanquam inanes aut vanas voluit Spiritus Sanctus recitari: sed tanquã verissimas, & quæ id reipsa in eis esse significarent, quod indicant. Vocantur ergo in veteri testamento *serpentes callidiores cunctis animãtibus*, propter incredibiles eorum insidias, fraudes, & versutias. Deinde, *dæmones & dæmonia*, id est scientes. ob intellectus acumen, longamque multarum rerum cognitionem & experientiam. Item, *Asmodeus*, id est, vastator. *Satan*, id est, aduersarius & hostis infestus. *Diabolus*, id est, delator & calumniator. *Spiritus malus & pessimus*, propter inueteratam malitiam ac improbitatem. *Spiritus mendax*, quòd hoc scelere primos parentes nostros, & alios postmodum plurimos fefellerit. *Spiritus fornicationis*, quòd ad istud, & similia carnis facinora multos inducat. *Spiritus vertiginis*, quòd suos inconstantes, & ad omnem flatum fluctuantes reddat.

Gen. 3.
Deut 32.
Psal. 105.
Tob. 8.
3 Reg 5.
Zach. 3.
Abacuc. 3.
2. Reg. 18. & 19.
Iudic. 9.
3. Reg. 22.
Osee 4.
Isaiæ 29.
Isaiæ 27.

Leuia-

Leuiathan & serpens tortuosus, propter multiplices fraudes, quibus secum in peccatis & perpetua damnatione miseros inuoluit, &c.

2. In Euangelijs quoq; multis & horrificis appellationibus nuncupantur: quæ satis studiũ nocendi nobis, & rabidum animum eorum manifestant. Vocantur itaq; *Spiritus*, propter inuisibilem, immortalem, & incorpoream substantiam. Item, *Spiritus immundi*, quòd omniũ peccatorum sordibus sunt maculati, & ad immundas turpesq; cogitationes & actiones vniuersos sollicitent. Dicuntur & *tentatores*, eo quod homines pios præsertim, cunctis diebus ac noctibus, ad omnia mala perpetranda alliciant, ac importunè sollicitent. Simpliciter & absolutè, *mali ac inimici*, propter incredibilem malitiam, & irreconciliabiles cum toto genere humano inimicitias. *Fortes armati custodientes atrium suum*, pro eo quòd difficilè expellantur ab his, quos semel possident & retinent. Christus denique vocans dæmonem, *principem huius mundi*, satis indicat eum esse tantæ prauitatis ac efficaciæ, vt pars huius sæculi maxima eum potius audiat & sequatur ad perditionem, quàm Deum optimum & maximum ad salutem.

Matth 8. Marc. 9. Luc. 10. Matth. 10. Marc 3. Luc. 6. Matth. 4. Luc. 4. Matth. 6. & 13. Matth 12. Mar. 2. Ioan. 12. 14. 16.

3. Iisdem rursus nomenclaturis ac titulis in scriptis Apostolorum nõ solum depinguntur, sed insuper appellantur, *principes aëris huius, mundirectores, spirituales nequitiæ in cœlestibus*: propter crudelem tyrannidem, quam non modò in homines, sed & belluas, & omnia elementa in nostram perniciem exercent. Nominantur etiam, *dij huius sæculi*, eo quòd diuinum cultum per idololatras, magos, & hæreticos

Ephe. 2. & 6. 2. Cor. 4. 1. Thess. 2.

abolere,& ad seipsos transferre varijs artibus conentur. Designatur quoque furor eorum per nomen *leonis rugientis & quærentis quem deuoret*. Iterumque appellationibus *draconis rufi, habentis capita septem, & cornua decem*, caudæ suæ voluminibus trahentis secum in ruinã stellarum tertiam partem: aperientis insuper os suum, vt mulierem parituram, id est, Ecclesiam militantem vnà cum populo Catholico deuoraret. Præterea, appellatur quoque *serpens antiquus, qui est diabolus & Satanas*, seducens vniuersum orbem: item, *accusator fratrum*, id est, hominum, ante conspectum Dei die ac nocte. Denique vocatur *diabolus habens iram magnã: angelus abyssi, Abaddon, & Appolyon*, id est, exterminans. Quis ad tam horrificas appellationes totus non trepidaret? quis sibi à tot talibusque hostibus non caueret?

1. Pet. 5.

Apoc. 12. & 13.

4. Obseruatum est insuper à veteribus Theologis, Minutio, Tertulliano, Origene, Eusebio Cæsariensi libro 4. de præparatione, Lactantio lib. 2. c. 16. 17. 18. 19. & Augustino lib. 7. de ciuitate, cap. 33. omnium veterum idolorum, atque fictitiorum deorum dearumque nomina diabolorum artificio conficta & inuecta in orbem fuisse, vt ipsi sub his laruis latentes incautos deciperent, sicque diuinis honoribus per horrendum nefas potirentur & colerentur. Istiusmodi sunt quæ in sacris literis commemorantur, vt *Adonis*, idoli Sydoniorum: *Adrammelech*, Assyriorum: *Astarthæ*, deæ Sydoniorũ: *Astaroth*, Palestinorum: *Baal, Baalim, Baalberith, Bel, Belphegor, Belzebub*, diuersarum gentium

In Octauio. Apologet. ca. 22. 23. 27.

Ezech. 8. 4. Reg. 17. 4. Reg. 23.

tium idola: *Chamos, Dagon, Melchom, Remmon, Remphan,* veterum ethnicorum dij: *Ianus, Saturnus, Iupiter, Mars, Pluto, Rhadamantus, Minos, Phœbus, Mercurius, Apollo, Aesculapius, Serapis, Osiris:* & ne muliebris sexus deesset, *Latona, Iuno, Venus, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Pallas, Proserpina, Fortuna, Bellona, Flora,* & aliorum incredibili errore ac pernicie confictorũ numinum, sub quorum fucis impurissimi dæmones diuinum honorem expetiuerunt, & multis sæculis ac locis consequuti sunt. Nam *omnes dij gentium dæmonia.* Atque hæc de illorum horrificis certè nominibus. *Psal. 95.*

5. SECVNDO igitur agendum de eorum stupenda planè efficacia & potestate. Hanc autem esse magnam atque terribilem, in primis ex ipsa horum spiritali substantia & natura; deinde, ex varijs eorundem effectis ac operibus facilè colligitur. Ex natura porrò cùm sint spiritus immortales, semper vigiles, agiles, infatigabiles, subtiles, oportet incredibili acumine intellectus, voluntate efficacissima, & memoria tenacissima eos præditos ac instructos esse. Tametsi enim per peccatum dona Dei gratuita perdiderint, remanserũt nihilominus, vt docet Beatus Areopagita, naturalia in his integra. Tanta itaque in historia Iob describitur illius potestas, *vt nulla sit super terram, quæ comparetur ei.* Ibidem quoque confertur cum Behemot & Leuiathan horrẽdis monstris, quæ omnia possint vastare, atque sine resistentia vlla depopulari. Potest itaque diabolus viribus naturæ relictus, miranda & horrenda fa- *Lib. de diu. nom. cap. 4. Iob. 40. & 41.*

cere, subtiliter & potenter actiua passiuis admouendo, quando id virtutem naturæ creatæ non exsuperet. Sic enim magi Pharaonis dæmonum ope, veros viuosque serpentes educere; aquas in sanguinẽ conuertere, ranas, ciniphes, & muscas ex subiectis elemẽtis mira celeritate atq; subtilitate producere potuerunt, vt in secundo Mosis libro refertur. Eadem quoque vi potuit Satan, ignes cæleſtes in greges & pastores beati Iob immittere, vento valido domum liberorum eius subuertere; eosq; omni diritate opprimere nihil tale suspicantes. Insuper, crudeles Sabæorum & Chaldæorum copias in camelos, boues, & asinas cogere; denique sanctissimi viri corpus tam immani plaga ferire, vt à planta pedis vsq; ad verticem capitis non esset in eo sanitas. Sacra Euangelia testantur dæmones miseros homines à se obsessos, reddidisse mutos, cæcos, surdos, & amentes. Possunt etiam corpora humanis simillima ex aëre alijsque elementis fingere, ac in eisdem cum hominibus incedere, & colloqui: quinetiam vt plurimi volunt, & hominibus in specie mulebri, & cum fœminis hominum specie turpiter fœdeque commisceri. Mulierculam sic incurauit annis decem & octo, vt sursum aspicere non valeret. Et mulier Chananæa conqueritur apud Dominum, quod filia sua malè à dæmonio vexaretur. Permissus sibi agere, perniciosis mendacijs ac imposturis primos vicit parentes, decepit quadringentos Achabi pseudoprophetas, intrauitq; dæmonum legio in gregem porcorum, quem illicò non contemnendo dominorum incommodo in stagnum demersit. Sed

Exod. 4. 5. 6. 7. 8.

Iob. 1. 2. & 3.

Matth. 9. Mar. 9. Luc. 11.

Iustin. Iren. Tertull. Lactant. August. Luc. 13. Matth. 15.

Genes. 3. 3. Reg. 22. Matth. 8.

sit. Sed quam ob rem permittuntur hominibus prævalere?

6. Altissimo, semper autem æquissimo Dei iudicio sinuntur hominibus sese insinuare, eosdemque possidere ac immaniter torquere atque deformare, primò cùm eos honestis exercitijs, aut bonis studijs vacuos reperiunt. *Reuertar* (ait dæmon in Euangelio) *in domum vnde exiui. Et cùm inuenit eam scopis mundatam, assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Rectè igitur Hieronymus consulit, Semper aliquid operis faciendum, vt diabolus occupatos nos inueniat. Secundò, in eos potenter dæmones irruunt, qui eos frequenter nominant, appellant, eisdemq; seipsos deuouent. Nam qui quærunt quem deuorent, quomodo ab eis abstinerent, qui sese eis offerunt & addicunt? Tertiò, quando quis curiosas & prohibitas artes sectatur, vt necromantiam, chiromantiam, & reliquas artes magicas. Ideoq; in lege Mosaica districtè prohibitum fuit consulere mortuos vel ariolos: inde etenim Saul, Ochozias, Simon, Nero, Iulianus, & alij multo plures miserrimè perierũt. Quartò, cùm quis nimio flagrat odio proximi, ac desiderio vindictæ exæstuat, vt indicat historia Saulis, qui vt odium in Dauidem concepit, à diabolo correptus fuit. Quintò, in eos præsertim valent, qui fœdis libidinibus vacant, vt equus & mulus, quibus non est intellectus: cuius rei exempla prostant in septem prioribus Saræ maritis, in Tobiæ historia. Corinthium quoque fornicatorem Satanas corripuit &

Luc. 11. *Epist. ad Rust.* *1. Pet. 5.* *1. Reg. 17.* *Psal. 31.* *Tob. 5.* *1. Cor. 5.*

puit & vexauit. Sextò, præualet blasphemis & excommunicatis, qui iusta Ecclesiæ censura à Christianorum communione summoti eiecti-
1. Tim. 1. que sunt, vt eodem Corinthij exemplo, deinde Hymenæi & Alexandri euidenter probatur. Septimò, hos præsertim etiam inuadit, qui scelerata conscientia mensam Domini adeunt, ac indignè communicant. Nam mox vt Iudas
Luce 22. buccellam Domini suscepit indignè, Satanas in
1. Cor. 11. eũ intrauit. Et inter Corinthios multi corripiebantur, quòd illotis mentibus accederent. Plu-
Serm. de lapsis. rima eius rei exempla Cyprianus suppeditabit. Octauò, cùm quis nimia sese conficit tristitia, & in angustijs suis ad Deum non confugit: sed inani mœrore contabescit. Tum enim adest diabolus, qui ad desperationem sollicitet, ad idque præcipitia, gladios, & laqueos offerat, vt veteribus & nouis exemplis plus satis
Iacob. 5. probatum est. Ideo scribit S. Iacobus: *Tristatur aliquis vestrum? Oret.* Nonò, etiam in paruulos, puellulas, adeoque viros innocentes aliquando permittitur incurrere, vel quoniam à peccato saltem originali, iuxta Augustinum, non sunt immunes: vel vt horum exemplo discant impij ad diuina trepidare iudicia, quæ fuit B. Hieronymi sententia. Decimò, nocent illi, in-
Lib. 2. ca. 15. quit Lactantius, ijs à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelsa non protegit, & profani sunt à sacramento veritatis. Iustos autem, id est, cultores Dei, cacodæmones metuunt: cuius nomine adiurati, de corporibus obsessorum excedunt, &c.

7. TERTIO nunc de fraudibus ac insidijs, quibus cacodæmones incautis hominibus imponunt,

ponunt, tractandum est. Sacris literis ac exemplis proditum est, impuros istos spiritus aliquando instar leonum palam grassari atque sæuire, aliàs verò miris technis artibus ac insidijs initio malitiam suam tegere: atque instar serpentium sub herbis latere, vt imprudentes capiant & prosternant. De his Hieronymus scribit: Multæ sunt tentationes, & die noctuq; variæ dæmonum insidiæ, quas si omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Et rursum idem exclamat: O nihil vnquam tutum apud diabolū! O multiplices & ineffabiles eius insidiæ! Mirabili astutia & calliditate colloquium cum Eua instituit, primosque parentes cum posteris vniuersis de statu innocentiæ, ac horto Paradisi in hanc miseriarum vallem deiecit: *Timeo, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidāt à simplicitate, quæ est in Christo.* An non quoq; maxima vafritie Christum adorsus est, conatusque persuadere illi, vt ieiunium solueret, ac redemptionis humanæ mysterium iam iam feliciter à se inchoatū, turpiter desereret? Nec defuerunt suasionibus eius ementiti colores. Pater cælestis, inquiebat, te tot noctes ac dies ad se clamantem & suspirantem nec attendit, nec exaudit, nec mica panis esurienti subuenit. Itaque tu non es Filius Dei, aut saluator mundi. Alioqui experire, facq; periculum, dicens lapidi, vt panis fiat. In secundo congressu, præsto fuerunt dæmoni Scripturæ sacræ, quibus suaderet Christo, vt è pinna templi sese præcipitem daret. Postremò, ad idololatriam illum

In vita Hilarionis.

In vita Malchi.

Genes. 3.
2. Cor. 11.

Matth. 4.
Luc. 4.

Mar. 1.

illum prouocare conatus est, omnium regnorum mundi ostentatione atque promissione; qua fortissimos quosque hominum leui labore superasset.

Matth. 13. 8. Ob perpetuas insidias etiam vocatur, *Inimicus homo*, qui alto somno depressis famulis patris familiàs, superseminat zizania in medio tritici: adeò nullis locis, nullis artibus sibi deest. Et cùm in specie propria, id est, horrendis formis apparens putat se non posse prævalere, 2. Cor. 11. *ipse Satanas* inquit Apostolus, *transfigurat se in angelum lucis*, vt ex Lausiaca Palladij historia manifestum est. *Non est ergo magnum, si ministri eius*, id est, magi, hæretici, schismatici, *transfigurentur velut ministri iustitiæ.*

2. Thess. 2. 9. Antichristi quoque (postremi maximique Satanæ organi) aduentum futurum esse ait idem Apostolus, *cum signis & prodigijs mendacibus, & omni seductione iniquitatis, his qui pereunt.* Hieronymus testis est dæmonem In vita Hilar. Hilarioni aliquoties apparuisse cubanti instar mulieris nudæ; esurientique largissimas dapes ostentasse. Interdum verò orantem virum Dei, vt lupus vlulans, mox vt vulpecula ganniens, inde vt gladiatores certantes, quorum vnus ad necem vulneratus, sepulturamque postulans, ab orationis studio tentauit auertere.

Lib. de vita B. Martini. 10. Refert Severus diabolum cum luce maxima, veste regia, & diademate ex auro gemmisque redimitum, calceis aureis, sereno ore, lætaque facie Beato Martino apparuisse, atque dixisse: Agnosce Martine, quem cernis. Christus

Christus ego sum. Tacentique rursum locutum esse: Quid dubitas credere, cùm videas Christus ego sum. Virum autem sanctum respondisse: Christus non se purpuratum, aut diademate renitentem venturum prædixit. Hostem, statim vt fumum euasisse, cellulamque sancti viri teterrimo fœtore compleuisse. Multa his similia narrant B. Athanasius in vita Antonij magni: Palladius in Lausiaca: Theodoretus de vitis sanctorum, Valerius & Fulgosius, cap. de Spectris.

11. Sed præterire non possum, quod relatum est ab Authore mallei maleficarum, nimirum, Sanctum quondam virum, cacodæmonem semel comperisse sacerdotis specie in quadam Ecclesia populo Christiano ex suggestu prædicantem, & in cuiuslibet ordinis vitia grauissimè inuehentem. Quem ad finem concionis conuenit, detexit, admirauit, & inquisiuit de causis suarum inuectiuarum. Respondit palam cacodæmon: Ecce compulsus veritatem dico: sciens quod cùm auditores sunt verbi Dei, & non factores, amplius Deus offenditur, & lucrum regnumque meum adaugetur, &cæt. *Parte 2. q. 6. cap. 9.*

12. Sed quæ causæ tanti odij, tantæque inuidiæ atque rabiei dæmonum aduersus hominum genus?

Primam docent veteres Theologi, quòd inuideant hominum iustitiæ, ac æternæ salutis, quam per Christum Redemptorem assequuntur. Secundam, odium Dei, cuius expressam imaginem & similitudinem in nobis conspiciunt. Tertiam, quòd suapte incredibili peruer-

peruersitate atque malitia, vniuersos damnationis suæ socios & tormentorum compartipes habere percupiunt. Certum est igitur nō vnum tantùm Luciferum, Satanam, Belzebub, vel Asmodeum, sed omnes prorsus maligni spiritus tanta in humanam speciem odio flagrare, eidem inuidere, & aduersa omnia pro viribus inferre; non semel aut iterum, sed quotiescunque, vbicunque, ac quandocunque illis datum fuerit. Scribit enim de his Basilius: Non inimicus nobis à Deo constitutus est diabolus, sed ipse ex inuidia sese nobis opposuit. Animaduertens enim se ex Angelorum ordinibus expulsum, non tulit terrenam creaturam, id est, hominem, ad angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari. Et postea: Postea quam ab authore suo defecit inimicus Dei, deinde etiam hominis, ad imaginem ipsius conditi, hostis factus est. Nos vt opus Dei odio prosequitur, vt eius imaginem confectatur. Ideo μισάνθρωπος, id est, osor hominis: & ideo rebellis Deo. Idem rursum alibi, idem confirmat & explicat Pardalis seu Pantheræ crudelis ferę exemplo. Hæc, inquit, tanto odio hominem persequitur, vt si eius imaginem pictoris penicillo in tabella depictam viderit, eam statim furibunda concerpit & lacerat: hoc argumento satis ostendens quanta sit illius aduersus hominem inimicitia. Sic item diabolus in Dei imagine, quo sit erga Deum odio ostendit, quando Deum ipsum attingere nequit. His addit Lactantius: Spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur.

Homil. quòd Deus non sit author malorum.

Homil. 21. quæ est in diuersos script. locos.

Lib. 2. ca. 15.

Subij-

subijcit Hieronym. vel Beda: Diabolum nomine serpentis igniti & exardescentis in sacris literis significari, (hic Dipsas vocatur) eo quod velut exæstuans sitiat hominis mortem. Et in Psalmum nonagesimum, ait: diabolos esse venatores, qui multis laqueis animas nostras venantur ad damnationem. *Com. in c. 18. libri Iob.* *Deut. 8.*

13. Nec silentio hîc prætermittendum est, Caluinianos cũ suo capite ac principe, Deum maxima contumelia deformare atque afficere, quando ipsum diabolici huius odij ac vniuersæ malignitatis constituunt authorem, *Satanam verò tantùm organum atq; ministrum.* Etenim illos solummodò malè agere permittit, non mittit, non præcipit, non impellit, non cooperatur: tantùm abest, vt fraudes, odia, immaniave scelera operetur in illis aut in nobis. Cùm Deus sit optimus, inquit Tertullianus, diabolus è contrario pessimus, ipsa sua diuersitate testantur neutrum alteri facere, vt nec bis non magis à malo aliquid boni, quàm à bono aliquid mali editum videri possit. Et idem rursum alibi. Deum tãtummodo permittere Diabolo, vt sæuiat in homines his verbis docet: Nihil satanæ in seruos Dei viui licebit, nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidẽ electorum in tẽratione victricem: aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, cui Diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem: nec in substantiam quidem eius, nisi Dominus dixisset: Omnia quæ sunt eius in manu tua do. Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulauit, non *Instit. lib. 1. c. 18. sect. 1. & 2.* *L. de patientia.* *L. de fuga in persec.* *Iob. 1. & 2.* *Luc. 22.*

Matth. 8. habens eam nisi ex permissu, &c. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatē, nisi eam de Deo impetrasset, tantū abest vt in omnes Dei habeat, &c. Et de his hactenus.

14. QVARTO iam nunc loco perquirendum, quæ quantaque sint opera cacodæmonum aduersus homines quibus præualent. Primum est eos omni Dei cognitione, religione, amore, timore, cultuque, & viribus priuare, vt sicut athei quicquid de illo dicitur aut scribitur in sacris, irrideant, blasphement, ac sic pereant. Ideo enim primum DEI ad primos parentes nostros mandatum in contrarium sensum detorsit, imò ex eodem Deum esse inuidum, impotentē, mendacemque suasit dicens: *Nequaquam moriemini. Eritis sicut dij, &c.* Propterea veteres Theologi peccatum illorum non longè ab infidelitate ac idololatria recedere censuerunt, eò quod & diabolo potius quàm Deo credere ac obedire maluerint, & multos Deos possibiles, & inter hos euadere se posse putauerint. In Euangelio quoque volucres cæli dicuntur, qui tollunt bonum semen, id est, verbum Dei de cordibus hominum, ne credentes salui fiāt. In hac quoque B. Iudæ epistola refertur, cum, tum fuisse diabolum corpus Mosis prodere Iudæis, vt relicto vnius veri Dei cultu, creaturā colerent, sicut non semel iam fecerant.

Gen. 3. Iust. orat pa renetica. Amb. lib. de paradiso c. 3. Aug. quæst. Ex. ex nouo Testam. Matth. 13. Luc. 8.

15. Secundum opus cacodæmonum est, vt ad Atheismum homines incautos perducant, sibi varia parare organa, solicitareque magos, sortilegos, pseudoprophetas, pseudoapostolos, hæresiarchas, & errorum ministros ac prædicantes, quos suis mendacijs ac imposturis inficiat, mittant

Tertul. lib. præscr.

mittantque per orbem ad peruertendas excæcandasque mentes hominum, qui illis auscultare voluerint. Nam & ab ipsius mundi initijs Cainistas, gigantes, & hos omnes, qui dicuntur Filij hominum, aduersus Dei cultum, & Abelem Noeque præcones eius incitauerunt: Deinde Cham cum tota magorum & Chananæorum progenie: quorum opera diuinus cultus ferè extinctus est, & sparsa propagataque per totum orbem fœdissima idololatria. Ecquis negabit magos Pharaonis, Baalistas, omnesque fallos Prophetas deinceps à diabolis subornatos, & ad hominum summam perniciem edoctos atque missos fuisse? *Ero*, inquit malignus, *spiritus mendax in ore omnium pseudoprophetarum*. Enimuerò cùm Dominus apertè negat se pseudoprophetas misisse, nihil superest nisi vt à diabolo immissos & ablegatos credamus. *Misit diabolus in cor Iudæ desertoris*, vt pijssimum præceptorem & Dominum traderet. Simon ac Elymas magi vocantur ab Apostolis *filij diaboli*. Polycarpus non alio loco habuit Marcionem, quàm primogeniti Satanæ. Omnis denique cœtus hæreticus appellatur *ecclesia malignantium, cathedra pestilentiæ, & synagoga Satanæ*.

Gen. 7.
2 Pet 2 et 3.
Genes. 6.
Gen. 7. 9 10.
Beros. lib 1.
Clem in recognit.
Exod. 4.
3 Reg. 18. 19.
3. Reg. 22.
Ieremi. 14.
Ioan. 13.
Actor 8 et 13.
Iren lib. 3. ca. 3.
Psalm 105.
Apoc. 2.

16. Tertium est, sublato è mundo ac cordibus hominum DEI veri cultu, incredibili ambitu eum ad se rapere, seseque DEI loco constituere, ac pro DEO vero velle haberi, adorari, & ab omnibus inuocari: quod (heu) à plurimis obtinuerunt, qui filios suos & filias suas immolauerunt

Psalm. 105.

4. Reg. 21. dæmonijs. Manasses traduxit filium suum per ignẽ, id est, in honorem dęmonum sacrificauit & combussit illũ. Aduersus hãc gentiũ impie-
Deut. 12. tatẽ scripserat Moyses: *Omnes abominationes quas auersatur Dominus fecerunt dijs suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Et ite-
Deut. 18. rum: *Non inuenietur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem.* Clemens Alexand in Protreptico, Tertullianus in Apolo. Lactantius libro 1. cap. 21. Eusebius libro 4. de Præp. & alij veteres adfirmant illud horrendum crimen, dæmonum procuratione adeò per totum mundũ inualuisse, vt nulla propemodum fuerit gens, nulla prouincia, quæ victimas humanas falsis dijs, id est, diabolis non immolauerit. Quinetiam Carthaginienses semel ducentos nobilium filios (vt est apud Lactantium) cacodęmoni sub Saturni nomine, non minus immaniter, quam scelerate sacrificarunt.

17. Quartum dæmonum opus est, pijs Dei seruis Prophetis ac Doctoribus resistere, & omnibus quibus possunt modis sese opponere, ne verbum Dei spargant & annuncient. Istud confirmant res à Prophetis, Apostolis, eorumque successoribus gestæ, quando illos innumeris artibus conati sunt ab officio suo semper
Zach. 3. impedire ac remouere. Satan enim dicitur stetisse à dextris Iesu sacerdotis magni, vt aduersaretur ei, ne videlicet templi diuini restaura-
Matth. 4. tionem procuraret. An nõ quoq; Satanas Christum Dominũ nostrum incredibili rabie persecutus est, vt eum ab Euangelij prædicatione;

Eccles.

Ecclesiæ collectione, sacramentorum institutione &c. præpediret? Nónne & in hunc finem Herodem, Annam, Caipham, Pharisæos, Scribas, Sadducæos, & Seniores populi tanquam satellites ac ministros suos aduersus eum incitauit, accendit, armauit? Expetiuit sicut triticum cribrare discipulos, vt foras excuteret. Paulus frequenter conqueritur se impeditum fuisse à Satana. Rursum, quòd illi concitaret foris pugnas, intus timores, & pericula fluminum, latronum, &c. *Luc. 22.* *2. Cor. 11. & 12.*

18. Quintum est, cunctos homines, ad omnia genera flagitiorum, vt ad superbiam, auaritiam, luxuriam, iram, gulam, inuidiam, acediã, ad odia, homicidia, sacrilegia, blasphemias & cæt. sollicitare atque inflammare. Ita enim spiritus nequam exagitabat Saulem aduersus Dauidem innocentem, ac de se totoque regno bene meritum. Idem postea incitauit eundé Dauidem, vt ad ostentationem & vanam gloriam numeraret populum suæ ditioni subditũ. Quis negabit eundē excitasse Sabbæos & Chaldæos, vt Iobi fortunas diriperent, & innocétes rusticos seruos eius omni diritate trucidarent? Magnus Origenes explicans hæc Domini ad Satanam verba: *Vnde venis?* hac paraphrasi multorum inter homines scelerum diabolum suasorem & auctorem facit. *Vnde venis tu?* Ab homicidijs, ab adulterijs, à furtis, à mendacijs, tanquam homicida, & mendacij pater super terram. *Vnde venis?* Ab internecione Abel, à gigantum impudicitia, à turri superbiæ, ab Esau auiditate, & fratris circumuctione, à Pha- *1. Reg. 16.* *2. Paral. 21.* *Iob. 2.*

raonis contumacia & perditione, ab Israel in deserto idolorum cultura, à Prophetarum persecutione, ab interfectione Ioannis, à Iudæorũ crudelitate, & ab omnium perfectione, & cæt.

Actor. 5. Tentauit cor Ananiæ & Saphiræ mentiri Spiritui sancto. Et in Apocalypsi dicitur congregare Reges terræ ad prælia. Prouocare quoque Gog & Magog, id est, Turcas, Tartaros, Persas, Apoc. 16. & 20. apostatas, infideles, hæreticos, schismaticos & tyrannos omnes aduersus sanctam ciuitatem, quæ est Ecclesia sponsaque Dei viuentis.

19. Sextum est, homines pios ac timentes Deum calumnijs onerare, eorumque recte facta in malam partem interpretari, atque etiam coram Deo, vt ea tanquam infesta sibi damnet, proteruè accusare. Hoc satis indicat B. Iob historia, in qua dicitur Satan virum sanctum semel & iterum coram Deo detulisse, quòd diuitiarum duntaxat seruandarum gratia, Deum amaret atq; coleret; quibus subtractis eum esset pleno ore blasphematurus: quod tamen falsissimum palam apparuit. Hinc profligatis è cælo cacodæmonibus, congratulantes & collætantes Iob. 1. & 2. beati Angeli cantant: *Salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Apoc. 12. Vbi Ambrosius: Accusantur noxij apud iudices, cùm eorum scelera illis manifestantur: in conspectu verò Dei qui non solùm facta, sed & cogitata considerat, quomodo diabolus aliquẽ accusare potest? Sed accusamur cùm peccamus: accusat & diabolus cùm in peccatis malesuadendo

dendo deijcit. Refertur inter Epistolas Augustini numero 226. Cyrilli (cuiuscunque fuerit) Epistola de laudibus Hieronymi, in qua quidã à mortuis suscitatus, à Cyrillo de statu animarum postquam egressæ sunt de corporibus, interrogatus respondet: Anima mea à corpore dissoluta in ictu oculi ante Dei iudicantis præsentiam fuit deportata. Hinc dæmonum multitudo stabat mala testificantes quæ fecimus, locum, modum, & tempora declarantes, ad quæ nullatenus respondere poteramus. &c. *Tomo 2.*

20. Septimum est, in tentandis solicitandisque ad peccata mortalibus importunissimos atque impudẽtissimos esse. Nam superati semel, iterum atque iterum diaboli reuertuntur, nunquam daturi inducias. Victi de vno vitio, de eodem adhuc acrius vrgent, alia insuper ingerũt, nec cessabunt quamdiu vixerimus. Verè itaque dicitur: *Militia est vita hominis super terram,* id est continua & assidua dimicatio. Christum nec semel tantùm, nec vno modo Satan oppugnauit. Paulũ toto vitæ curriculo colaphizauit, & stimulo carnis diuexauit. Eiectus resumit septem alios spiritus nequiores se, vt infestius redeat in domum de qua exiuit. &c. *Iob. 7. Matth. 4. Ioan. 12. 2. Cor. 12. Matth 9. Luc. 11.*

21. Octauum, in odium hominum tam piorum quàm impiorum, etiã in familias, seruos, pecora, domos, & reliqua fortunæ bona inuadere atque sæuire, vt horum iactura ad impatientiam & blasphemias in Deum; deinde etiam ad furta, sacrilegia, rapinas, vel desperationem denique inducantur. Hoc manifestum est ex Iob historia. Præterea, ex legione dæmonum,

Matth.8. quæ ingressa in porcos, eos omnes præcipites dederunt in mare, vt hoc damno eius loci incolæ affecti, Christum salutis authorem finibus suis expellerent: sicut & fecerunt. Vide Augustinum lib.22.de ciuitate, ca.8.

22. Nonum, impios sibi traditos etiam secùm corpus obsidere, possidere, & varijs horrendisque modis torquere; quinimò (dum per diuinam permissionem licet) diuersis mortis generibus de hoc mundo tollere, vt in altero citius & acerbius crucientur. Sunt enim Deo velut ad manum tortores, & cælestis vltionis administri ac executores. Septem viros Saræ vnus Asmodæus sigillatim præfocauit. Decem plagis afflixit Deus Aegyptios factis immissionibus per angelos malos. Cacodæmonum ope ac consilio Cain, Achitophel, Saul, alijq; innumeri desperantes (immane dictu) manus sibi violentas attulerunt. Fornicarium Corinthiũ, Hymenæum & Alexandrum propter admissa peccata in corporibus diuexarunt. Simonem magum ex aëre præcipitem dederunt, &c.

Tob.6. Psal 77. Genes.4. 2.Reg 17. 1.Reg.31. 1.Cor. 5.

23. Decimum, veneficis, incantatoribus, præstigiatoribus, sortilegis, magis, ac istiusmodi pestiferis hominibus præsto adesse, variasque transmutationes facierum, formarum, vocum, quinetiam corporum, vel fingere, vel reipsa facere, quibus miseris imponant. Nam diabolus, secundùm communiorem Patrum sententiam, à muliere pythonissa inuocatus, in specie Samuelis apparuit, nimirum, viri senis, venerandi, & pallio amicti, qui interroganti Sauli, bellum, bellique proximum euentum prædixit. Malefici, arioli & magi legibus diuinis vltimo

1.Reg.28.

supplicio

ſupplicio afficiendi ſunt, quod non niſi in Deū grauiſſimè peccent conſtitutum fuiſſet. Miranda recitantur in Abdiæ libris, ac Clemētis Recognitionibus de cacodæmonū præſtigijs. Meminerunt quoque Irenæus ac Epiphanius cuiuſdam Marci hæretici, qui dæmonum inuocatione, velut ſanguinem è cælis in calicem ſuum eliceret. Auguſtinus ſcribit Circen nobilem veneficam ſocios Vlyſſis mutaſſe in beſtias: Arcades fluuij cuiuſdam breui traiectu in lupos mutari, & exacto octennio ſi carnes non comederint, renatato fluuio in priorem formam redire. Item, in quadam parte Italiæ, mulierculas cauponarias per eſum caſei hoſpites ſuos in iumenta & caballos transformare, &c.

Exod. 20. Num. 22. Leuit. 18.

Lib. 1 adu. hæreſ. c. 9.

Li. 18. de ciuit. c. 17. & 18.

24. Vndecimum opus cacodæmonū eſt horrida & deſerta quædam loca, vel ſponte, vel relegationis virtute ac neceſſitate incolere, vt ex illis velut prædones & graſſatores ex inſidijs aduerſus homines repēte inſurgant, ac incautos terreant & opprimant. Legitur enim Raphael relegaſſe dæmonium in ſuperiorem ac deſertam partem Aegypti. Dominus per Prophetas comminatur ſe redditurum ſuperbiſſimam maximamque Babylonis vrbem in tantā ſolitudinem ac ruinam, vt eam homines non colant, ſed tantùm beſtiæ, dracones, ſtruthiones, piloſi, vlulæ, onocratuli, ericij, ibes, corui: id eſt, interprete Hieronymo, tot genera dæmonum & phantaſmatum inhabitent. In Euangelio duo dæmoniaci dicuntur, propellentibus certè dæmonijs, habitaſſe in montibus & ſepulchris mortuorum. Chryſoſtomus tradit dæmones id procuraſſe, vt perniciolas opinio-

Tob. 8.

Iſai. 13. & 34. Ierem. 52.

Matth. 8 Marc. 5. Luc. 8.

Hom. 29. in Matth.

nes hominibus inde suggererent; nimirũ, quod animæ hominum fierent dæmones: & quod ante iudicium hinc inde circa sepulchra vagarentur, cælum autem vel inferiora terræ loca ante postremum iudicium non peterent. Adhæc in historijs Ecclesiasticis, & Sanctorum gestis, nõ rarò scribitur dæmones inuentos esse in siluis, specubus, antris, præcipitijs, montibus, alijsque locis ab hominum conuersatione remotis.

Athan in vita Antonij. Hieron in vita Pauli & Hilarionis. Palladius.

25. Duodecimum, filium perditionis Antichristum vniuersa peruersitate ac malitia replere, omni astutia & fraude instruere, & ad omnem crudelitatem aduersus Christianæ religionis professores armare. *Tunc enim soluetur Satanas modico tẽpore de carcere suo, & exibit, & seducet* (nimirum per Antichristum & ministros eius) *gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ.* Hic diaboli fretus impudentia, loquetur contra excelsum, & sanctos altissimi &c. Hic veniet in nomine suo, & Iudæi præsertim eum recipient. facinora, deniq; mortẽ huius istis verbis Apostolus describit: *Veniet discessio,* nimirum ab Ecclesia & imperio Romano; *reuelabitur homo peccati, filius perditionis, & extolletur supra id, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, cuius est aduentus secundùm operationem Sathanæ, &c.* De hoc copiosè & eleganter differuerunt Iren. martyr li. 5. c. 25. Hippolytus & Ephrem ora. de Antichristo, Aug. li. 20. de ciui-

Apoc. 20.

Dan. 7. Ioan. 5.

2. Thess. 2.

de ciuitate, c. 23. Nouissimè verò Benedictus Pererius Cõment. in Danielem, alijq; nonnulli.

26. Tertium decimum opus cacodęmonũ aduersus homines, est eis moriẽtibus vt plurimũ adesse, vt saltem illa postrema hora cũ illis toto impetu congredientes, vel terroribus ad desperationẽ adigant: vel falsis persuasionibus de sanctitate & iustitia propria in præsumptionẽ attollant. Deniq; tum etiá non rarò terrificis ac horribilibus formis apparẽt, vt de statu mẽtis deijciant, ad impatientiã & blasphemias prouocent, tandemq; ad æternos cruciatus secum misellã animã abripiant. Ita enim Satanas adfuit morti ac sepulturę Mosis, vt hîc audimus. Quinimò etiã Christo Dño cum mortis doloribus luctanti seipsum ostentabat, quærens si quicquã aduersus eũ inueniret. Christus verò aduersus impetum eius Patrem inuocans dicebat: *Erue à framea Deus animã meã: & de manu canis vnicam meã. De ore leonis libera me Domine, &c.* quemadmodum diffusè satis contendit Euseb. lib. 10. demonst. Euang. ca. 10. Istud etiam comprobat Gregor. papa, ex eo quod dixit Christus: *Venit enim princeps mũdi huius, & in me nõ habet quicquam.* Seuerus quoq; scribit, B. Martin. in extremis agentem, vidisse diabolũ in forma horribili prope assistentem: cui vir Dei dixit: Quid hic astas cruẽta bestia? Nihil in me, funeste, reperies. Abrahę sinus me recipit. Ista quoq; cacodæmonum postrema aduersum nos facinora describunt Basilius magnus in Psal. 33. & Oratione de martyre Iul. Chrysostomus homilia 54. in Matth. Cyrillus Alexand. oratione de

Psalm. 21.

Hom. 39 in Euang. Ioan. 14.

Epist. 3 quæ est de obitu S. Martini.

exitu

exitu animæ à corpore, Ephrem Syrus passim: & Augustinus libro speculi peccatorum: quæ qui attentè ac meditatè legerit, mirabor si non totus horrescat, & in lacrymas cordisq; compũctionem resoluatur, &c.

27. Omni tamen diligentia notandum ac meditandum est, Deum aduersus tot tamque infestos & acerbos hostes nobis dulcissimas atque valentissimas consolationes in Ecclesia sua reliquisse: vt pote, quod non nisi ab eo permissi aliquid possint ac valeant; quòd Christus pater & dux noster illos non modò vicerit; sed & Apostolis, discipulis, sanctis, Christianisque omnibus virtute nominis sui subiecerit; quod denique, sanctissimæ crucis consignatione, aquæ lustralis aspersione, corporis Christi præsentia puraque communicatione, alijsq; non paucis medijs efficacibus à corporibus, ædibusque fidelium procul ablegari possint. &c. Atque hæc de officijs bonorum angelorum; deinde ea codæmonum nominibus, potestate, fraudibus, & aduersus genus nostrũ facinoribus, & si prolixè, non tamen (vt spero) inutiliter disputata sint. Iam ad Apostoli nostri contextum redeundum.

Matth. 10. Marc. 16. Act. 19.

Non est ausus (Michael alrercans cum diabolo) *iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit, Imperet tibi Deus.*

Hîc admirandam simul & imitandam nobis Apostolus proponit beati Michaëlis insignem moderationem ac temperantiam; qui cùm cælestis gloriæ particeps esset, disputaret autẽ cũ diabolo omnium creaturarum despicatissimo & dam-

& damnatissimo, propter communis Creatoris nomen ac reuerentiam, *non est ausus* eidē loqui duriter, non probra conuitiaque dicere, eo quòd ipsum & natura bonum, & angelum, & à Deo cōditum, agnosceret. Ob metum Artificis, noluit opus contumelijs afficere: & in gratiam communis Creatoris, non est ausus iniuriam facere creaturæ. Verùm temperato moderatoque verbo impetū eius repressit dicens: *Imperet tibi Deus*, vt nec possis nec audeas hoc corpus Mosis vel ab honesta sepultura prohibere, vel à nobis conditum ac sepultum Iudæis ad idololatriam manifestare. Aut (vt Græci legunt) *Increpet te Dominus*, iudicando & coarguendo malitiam tuam, furorem tuū compescat, silentium tibi imponat, atq; huic altercationi nostræ finem faciat.

Ergo vel hinc apparet naturam substātiamque angelicam cacodæmonum ex prima conditione bonam esse, atque idcirco nec contemnendam, nec conuitijs impetendam: continetur enim inter cætera creata, de quibus scriptū est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Itē: *Omnis creatura Dei bona est.* Idcirco ait beatus Areopagita: Neque dæmones natura mali sunt, aliàs non sunt ex bono, neque inter substantias. Bonū enim (id est Deus) bona producit & statuit. Mali verò sunt propter auersionem à Deo, furorem irrationabilem, dementem concupiscentiā, præcipitem imaginationem atque proteruiam. Tertullianus vt brevius, sic obscurius idem confirmat: Quod factus est (dæmon) à Deo est, id est angelus: id erit eius

Genes 2. *1. Tim. 4.*

Lib. de diuin. nom. c. 4.

Lib 2. adu. Marc.

eius qui fecit. Quod autem à Deo non est, id est, diabolus, id est delator, superest vt ipse sese fecerit deferendo de Deo, & quidem falsum. Primò quòd Deus illos ex omni ligno edere vetuisset: deinde quasi morituri non essent, si edissent: tertiò quasi Deus inuidisset eis diuinitatem. Epiphanius denique aduersus Manichæos scribens, his verbis assentitur: Iam sæpe ostendimus, quod dæmon non malus creatus est. Nihil enim malum Deus fecit, & hoc intelligentibus manifestum est. In principio itaque malus non erat, verùm euasit malus, &c. Atque hæc est ratio qua Michaël non est ausus probra in eum conijcere. Scribit enim Syracides: *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.* Peccata namq; & supplicia sua diabolo improperans, quæ nihilominus in impietate sequitur, multo magis se coarguendum & damnandum præbet.

Contr. hæres. 66.

Eccli. 21.

DE MALEDICTIS, conuitijs, ac imprecationibus.

Hoc autem loco, more scholastico disputare libet, An liceat homini aliquando iustis de causis maledicere, id est, probra & conuicia proferre aduersus creaturas siue rationis capaces, quales sunt homines & angeli; siue sensus expertes, cuiusmodi sunt cæli, stellæ, elementa? Sunt enim pro vtrâque parte apertissima Scripturarum testimonia, varia sanctorum virorum exempla, & rationes non aspernandæ.

Atque in primis pro parte negante sunt hæ manifestæ prohibitiones diuinæ: *Qui maledixerit*

ledixerit patri vel matri, morte moriatur. Principi populi tui non maledices. Et ne quis iudicaret sibi potestatem factam esse, alijs à parentibus & magistratibus conuicia facere, rui sum prohibet lex diuina: *Non maledices surdo. Nō eris criminator aut susurro in populo.* Igitur cū Deus omnipotens omnem maledicent ā, crimi nationem, & obmurmurationem in alios districtè prohibeat, nulli maledicere aut conuitiari licet. *Exod. 21. 22.* *Leuit. 19.*

Secundò, si vetitum est dicere fratri suo RACHA, (id est, inanis, absq; cerebro) sub pœna cōcilij; aut Fatue, sub cōminatione gehennæ; aut omnino eidē irascendum; quomodo non multo magis prohibitum censebimus maledicendum ac conuiciandum? *Matth. 5.*

Tertiò, nemini obscuræ possunt esse terribiles istę cōminationes Apostolicę aduersus eos, qui probris ac maledictis proximos vexauerint. *Benedicite, & nolite maledicere. Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut maledicus, cū eiusmodi nec cibū licet sumere.* Subdit autem peccati atrocitatē: *Neq; enim fornicarij, neq; ebriosi, neq; maledici regnū Dei possidebūt.* Et princeps Apostolorum inquit: *Nolite reddere malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Rursumque. *Nemo vestrum patiatur tanquam fur, aut maledicus, &c.* *Rom 12.* *1. Cor. 5.* *1. Cor. 6.* *1. Petr. 3.* *1. Petr. 4.*

Quartò, exemplis Christi, Angelorū, Apostolorum, & Martyrū confirmatur nefas esse cuiquam maledicere. Nā Christus vitę Christianę vnicum exēplar, *cùm malediceretur, nō maledicebat: cùm pateretur, non cōminabatur.* Michael *1. Pet. 2.*

Archan-

Archangelus, vt hîc refertur, non est ausus probra conijcere in diabolum. Paulus de se & alijs
1. Cor. 4. Apostolicis viris dicit: *Maledicimur, & benedicimus.* Martyres ad necẽ damnati, non fremebant in magistratũ, sed gratias agebãt, vt
Apolo. 1. est apud Iustinum, quòd liberarentur à molestis dominis, & ad Patrem regemque cælestem proficiscerentur. Igitur nulla occasione data, licet pium virum alteri cuiquam maledicere, aut infausta precari.

Quintò, accedunt istę rationes. Omne maledictum ac probrum procedit ex ira & excandescentia in proximum. Illud autem penitus aduersatur dilectioni illi, quæ tantopere in Euangelio commendatur. Igitur nulli fas est cuiquam conuitiari vel mala dicere. Deinde, quæcunq; repugnant huic legi naturæ, *Ne facias alijs, quod tibi fieri non vis,* impia sunt & nefaria. Sed nemo hominum vult audire probra & maledicta, etiam si improbè viuat. Igitur probris & maledictis quemquam infectari nefarium est. Præterea quisquis alteri maledicit aut conuitiatur, eidem infausta & mala peroptat. sed nemini licet malum imprecari, quinimò bene orare iubemur pro persequentibus &
Matth. 5. calumniantibus. Igitur nemini licet maledicere. Postremò, in omni re creata consideranda est substantia, seu natura ipsa, cuius artifex & conditor est Deus optimus & maximus. Hâc autem probris ac maledictis incessere ob reuerentiam auctoris non licet, etiam in hoste maligno: ergo multo minus in quacunque creata substantia. Atq; hæc pro parte inficiatoria.

QVOD

QVOD autem è contrario multis de causis liceat nobis, & diabolo, & impijs ac reprobis, alijsq; creaturis etiam rationis expertibus maledicere, & infelicia quæquæ desiderare, subiectis scripturis, exemplis, ac rationibus ostenditur.

Primò, Deus ipse maledixit serpenti impostori, simulque terræ quam condiderat & benedixerat. Item Caino post fratricidium admissum. Iussit insuper Israeli, vt sex tribus stantes super montem Hebal duodecies maledicerent legis suæ præuaricatoribus: & vt sex aliæ stantes super montem Garizim, id probando & confirmando, toties responderent, Amen. Et ne quis respondeat, hæc tantùm ad vetus testamentum pertinere, Christus sub nouo, maledixit ficui sterili, quæ statim aruit. Væ, id est maledictiones octo imprecatus est Scribis & Pharisæis. Dixitq; rursum: *Væ homini per quem scandalum venit. Væ homini per quem Filius hominis tradetur. Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida. Væ mundo à scandalis, &c.* Itaq; videtur exemplo illius nobis licere, homines impios diris omnibus deuouere, & rebus inanimis maledicere.

Gen. 3 & 4. Deut. 27. & 28. *Luc 11.* *Matth. 23.* *Matth. 18.* *Matth. 26.* *Matth. 11.*

Secundò, beatus Patriarcha Noë derisus à filio suo Cham, filio eius Chanaam maledixit, dicens: *Maledictus puer Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Iacob etiam Simeonis ac Leui malis operibus succensens, dixit: *Maledictus furor eorũ.* Moses quoq; contemptori Decalogi imprecatur. *Maledictus eris in ciui-*

Gen. 9. *Gen. 49.* *Deut. 28.*

Psalm 118. Ierem. 17. *in ciuitate.* Dauid item ait: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Et Ieremias: *Maledictus homo, qui confidit in homine, &c.* At qui hæc facientes non peccarunt sanctissimi Patriarchæ & Prophetæ. Nec igitur peccabimus, si aliquãdo hominibus improbis maledixerimus.

Iob. 3. Ierem. 10. Tertiò, Iob & Ieremias angustiarum huius vitæ pertęsi, grauissimis maledictis prosecuti sunt noctem suæ conceptionis, diemq; natiuitatis. Summus Synagogę Pontifex, etiam diuina constitutione, multis & horrendis execrationibus onerabat aquam, quæ zelotypię dicebatur: similiter & hircũ emissarium, antequã in desertũ ablegaretur. Igitur & creaturis inanimatis & animatis licet maledicere. Ad hæc, Prophetæ non semel suis aduersarijs infausta precantur, veluti: *Confundantur qui me persequũtur. Duplici contritione contere eos Domine. Qui insurgunt in me confundantur. Confundãtur superbi, quia iniustè iniquitatẽ fecerũt in me, &c.* Ergo horum exemplis videtur licitum hostibus suis imprecari.

Num. 5. & 22. Ierem. 17. Psalm. 108. & 118.

Quartò, beatus Iudas Apostolus paulò post versum, quem explicamus, apertè diserteq; maledicit hæresiarchis dicens: *Væ illis, qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, &c.* Paulus quoq; nõ sine probris maliliq; dixit Elymæ *ô fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis vias Domini peruertere rectas? Et ecce eris cæcus & non videns, &c.* Et Petrus Simoni est imprecatus inquiens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Diuinus quoq; Præcursor

Act. 13. Act. 8.

cursor, nõ sine probris exclamat ad Pharisæos: *Genimina viperarum, &c.* Christus Iudæos vocat, filios diaboli, generationem prauam & adulteram; Petrum, Satanam: hominem modicæ fidei: discipulos euntes in Emmaunta, *stultos & tardos corde ad credendum, &c.* Horum itaque vestigijs insistentes non offendimus, si pro re nata aliquoties probra & conuitia in alios protulerimus. *Matth. 3. Ioan. 8. Matth. 12. Matth 16. Matth. 14. Luc. 24.*

Postremò, Ecclesia Catholica, quam aberrare à vero rectoque nunquam Spiritus sanctus permittit, tum in exorcismis, qui præcedunt Baptismum, tum in his qui curandis hominibus possessis à dæmone adhibentur, diabolo quæcunque potest probra, maledicta, & conuitia dicit; ac multiplicem æternamque damnationem non semel imprecatur. Vtitur enim his verbis: *Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, &c. Audi maledicte Satana, & cum tua inuidia tremens gemensque discede. Exorcizo te spiritus immunde, in nomine Patris, &c. Ipse tibi imperat, maledicte, damnate, atque dammande, &c.* Igitur & filijs Ecclesiæ licere videtur cacodæmonibus maledicere, & extrema omnia imprecari. Et hactenus pro parte affirmante disputatum sit.

Quid porrò de his concludendum & sentiẽdum videtur, paucis aperiam. Quãtum ad Deũ & Christum filium eius Dominum nostrũ attinet, cùm omnẽ potestatẽ & vitę & necis, & animorum & corporũ, & hominũ & diabolorũ habeãt; eademq; nunq; abuti possint, nec vllis affectibus perturbari, aut passionibus depra-

uarijillis sanè licet,quicquid libet:& quęcunq; statuerint aut dixerint de vniuersis creaturis ac operibus suis,æquissimũ semper & iustissimũ erit. Nullus enim potest diuina consilia reprehendere, nullus iudicia culpare. Nõ potest vas figuli dicere fictori suo, cur me feciſti sic? *Iustus est in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et quod Augustinus in ore frequenter habuit: Iudicia eius occulta esse possunt, iniusta non possunt. Siue ergo pro bonitate & misericordia sua, quibusdam benedicat; siue pro iustitia & æquitate, maledicat; sanctissimè & justissimè operatur.

Isaiæ 29.
Rom 9.
Psalm.144.

Quantum verò ad nos spectat, cùm multiplici fine atq; vario affectu conuitia maleque dicta in proximos pronunciemus, non potest tale esse iudicium. Primò etenim si detrahendi, infamandi, atque nocendi libidine id fiat, peccatum est. Secundò, si absque vllo Creatoris respectu, timore, ac reuerentia, substantia creaturæ ab eo condita contemnatur, probris maledictisq; vexetur; etiam delictum est: quod vt & superius, scripturis exemplisq; Sanctorũ pro parte negante laudatis omninò prohibetur. Tertiò, si peccata obijciantur, sceleraque præterita exprobrentur alicui, eo fine & affectu vt horum pudeat, eademque oderit, abominetur, relinquat, & ad meliorem vitæ frugem se recipiat, vt passim à pijs verbi diuini concionatoribus & fit, & fieri debet; officia sunt magisterij & charitatis, non conuitia improbitatis. Quartò, dum imprecationes fiunt ex perturbatione animi, aut seipsum, propriamq; causam & iniuriam acceptam vlciscendi voluntate

luntate ac desiderio, grauissimè sanè peccat, qui imprecatur. At verò si prophetico spiritu aut reuelat, aut zelo Christiano accensus comminatur supplicia futura, vt horum formidine impij à sceleribus timore saltem seruili, resipiscant; non video quomodo in his peccetur. De his copiosius egimus Digressione de oratione, Commentarijs nostris in librum Estheris, cap. 4. & 14. Vtrinque autem obiecta facilè soluentur & conciliabuntur, si membra partitionis huius rectè appositeque considerentur. Ad Apostolum ergo reuertamur.

10. *Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant, quæcunq; autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.*

Appositè nunc & accommodè comparat maledicentiam seductorum & blasphemias hæresiarcharum, cùm beati Michaëlis Archangeli summa moderatione atque temperantia: sicque palam ostendit, quàm graue ac immane sit peccatum ipsorum. Quasi dicat: Beatus Archangelus Michaël diabolũ damnatum, & contra Deum ac populum eius peruersa molientẽ non est ausus probris maledictisque vexare: hi è contrario, posito omni timore Dei atque hominum reuerentia, Angelos, Prophetas, Apostolos, Martyres, Magistratus in terra personam Christi referentes non verentur maledicere & contumelijs proscindere. Nam malitia sic excecata est mens eorum, vt non intelligãt, aut saltem intelligere nolint patrem, qui in

cælis est, illos velle glorificare, istos autem in vtilitatem hominum sic in Ecclesia militante à Deo constitutos & ordinatos esse. Ideò præanimi cæco furore longè atrociora euomunt in Sanctos Dei seruos, ac homines dignitate præeminentes, quàm beatus Angelus ausus sit contra Diabolum ipsum proferre. Laborant quoque & altero vitio, nimirum belluino stupore & amentia. Nam quæ sciunt, & sola duce natura sensibus experiuntur, vt sunt carnis titillationes, voluptates in cibo, potu, venere, in his se gerunt perditissimè. Quinetiam veluti, imò & supra bruta animantia intemperanter se se habent, & sine vllo humano pudore. De his quoque impostoribus scripsit vir Apostolicorum temporum Irenæus: Hi liberè omnia agunt, nullum in nullo timorem habētes. Item: Sine timore in tales abeunt operationes, quas ne nominare quidem fas est.

Lib. 1 cap. 9. & 35.

Ex his autem primò notandum est, istum Apostolum insignem ignorantiam tribuere hæreticis: *Quæcunq;*, inquit, *ignorāt, blasphemāt.* Nihil nisi crassum & quasi pecuarium sapiūt, quantumuis Gnosticos se esse iactitent; & tamen hanc stupidam ignorantiam suam maledictis & blasphemijs defensare conantur. Temerè damnant, quæ captum suum superant. Sic Christus Sadducæos ignorantiæ coarguit, dicens: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Pharisæos quoque vocat *cæcos, & duces cæcorum.* Paulus quoque de quolibet hæretico scribit: *Qui non acquiescit sanis sermonibus Christi, superbus est, nihil sciens,*

Matth. 15. & 23.

1. Timot. 6.

sed

sed languens circa quæstiones & pugnas verborũ. Salomon etiam depingit hæresim instar mulieris stultæ, clamosæ, plenæ illecebris, *& nihil omnino scientis.* Præterea Augustinus de Manichæorum ignorantia sic loquitur: Incidi in homines superbè delirantes, in quorum ore laquei diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, & Domini IESV CHRISTI, & Paracleti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum: sed sono tenus & strepitu linguæ, cæterùm cor inane veri. Et dicebant, Veritas, veritas, & nusquam erat in eis. Subijcit autem: Infelix homo, qui sciat omnia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat.

Prou 9.

Lib 3. confess. ca. 6.

Lib 5. confess. ca. 4.

Quemadmodum nemo mentis compos abnegabit primos ab Apostolis Ecclesiæ proceres Dionysium, Clementem, Ignatium, Iustinum, Irenæum, Cyprianum, Tertullianum, Athanasium, Basilium, Ambrosium, vtrumque Cyrillum, ac Gregorium, Augustinum, & cæter. vniuersis tempestatis suæ hæresiarchis, omnibus modis fuisse doctiores: sic quoque nemo ambigere debet, nouissimi huius sæculi sectarum auctores, Lutherum dico & Zwinglium, Caluinum, Svvenckfeldium, Osiandrum, Monetarium, Ochinum, Blandratam, & cæter. præ Patribus & Doctoribus Catholicis, Eckio, Rossensi, Pagnino, Fabro, Naulea, Tappero, Groppero, Lindano, Canisio, Clichthouco, Demochare, Sanctesio, Titelmano, Castrensi, Belsamio, Billio, Genebrardo, Bellarmino, Valentiano,

tiano, Baronio, &cæt. & reliquis orthodoxis, prorsus infantes & planè rudes esse. Nam vt his adest Spiritus veritatis, sic è contrario, excęcauit illos malitia eorũ. Et cùm omnes propemodum illi hæresiarchæ fuerint Apostatæ, excucullati, & ob turpissima flagitia hinc inde profugi, Spiritus disciplinæ effugit illos. Nec in maleuolam eorum animam habitat, aut corpore subdito peccatis. Habent ergo cuncti hęreseũn ministri coniunctam pro præsentibus atque præteritis sceleribus suis, crassam ignorantiam.

Sap. 1.

Quod ne gratis dixisse videar, æquis animis ferant in primis viri Lutherani, si eiusdem testimonijs crassissimæ illum ignorationis conuincam. Ait ille in colloquijs ab Hērico Petro collectis: *Ego Mart. Luth. neq; Hebraicè, neque Græcè calleo: attamen Hebræo & Græco mediocriter respondebo.* Quopacto igitur cũ Hieronymo, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, aut alijs veteribus esset comparandus? Sed ne putent eum ex humilitate mentitum: attendãt propudiosæ ignorationis eius aliquot euidentissima argumẽta. Aiebat rursum: *Hieron. presbyter Lugdunẽsis, vixit anno 414 Irenæus presbyter Stridonẽsis 422. Nicolaus de Lyra 320.* Quid his magis stupidum, absurdũ, & cæcũ, siue historias, siue prouincias, siue antiquitatẽ spectauerimus? Quàm etiam in sanctissima antiquitate peregrinus fuerit, ex his colligant omnes. *Nomen liberi arbitrij odiosissimum fuit omnibus Patribus, &c. De Purgatorio neq;* Ambro-

Tom. 1. fol. 187.

To 2. colloqu f 138

To. 1. fol. 42.

sius,

ſius, neque Auguſtinus, neq; Hieronymus quic quã ſentiunt, &c. Et iterum Tomo 2. ait: *Peccati originalis vſque ad Auguſtinum nullus Patrum mentionem fecit.* Iterumque: *Hieronymus nihil de Chriſto tractat. Neq; de fide, ſpe, charitate, neque fidei operibus loquitur, &c.* Quis vel à limine Patrum ſcripta ſalutauit, qui non videat atque ſtatim pronunciet, hæc Lutheri craſſiſſima mendacia; aut ex ſupina & ſtupida prorſus vetuſtatis ignorantia, aut certè Satanico planè calumniandi ſtudio proueniſſe? Caluinianorũ maximam inſcitiã alibi patefecimus. Fol. 65. Fol. 98. & 99. Fol. 13. 7.

Secundò docet Apoſtolus iſtam ſupinam ignorantiã & cordis cæcitatẽ, fontem eſſe innumerabiliũ blaſphemiarum, quibus Deũ, opera, ſanctos, Eccleſiam eius continuò laceſſunt. *Quæ ignorant*, ait, nõ modò aſpernantur & damnãt, ſed etiam cõtumelioſis verbis *blaſphemant*. Veterũ Gnoſticorum horrẽdas contra Dei vnitatem, contra Filiũ, & Spiritum S. contra bonos Angelos, contra Apoſtolos & Martyres, cõtra præcipua fidei noſtræ capita blaſphemias diligenter collegerunt & confutarunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, perſonarum conſubſtantialium ignorarunt & blaſphemarunt Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius. Sacroſancta myſteria Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia ignorauerunt & blaſphemauerunt Berengarius, VVicleſus, Hus, Carolſtadius, Zuinglius, Oecolampadius, Bullingerus, Vermilius, &cæt. Si enim illa cum Eccleſia Catholica crederent & noſcent, eadem

ſumma pietate venerarentur & colerent. Miſeri ſectarij nunc cum Vigilantio craſſa ſupinaque ignorantia neſciunt Sanctorum ſpiritus noſtri meminiſſe, de noſtra ſalute ſollicitos, & pro nobis apud Deum communem parentem, intercedere; indeque contradicunt atque blaſphemant. Sic de cunctis hæreticis dici poteſt: adeò vt & Paulus quoque confirmet iſtiuſmodi affectatam ignorantiam, matrem eſſe omnium errorum atque blaſphemiarum, cùm de ſeipſo ſcribit: *Blaſphemus fui & perſecutor: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quoniam ignorans feci.* Et Chriſtus de Iudæis Apoſtolorum ſuorum primis perſecutoribus ait: *Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* De tortoribus autem ſuis: *Neſciunt quid faciunt, &c.* Et Paulus: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum glorie crucifixiſſent.*

1. Tim. 1.

Ioan. 16.

Luc. 23.

1. Cor. 2.

Tertiò ſubindicat Apoſtolus peccatum blaſphemiæ nõ ſolùm committi aduerſus Deum, denegando quod ei proprium eſt, aut tribuendo quod penitus aduerſum: verùm etiam, committi contra Sanctos, homines dignitate præcellentes, contra ſacramenta Eccleſiæ, & vniuerſam fidem Catholicam. Hinc Auguſtinus generaliter definiens blaſphemiam, ait: Blaſphemia eſt, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Sic traducebatur Stephanus, quod non ceſſaret dicere blaſphemias in Moyſen & DEVM. Iudæi dicuntur blaſphemaſſe doctrinam Apoſtolicam. Paulus conqueritur: *Blaſphemamur, & obſecramus.* Scri-

Lib. 2. de moribus Manichæa 2.

Act. 6. 13. 18.

1. Cor. 4

bi

bit quoque ad Titum, vt Christianos admoneat, ad omne opus bonum paratos esse, *neminem blasphemare* Et in Apocalypsi, *Bestia* (per quam designatur Antichristus) dicitur *blasphemare Deum, tabernaculum eius, & eos qui in cælis habitant*: id est, Sanctos Patres & Martyres; quod in conuitijs nouissimo rum hæreticorum aduersus omnes illos iam iam adimpletur. *Tit. 3.* *Apoc. 13.*

Sed quid sibi vult illud, *quæcunq; autem naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*? Nosse naturaliter, est nosse experientia sensuum exteriorum & corporeorum, (vt belluæ rationis expertes) id est, nullo consilio, nulla ratione humana, nulla Spiritus sancti luce; sed cæco ac belluino naturæ impetu ferri. Est enim exegesis in his verbis, *tanquam muta animalia*: quasi dicat: Cùm pecudum more ad ea ferantur, quæ sensibus corporis se ingerunt, vt sunt cibi, potus, veneriſque voluptates: in illis nihil seruant modestiæ aut temperantiæ: sed penitus se ingurgitant, in cœno luxuriæ sese demergunt, carnis voluptatibus sese dedunt, & non secus ac porci, in luti fœtorem seipsos prouoluunt. Ruunt in mortem & perditionem suâ præcipites, vt pisces visa esca: & vt sorices, olfacto lardo, seipsos in muscipulam inferunt. Vbi verò intercepti sunt, corruptionem suam magis ac magis suo ipsorum facto accelerant, implicantes se se, vt feræ plagis, aut tanquam muscæ aranearum telis. Nihil cogitant de resipiscentia; nihil de priore Catholicæ religionis

gionis professione, quam turpiter deseruerunt, repetitione solliciti sunt: sed in apostasia, schismate, hæresi, carnis voluptatibus immori ac perire malunt. In summa, stupidos, & ratione destitutos esse tales hæresiarchas beatus Iudas pronunciat: quod & princeps Apostolorum Petrus his verbis confirmat: *Hi velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in ijs quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt.* Sic nostro sęculo Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, Pellicanus, Vermilius, & plurimi istius furfuris, ex monachis Apostatæ, maluerunt in incestis nuptijs, adulterinis coniugibus, imò impurissimis scortis suis impœnitẽtes perire, quàm ad cor reuerti.

2. Pet. 2.

Ex his autem obseruandum, Spiritum sanctum in scripturis diuinis seductores & hæresiarchas propter varias eorum fraudes & artes, cum aliquot brutis animantibus iure comparare: Ac primò cum serpentibus; qui venenosis sibilis, linguis, dentibus, & caudis suis mortem inferunt, cùm nihil tale homo suspicatur. Hinc rectè & appositè Irenæus: Quemadmodum serpens Euam seduxit, promittens ei, quod non habebat ipse: sic & hi (Gnostici) prætendentes maiorem agnitionem, in mortẽ demergunt sibi credentes, apostatas eos constituentes ab eo, qui eos fecit. Vide Augustinum lib. 2. de Genesi contra Manich. c. 25. 26. 27. Et Athanasium, oratione 2. contra Arianos.

Gen. 3. Num. 21. 2. Corint. 11. Apoc. 9. Præfat. in lib. 4.

Secundò, comparantur cum vulpibus, propter varios dolos, quibus simplices, minusque cautos

cautos & literatos seducunt, & in suas concionum atque cœnarum fossas secum abripiunt. *Capite*, inquit Spiritus sanctus, *vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Et de pseudoprophetis ait: *Quasi vulpes in deserto prophetæ tui.* Vulpibus quoque Samsonis, messem incendentibus, & cruentorum bellorum causas adferentibus, multis de causis similes esse hæreseôn authores atque ministros, disputat Augustinus in Psal. 80. *Cantic. 6.* *Ezech. 13.* *Iudic. 15.*

Tertiò, persæpe conferũtur cum lupis, propter insatiabilem rabiem, odium irreconciliabile aduersus Catholicos, & inextinguibilem effundendi sanguinis humani sitim. *Venient* (ait Dei filius) *ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et Paulus: *Intrabunt in vos lupi graues, nõ parcentes gregi.* Quantum sanguinis Caluiniani effuderũt iam his triginta annis in Gallijs? Quantum in Belgio? Quàm horrẽdæ adhuc carnificinæ ouium Christi ab ijdẽ exercentur in Anglia? Sed aderit suo tempore Christus, ac ouile suum liberabit à faucibus luporum. *Matth. 7.* *Act. 20.*

Quartò, propter singularem in mentiendo & calumniando impudentiam, & ob impiarũ opinionum (quas nimis importunè ingerunt) quasi continuos latratus, canibus similes esse non rarò dicuntur. Ideò etenim Paulus ait: *Videte canes, malos operarios, videte concisionẽ.* Et Christus prohibet sanctum dare canibus. Et in Apocalypsi legitur: *foris canes et venefici.* Irenæus certè, ac pòst Epiphanius, veteres Gnosti- *Philip. 3.* *Matth. 7.* *Apoc. 22.* *Libr. 2.* *Cont. hær. 41.*

Gnosticos non absimiles existimarunt esse cani Aesopico, qui quod ore tenebat imprudenter relinquens, vt vmbram specie maiorẽ persequeretur, seipsum demersit.

Quintò, etiam ob intolerabilem superbiã, audaciam, iactãtiam, & feroces minas, quibus multis sunt terrori, cum leonibus aliquoties comparantur, vt ostendit D. Hieronym. comment. in 11. cap. Oseæ. Ac ideò Irenæus quoque Martyr contendit, & diabolum omnium hæreticorum parentem, & Antichristum, cui viam parant & munium, frequenter leonis metaphora significari.

Lib. 3. ca. 38.
Psalm. 10.
16. 90.
1. Pet. 5.
Apoc. 9. 10.
13.

Sextò, ob multiplices fraudes, etiã per Dracones in sacris significantur. Nam per hæreticos applicat se lubricus draco, ait Augustinus, occultis lapsibus: serpens leni tractu subrepẽs, astuto sibilo immurmurans. Et nunc non dicit quidem apertè, Nega Christum: sed dicit, Esto Christianus, &c. Sed magis timendus est diabolus cùm per hæreticos fallit, quàm cùm per tyrannos sæuit.

Comment. in Psal 39.

Septimò, etiam per perdicem contentiosum animal designantur, vt cùm scribitur: *Perdix fouit quæ non peperit; fecit diuitias, & non in iudicio, & cæt.* Vide ibidem comment. B. Hieronymi. De his verò Augustinus scribit: Hoc animal, vt aucupes nôrunt, etiam contendendi studio capitur. Sic contendunt hæretici contra veritatem, & contenderunt ex quo se diuiserunt.

Ier. 17.

Lib. de Pastoribus ca. 12. & lib 13. contra Faust. c. 12.

Et vt locũ claudamus, postremò quoq; comparantur hæretici propter notam omnibus seculis

culis peruicaciam & obstinationem, aspidi surdæ, & obturanti nunc terræ, mox cauda aures suas, ne audiat vocem incantantis, id est, docē tis sapienter. Hanc comparationem copiosè persequitur Epiphanius, ad id etiam concinnè accommodans, quod scriptum est: *Ova aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerunt. Qui comederit de ouis eorum morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum, &c.* Sequitur in Apostolo. *Psalm. 57. Contr. hæres. 21. & 22. Isai. 59.*

11. *Væ illis, qui in via* (Græcè, quia via) *Cain abierunt: & errore Balaam mercede effusi sunt: & in contradictione Core perierunt.*

Nunc superiorem disputationem concludit vehementi exclamatione, qua Seductoribus perditionem æternam cum Inuidis, homicidis, auaris, seditiosis, maledicis, ac cæteris Dei contemptoribus grauiter comminatur, & pro certo prædicit: eo quod mala exēpla Cain, Balaam, & Core, qui tales quondam fuerunt, obstinatis animis imitentur. Sensus est. Nunquam audire, nunquam admittere vos decet, Carissimi, tam pestiferos homines, tamq; pernicioſos animarum vestrarum proditores atq; perditores. Pro certo namq; Væ, id est, maledictio, damnatio, & Dei prępotentis ira sempiterna illos in fine manet. Hoc impietatis eorū præmium, hæc merces communis erit illis cū his, quorum scelera imitantur. Neq; enim terquaterq; miseri, ad imitandū sibi Abelem, Abrahamū, aut Mosem proponunt, sed ècótrario Cainum, hominē Dei contemptorē, inuidū, & fratricī-

fratricidam; deinde Balaam magum, auarum & consultorem pessimum; postremò, Core virum seditiosum, rebellem, & schismaticum, qui cum vniuersis factionis suæ participibus horribili exemplo extinctus est, &c.

Principio autem obseruationum inuestigandum est, Cur beatus Iudas seductores istos tam acriter insectatur, cùm ne aduersus diabolum quidem contumeliæ iudicium Michaël Archangelo permissum fuisse paulò ante dixerit? Respondeo, Apostolum noluisse tunc generalem quandam regulam præfigere: sed tantùm angelicæ moderationis exemplo breuiter ostendere, intolerabilem esse hęresiarcharum furorem, dum petulanter eos conuitijs proscindunt, quos Deus honorat. Licebat certè Michaëli vltimo anathemate in Satanam fulminare: prout etiam legimus Prophetas vehementer insurgere aduersus impios. Sed cùm beatus Angelus ab extrema seueritate, alioqui licita abstineat, certè furiosum est erga Sanctos & Dei creaturas dignitate præcellentes nullum modum tenere. Cæterùm, cùm de illis pronunciat, non tam illis malum imprecatur, quàm præmonet qualis eos exitus maneat: idque facit ne quem incautum secum in perniciem rapiant.

Hoc autem exemplo monemur non esse frigidè aut molliter insurgendum in hæreticos, animarum perditores, ac hostes cultus diuini: sed feruore zeloque Apostolico in eos inuehendum; Hoc idem fecit quondam Isaias in corruptores morum, & pseudoprophetarum fautores ac imitatores: *Væ*, inquiens, *qui*

peccatis

peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequã, filijs sceleratis. Ad popularium autem oppressores exclamat: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis* Contra ebriosos autem sic vociferatur: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam.* Et in adulatores: *Væ qui dicitis malum, bonum: & bonum, malum. &c.* Ieremias quoque duriter increpans pseudopastores clamat: *Væ pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Ezechiel quoque in seductores his verbis fulminat: *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vidēt. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus.* Daniel impudicos iudices, qui hæreticorum mores adūbrabant (ait Cyprianus) in eo quod Susannæ pudicitiam expugnare tentauerant, vtisti Ecclesiæ, his verbis conuenit: *Semē Chanaan, & non Iuda, &c. Inueterate dierum malorum senex, &c* Dauid zelo Dei accensus clamat: *Tabescere me fecit zelus meus, zelus domus tuæ comedit me. Quis consurget mihi aduersus malignantes? Nonne qui oderunt te Domine, oderam?* Christus denique, Paulus, Petrus, Ioannes, corruptos hominum sui sæculi mores, hæreses præsertim grauiter inlectantur. Sic duro nodo durus adhibendus est cuneus. Et vt Tertullianus scribit: Ad officium hæreticos compelli, non inlici dignū est. Duritia vincenda est, non suadenda. Grauiter ergo delinquunt, qui cum illis colludunt, qui dissimulāt,

Isai. 5.

Ierem. 23.

Ezech. 13.

Dan. 13.

Psal. 118. & 68.

Psalm 93.

In Scorpiac.

aut perfunctoriè de horum impietatibus tractant. Perpendant quæso, qualiter se gesserint Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, alijque sanctissimi Ecclesiæ proceres aduersus Arianos, Iouinianos, Vigilantianos, Manichæos, Pelagianos, Donatistas, Nestorianos, ac similes fidei Christianæ aduersarios: horumque zelum ac pietatem imitentur, siquidem cupiant cum eis ad Christum peruenire.

Deinde, cùm hæc tria vetera impiorum hominum scelera ab hæresiarchis, horumque sectatoribus & Discipulis renouata scribit, nobis meditandum reliquit, reproborum peccata non sine fructu ac vtilitate in sacris literis inserta & relata esse: Etenim sic docemur ab eiidem paribúsque cauere atque omninò abhorrere, siquidem cum illis iram Dei in nos accendere, ac in æternum perire vt decet, metuimus. Hinc Iustinus ait: Prodest nosse conuersationes à vero alienas, ne quis improuiso studio in eas incidat. Non enim absimiles erunt in pœna, qui pares fuerint in culpa. *Non ergo fornicemur, sicut quidam olim fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria milia. Neq; tentemus Christum, &c.* Veterum enim delicta scripta sunt ad correptionem nostram, &c. Væ autem miseriæ, seu potius malitiæ hominum, qui scelera potius improborum, quàm virtutes Sanctorum æmulantur. Plures enim inuenies, qui Caini inuidiam, Balaami auaritiam, & Core schisma imitẽtur; quàm vel Abelis innocentiam, Mosis sanctitatem, aut Phinees piũ zelum

Orat. Paranetica.

1. Cor. 11.

zelum ad æmulandum sibi proponant. Sed tria exempla sigillatim discutiamus.

Primum est, *Væ*, id est iram ac maledictionem Dei eos manere, *qui in via Cain abierunt*. Quæ verò sunt viæ, id est, consilia, mores, & studia Cain? Et quo pacto veteres nouique seductores in his abierunt? Prima, vt à veteribus Hebræis obseruatum est, fuit magna impietas in Deum, qua deri sit contempsitque omnem doctrinam, quam de illius diuina potestate, prouidentia, & iustitia filijs suis tradebat sanctus Pater, & eius temporis Ecclesiæ summus moderator Adam. Habet enim Hebræorum Thargum Ierosolymitanũ, Cainum dixisse Abeli fratri suo, quem specie amici colloquij eduxerat in agrum: Non est iudicium futurum, nec iudex, nec aliud sęculũ, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impijs. Nec Dei potentia creatus mundus, nec regitur, &c. quæ omnia non solũ hæresim, sed & plusquam diabolicum atheismum respiunt ac personãt. Hoc de illo non obscurè indicant & confirmant sacræ literæ, cùm testantur Deum *ad eius munera non respexisse*, nempè quòd sine vlla fide ac pietate illa offerret: sine qua impossibile est quemquam placere Deo. Laudant verò è diuerso Abelem, quòd *fide plurimam hostiam obtulerit quàm Cain*. Adfirmat quoq; Ioannes, *Cain fuisse ex maligno*, id est, diabolo, spiritu perfido & mendaci, &c.

Gen. 4.

Hebr. 11.

1. Ioan. 3.

Hanc porrò viam eius ingressi Simoniani & veteres Gnostici, cum illo blasphemarunt Deum hunc mundum non creasse, sed Ange-

los. Negauerunt insuper homines saluari per bona opera, quæ fidem & iustificationem sequuntur: vti de illis tradiderunt antiquissimi & doctissimi scriptores Ireneus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus lib. de hæresib. Quid autem his Caini & Gnosticorum vijs adsine habent huius temporis Hugnostici? Primò negant vnitatem Dei, quando cum Beza autumant Essentiam diuinam reipsa & ab æterno distinctam esse in tribus personis: earũ quamlibet eandem à seipsa habere, non à Patre: Deũ nullam solicitudinem aut curam habere malè viuentium: Paradisi ac inferorum nullum certum locum esse: denique, quando pernegant Sanctorum bonis operibus vllam mercedem repositam esse, &c.

Lib. 1. aduersus hæreses. *Lib. præscr.* *In confess fidei, & Psal. Gallicis.* *In c. 23. Luc.*

Secunda *Caini via* fuit insignis hypocrisis atque simulatio, qua fingens se cœlestis numinis studio teneri, ac illud etiam sacrificijs externis piè colere. Nam offerebat ei de fructibus terræ, quam iuxta præceptum eius datum parenti, coluerat. At nulla erat in animo eius fides, nulla pietas, nulla spes, nulla fraterna charitas. *Qui enim nõ diligit fratrem suũ quẽ videt, quomodo potest Deũ quẽ non videt diligere?* Hanc porrò Caini viam ingressi sunt, & scelera imitati veteres Gnostici Nicolaus, Ebion, Cerinthus, Simon, Valentinus, Menander, Carpocrates, qui fingentes se ad tempus Deo per Christum credere, ac Ecclesiæ Catholicæ constitutionibus adhærere: ab his tandem turpissimè defecerunt. de his & similibus conqueritur Paulus: *Fidem & bonam con-*

Gen. 4. *1. Ioan. 4.* *1. Tim. 1.*

scientiam

scientiam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt. Exitus ergo probauit meros fuisse hypocritas.

De futuris quoque hoc vltimo tempore Hignosticis, idē Apostolus his verbis vaticinatur: *Spiritus manifestè dicit. Quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendaciū, & cauteriatā habentium suam conscientiam*. Nam Lutherus, Melancth. Bucer. Oecolāpad. Zuinglius, Vermil. Caluinus, Beza, aliquādo in Ecclesia Catholica baptizati & vncti externa religionis eius professione factiſq; ad tempus ostenderunt se esse in nobis: sed deserta vera fide tandem declararunt se non esse ex nobis: fuerant ergo vt paleæ cum tritico vsquequo ventilaretur area Ecclesiæ: atque vt hirci, cum ouibus: mali pisces, cum bonis: & fatuę virgines, cum prudentibus. 1. Tim. 4. 1. Ioan. 2. Matt. 13. 25.

Tertia *via Caini* fuit inuidentia fraternæ felicitatis, quæ à Theologis nominatur peccatum in Spiritum Sanctum. Odio namque acerbo in eum exæstuans, primò magna proditione eduxit eum foras in agrum, à præsentia consortioque parentum: demum rixatus cum eo, insurrexit, & crudelissimam necem eidem attulit. Horrenda hæc scelera Ioānes istis paucis verbis complectitur. *Cain occidit fratrē suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta*. Moses verò ita historiam refert: *Cain iratus est ve-* 1. Ioan. 3. Gen. 4.

hementer, & concidit vultus eius: præ fraterna inuidia, maleuolentia & odio, scilicet. *Dixitq; ad Abel: Egrediamur foras in agrum*: en proditio. *Cumq; essent in agro, insurrexit aduersus eum, & occidit*: en crudele fratricidium.

Hanc Caini viam ingressi, & studia consiliaque imitati omnes omnium ætatum hæretici, summo ac irreconciliabili odio, ex inuidia concepto & nato Ecclesiam Catholicam atque filios eius sunt persecuti: & cùm per vires licuit, eosdem prodiderunt, proscripserunt, trucidauerunt. Nota est Simonis magi omnium hæreticorum parentis, barbara crudelitas in paruulos, quos in vsum magicarum artium necabat. Immanitatem quoque animi sui satis ostendit aduersus Petrum summum Christianorum Pontificem, quando diabolos instar ferocium molossorum in eum immisit, vt eundé lacerarent atque deuorarent.

Abdias lib. 1.

Clem. li. recognit.

Quanta etiã feritate Ariani debacchati sint aduersus Catholicos, ex Athanasij querelis, & Victoris Vticensis, Nicephoriq; historia cuius est peruium. Donatistarum persecutiones attingit Optatus Mileuitanus; & ampliori stylo digerit Augustinus, ex quo hæc pauca subijcio: Si cogitaretis (ait ad Donatistas, Apostolicam Cathedram infectantes) Christum cathedram Mosis commendasse ac honorasse; non propter homines, quos infamatis, blasphematis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis, &c. Nec propter Pharisæos, quibus nos per maleuolentiam comparatis, præcepit Domi-

Li. 2. cõt. lit. Petiliani, ca. 51. & 61.

Matth. 23.

Dominus deferi cathedram Moſis, in qua figurabat ſuam: ſed monuit ne Cathedræ ſanctitas deferatur, &c. Et alibi rurſum, referens eos omnem barbarorum, imò & ipſius Satanæ crudelitatem in perſequendis Catholicis exſuperaſſe, ſcribit: Ecce in regione noſtra Hipponenſi, quoniam eam barbari non attigerunt, Donatiſtarum latrocinia ſic vaſtãt Eccleſias, vt barbarorum facta minora ſint. Quis enim barbarus excogitare potuit, quod iſti, vt in oculos cleri corum noſtrorum calcem & acetum mitterẽt: quorum membra etiam cæteris plagis horrendis vulneribuſque fauciarunt? Deprędantur etiam domos aliquas, & incendunt, fructus aridos diripiunt, humidos fundunt: & talia cæteris comminando, multos etiam rebaptizari compellunt. Rurſumque idem ait: Donatiſtæ calce & aceto humanos oculos perſecuti ſunt, in quo ſcelere diabolum crudelitate peruicerunt, qui hoc in Iob viri ſancti carne non fecit, quam in poteſtatem acceperat affligẽdam, &c. An non, queſo, iſtud eſt Caini vias ingredi, & barbaros mores planè imitari? *Epiſt. 122.*

De crudelitate Antichriſti, & Hugnoſticorum eidem vias parantium ſatis mihi diſſeruiſſe videor, Commentarijs Epiſtolæ ad Philemonem, Digreſſione, de Antichriſti aduentu & crudelitate. Tantum adijcio, Lutheranos Lutherum ſuum Cainico, id eſt, crudeli, immani, & ſanguinario fuiſſe prædituum animo, non poſſe iuſicias, cùm in Cõlloquijs eius referunt illum dicere ſolitum: *Si loco Landtgrauij Haſſiæ eſſem, aut perirem, aut ipſos Papiſtas* perde- *Tom. 1. pag. 44.*

Pag. 219. *perderem.* Et rursum: *Si ad manus peruenerit meas ad baptizandum Iudæus, ego illum quam primùm post Baptismum ducam in pontem Albis fluminis, & suspensa illi mola asinaria, præcipitem dabo in fluuium.* An non hoc est Caini via pergere, potius quàm Abelis? Quid verò Zuinglius? An nō eius ciuilis inter Heluetios belli author fuit, in quo ad quinq; millia Tigurinorum, & in his idem Zuinglius gladio sanguinem fundens humanū, miserè perierunt? Caluini feros, vindictæ cupidissimos, ac cruentissimos spiritus satis describit in eius vita Bolsecus. Beza Hugnosticorum alter primipilus cū affeclis plurima, eademq; funestissima bella in Gallijs excitauit: in quibus & ipse cū aliquot alijs eiusdē farinæ ministris ac satellitibus ferro, fistuliq; decertauit. Profectò tanta fuit superioribus annis in Gallijs, Belgio, & Anglia Caluinianorū in pios omnes immanitas atq; sęuitia, vt etiā Ioan. Schutz Lutherani testimonio, Turca maiorem exercere non potuerit.

Quarta postremaq; *via Caini* fuit horrenda desperatio, qua diuinam bonitatem ac misericordiam blasphemans ait: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*: & hanc sequuta violenta mors. Hanc quoque viam ingressus Simon magus desperans & blasphemās interijt, quādo relictus à dæmonibus, qui eum in sublime ferebant, miserè cecidit deorsum, & confractis cruribus, infelicem animam exhalauit. Montanus & ipse hæresiarcha, vnà cū meretriculis suis Prisicilla & Maximilla, spontaneo suspendio initar Iudæ proditoris, finem

Gen. 4.

Epipha. con hæres. 21.

Euseb. lib. 5. hist. cap. 16. Russin. Nicephor.

viuendi

viuendi fecerunt. Arius post varias in Filium Dei blasphemias, in latrinis crepuit medius. Nestorius lingua, qua sanctissimam Deiparam virginem contumelijs affecerat, à vermibus prius corrosa, vt Dathan Core & Abiron viuus à terra absorptus est. Eunomius lepra confectus obijt. Manes à Persis viuens corpore excoriatus, animo ad inferos cum Caino descendit. *Cyrill ca. the. 6.*

Et vt de nouissimis Caianis aliquid dicam, manifestum est Martinum Lutherum, ebriũ, & cum monacha incestis nuptijs copulatum, id est, apostatam cum apostata carni seruientẽ obijsse. Certè Henricus Petrus familiaris eius, refert in Colloquijs, eum decumbẽtem dixisse Principi Anhaltinæ ipsum visenti: *Aut spiritu aut corpore semper langueo, alternis vicibus. Iam in corpore meo viginti fermè habeo vlcera.* En diuinæ vltionis in eum flagella: audi & impietatem animi eius. *Vtinam* (illicò subiecit) *vt Archiepiscopus Moguntinus mea haberet vlcera, &c.* De Zuinglio autem iam tum mortuo ait: *Optarem Zuinglium saluarī esse, sed vereor diuersum esse.* Et rursum: *Zuinglius tanquam latro mortuus est, quia voluit alios adigere ad suum errorem, & propter hanc causam in bellum profectus interfectus est. Deus est iustus iudex, eiusq; iudicium rectum, qui blasphemos & contemptores verbi sui nō sinit impunitos: sed miserè pereunt.* Enimuerò Zuinglium inter arma ciuilia, quibus Heluetios suos commiserat (vt gladiatorem decebat) conflat cecidisse. *To. 1. fol. 150.* *fol. 64.* *To. 2 fo. 34.*

Oecolampadius, vt testificantur etiam Lutheranæ Theologiæ professores, ignitis Satanæ telis ad latus mulierculæ (quam contemptis solennibus votis, duxerat) confossus est. Caluinus 7. lethalibus morbis (vel Beza teste) id est, cunctis iræ diuinæ flagellis percussus, ex hac vita migrauit. Duo Hugnosticarum hæreseon ministri, in prouincia Normaniæ, non ita pridem furijs cacodæmonum acti, laqueis & manibus spontaneis de infelici arbore suspensi ad modum Iudæ Iscariothis mortui sunt. Nouimus quoq; plurimos satellites ac duces eorum, post varias hominum Catholicorum cædes, post rapinas & sacrilegia, post effractas venerabiles sanctorum imagines, post incensa Dei templa, mente captos, rabidos, & blasphemantes hoc tempore occubuisse.

Lib. 2. Theologiæ Caluin. art. 9.

Ad id etiam pertinet, quod Schlusselburgius Lutheranus, non solùm Carlostadium, Stoisselium, Strigelium, & plurimos alios in superiori Germania Sacramentarios, cum horrendis gemitibus & desperatione malignas animas exhalasse, publicatis Scriptis memoriæ mandauit. In Palatinatus oppido Eppingen, (inquit) Thomas Pistorius primus Sacramentariorum blasphemam opinionem propagare studens, in horribilem desperationem incidit, & ingenti clamore has voces edens, *Ego sum diaboli corpore & anima*, infelicem animam emisit. Nō minus tragicus & horribilis exitus vitæ cuiusdam ciuis Augustani I.G. fuit. Hic sexagesimum ætatis annum egressus, Cinglianorum antesignanus factus, tandem cū extrema desperatione ad quatriduum integrū con-

flictatus,

flictatus, intempesta nocte, ex lecto se proripiens, cultrum arripit, atque eum in iugulum ipse sibi adigit, vulnus magnum & lethale sibi infligit, & blasphemam animam cum magno sanguinis profluuio euomuit. Claudit verò orationem suam his verbis: Hæc & similia de tragico Sacramentariorum interitu, ideò nostri recitant, vt omnes horribilia & iusta Dei iudicia aduersus eos agnoscant: & præsertim erga eos, qui post agnitam veritatem, ad rationis suæ iudicium se abduci patiuntur, vt huic magis, quàm verbis testamenti Christi fidem adhibeant. Atque vt illi calculum quoq; nostrum adijciamus, constat hos omnes, damnabili ab Ecclesia facto schismate præcisos, omnes excommunicatos, omnes sine vera pœnitentia & absolutione peccatorum, omnes sine corporis & sanguinis Christi viatico; omnes innumerabilium errorum, blasphemiarumque reos, huic vitæ finem imponentes ad districtum Dei tribunal abripi. Ecquid igitur est viam impij, fratricidæ, hypocritæ, ac desperantis Caini ingredi, studia imitari, ac cum eo perire, si istud non fuerit? Atq; hæc de primo veteri exemplo.

Secundum est, *& errore Balaam mercede effusi sunt*, id est, vt Balaam proposita sibi temporali mercede huius amore deceptus est: sic & isti turpis lucri gratia, non solùm piam & Apostolicam doctrinam adulterant; sed & multa probra in eam effundere sunt parati. Vult ergo dicere beatus Apostolus: Ter quaterque miseri atque perditi homines, qui non tãtùm vt Cain omnem Dei metum, fraternamq; charitatem abijciunt;

abijciunt; sed & instar Balaami hominis magi, auari, atque maledici, cum malignis spiritibus ineunt consilia. Deinde, ad acquirēdas & coaceruandas huius sæculi diuitias incumbunt auariſſimè: quando illarum studio ac desiderio non modò parati sunt veram fidem deserere, ac impugnare; sed etiā his maledicere, quibus Deus Pater propter Filij sui gratiā effusiſſimè benedixit. Oblatis sibi huius sæculi honorib⁹, dignitatibus, opibus, pro his cum hostibus religionis Catholicæ dextras iungunt, dicunt, consulunt quæcunque aduersus populum fidelem, quē Christus acquisiuit sanguine suo. Instar etenim aquæ effluentis proiecta est istorū seductorum intēperies, &c. Historia Balaam repetenda est ex libr. Numerorum.

Num. 22. 23. et 24.

Cæterùm, tria præsertim sunt hoc loco ex eâdem notanda, quæ tam veteribus quàm nouis Gnosticis apprimè conueniunt. Primum est, Balaamum fuisse insignē Philosophū, astrologum, magum; ac vnius veri Dei cognitione (quam Abrahā, Isaac & Iacob quondā in Mesopotamia commorantes seminauerāt) imbutum: verùm curiositate & auaritia ductum, artibus magicis, diuinationibus, alijsque diabolicis fraudibus tandem se dedidisse. Augustinus etenim scribit eum, arte magica famosiſſimum, & in carminibus noxijs præpotentem, potestatem non habuisse ad benedicendum, sed tantùm ad maledicendum: eo quòd dæmones quos consulebat, ad maledicendum & nocendum tantùm inuocentur, non ad benedicēdum. Adijcit, illū plurima prius artis suæ experimenta in Oriente dedisse, ac frequenter hostem

Serm. 103. de temp.

ſtem armatum maledictis ſuis vertiſſe in fugam: aliàs Rex Balac non plus fidiſſet ei, quàm armatis militibus ſuis. In hoc porrò laudabilem, quòd de Chriſto prophetauit, & populo Iſraeli benedixit: vituperabilē autē, cùm aras ędificauit & victimas impoſuit dęmonijs, quos conſulebat: & conſuluit vt populus per mulieres deciperetur. Hæc ille.

Huius autem erroribus ac ſtudijs imbutos fuiſſe priores Gnoſticos, quos hîc coarguit beatus Iudas, vel ex horum parente Simone mago cunctis eſt manifeſtum. Hic enim gentem Samaritanorum adeò dementauerat magicis artibus, vt eum reputarent *Virtutem Dei magnam.* Irenæus Martyr ſcribit diſcipulum eius nomine Marcum, etiam magiæ fuiſſe peritiſſimum: & dæmonem paredrum, id eſt, aſſeſſorē ſemper ſecum habuiſſe. Menandrum quoque ad ſummum artis magicæ deueniſſe. Item de Baſilidis ſectatoribus, vtuntur, inquit, & hi magia, & incantationibus, & inuocationibus dęmonum. Denique de Carpocratianis: Artes, inquit, magicas operantur & ipſi, & incantationes. Quæ omnia etiam ſuis teſtimonijs ac ſcriptis confirmant Tertullianus in præſcript. Epiphanius aduerſus Gnoſticos, & Theodoretus libris hæreticarum fabularum: adeò certū eſt atq; exploratum, eos deceptione mercędis, qua deceptus fuit Balaam, effuſos fuiſſe.

Act. 8.

Lib. 1. ca. 8. 9. 21. 22. 23. & 24.

Verùm, quid his ſimile habent Lutherani & caluiniani Hugnoſtici? Reſpondeo, licet magicas artes nondum (quod ſciam) publicè doceant vel exerceant; nihilominus ab his valdè timendum eſt, quoniam plurima dicunt & faciunt,

faciunt, quæ ad illas viam parant & muniunt. Nam VValdenſes manifeſtos ſortilegos tanquam fratres, ac eiuſdem ſecum religionis participes laudant & fouent. Deinde, de medio tollunt omnia media, quibus vincuntur & procul abiguntur dæmones, vt ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, conſignationem viuificæ crucis, nominis IESV ac MARIAE piam inuocationem, aquæ benedictę aſperſionem, Sanctorum venerandas reliquias; ſalem, panem, candelas benedictas, cæteraſque religioſas & Chriſtianas res; quæ per ſanctiſſimæ Trinitatis inuocationem non minus efficaces ſunt aduerſus dæmonum vim; quàm vel Pauli linteamina, vel ſonus Dauidicæ citharæ, vel fumus cordis cuiuſdã piſcis, quibus cacodęmonũ furores repreſſos fuiſſe ſacrę literę teſtantur.

Aug. 22. ciu. c. 8. Tertull. Libr. præſcr. &c.

Act. 19. 1. Reg. 13. Tob. 6.

Præterea, Primi nouiſſimarum ſectarum duces ac magiſtri de inita inter ſe & Satanam familiaritate, aliorumque immundorum ſpirituum colloquijs ac impulſionibus palam gloriantur. Lutherus namque adfirmat ſe pluſquã vnum ſalis modium cum Satana comediſſe, ab eodemq; argumenta didiciſſe, quibus Miſſæ ſacrificium oppugnaret. Zuinglius Sacramentariorum primipilus iactat edoctum ſe fuiſſe noctu à quodam ſpiritu, albus an ater eſſet, neſcit, quomodo deprauaret verba, quibus conſecratur corpus Chriſti: nimirũ interpretando *eſt*, per longè aliud & cõtrariè ſignificationis verbum, *ſignificat* Ad hæc, Caluinus fatetur ſe à genio quodam impulſum, vt ſiue concionaretur, ſiue ſcriberet, ſemper malediceret atque conuitiaretur.

Lib de Miſſa angulari.

Li de ſupplemento Euchariſtiæ.

Epiſt. ad Bucerum.

Denique

Denique, etiam omnibus historijs compertum est, hæreticos semper fuisse præcursores magorum: & post admissas hæreses, artes quoque magicas inter homines introductas. Enimuerò post Priscillianistas & Arianos in Hispania, sequuta est ars Toledi. Hussitis & VValdẽsibus in Bohemia & finibus Allobrogum, continuò successerunt magi plurimi. Et à triginta annis, quibus palã in Gallijs, & in tractu Rheni annunciatus est Caluinismus, plus magorũ & magarum emersit, quàm retro actis mille & quadringentis annis auditum fuit.

Secundò notandum tam ex Balaami historia, quàm ex hoc beati Iudæ loco, prodigiosam auaritiam, ac insatiabilem diuitiarum inter homines sitim, esse fontem causamque innumerabilium scelerum tam cõtra Deum, quàm aduersus proximos. Hac enim sola impulsus Balaam, etiam contradicente Deo, prohibente Angelo, reclamante etiam per miraculum asina; conatus est diuino populo maledicere: & cùm id non posset, perniciosissimis consilijs in eius ruinam conspirauit. Grauis morbus est auaritia, ait Chrysostomus, qui & oculos cæcat, & aures obstruit, & fera sæuiores reddit. *Hom. 64. in Ioan.* Non conscientiam, non amicitiam, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere finit. Hic morbus Giezi lepra perfudit, hic Ananiam & Saphiram perdidit, hic Iudæorum Principes corrupit, hic ex Apostolo apostatam fecit, hic innumerabilia bella indixit, vias sanguine, fletibus & lamentis ciuitates impleuit. Hic mensas sceleratas reddidit, & cibos iniquitate aspersit. Ideò idololatriam eũ appel- *4. Reg. 5. Act. 5. Ioan. 11. Matth. 26.*

Ephe. 5. Coloss. 3. appellauit Apostolus, &cæt. Hactenus ille de morbo auaritiæ, quo infectus & deprauatus fuit Balaam.

Eodem autem laborasse Simonem, Valentinum, & reliquos veteres Gnosticos testatur auditor Apostolorum Ignatius Martyr, eos appellans, Alienorum appetitores, pecuniarum rapaces & quasi vortices. Subscribit Irenæus & ipse Martyr, adfirmans eosdem non omnibus passim sua communicasse mysteria: sed illis solis, qui grãdes mercedes pro his præstare poterant. Optacus, Augustinus, Victor Vticensis vehementer conqueruntur de furtis, rapinis, sacrilegijs, inuasionibus, & prædationibus Donatistarum & Arianorum. Quibus penitus pares, aut etiam longè peiores exercuerunt hoc nostro tempore in Gallijs, Anglia, Scotia, Hibernia, Belgio Caluiniani: His comprobantes se se vt Balaam, iniquæ mercedis, rapinarũ, sacrilegiorum, ac pecuniæ amore in omne scelus effusos esse.

Epist. 3.

Lib. 1. ca. 1.

Balaami rursum errore ducuntur Magistratus, qui pretio vel mercede corrupti sacras præfecturas aut vendunt, vt profanus Esau: aut comparant, vt Simon tentauit: aut verum iudicium & æquitatem vænalem proponunt, vt Iudas proditor Dominum nostrum: aut denique mala dant consilia in damnum ac interitum proximorum, vt Balaam. Hoc enim peccatum vt grauissimum districtè prohibetur & damnatur à Domino dicente: *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes: & subuertunt verba iustorum.* Et iterum: *Maledic-*

Exod. 23.

Deut. 27.

tus

Vae qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis. Iterumque: *Maledictus qui iustificat impium pro muneribus.* Isai. 5.

Tertiò notandum, Balaam fuisse virum ad maledicendum promptissimum, & assuetum ad conuitia, vt ex historia eius cunctis est manifestum. Hos autem mores sibi ad imitandũ proposuisse, tam veteres quàm nouos Gnosticos clarius est, quàm vt prolixis testimonijs aut assertionibus indigeat: cùm nullum sit cõuitiorum genus, quod non etiam in Christum Dominum nostrum effuderint. Accusarunt namque illum Caluiniani præsertim, nostræ communis ignorantiæ, impiæ desperationis, quodq; omnes prorsus damnatorum & desperatorum pœnas pertulerit, vnica duntaxat excepta æternitate. Nec beatis Angelis pepercerunt, dicentes eos non sine peccatis etiam mortalibus, Deo quotidie deseruire. Neque ab Apostolis abstinuerunt, accusantes beatum Ioannem idololatriæ, Paulum libertinismi; Petrum hypocriseos, Iacobum corruptæ libertatis Euangelicæ, &c. Crudelissimè verò omniũ in veteres sanctosq; Patres debacchãtur, damnantes illos, quod verum Euangelium ac verbum Dei nec agnouerint nec prædicauerint: blasphemant & cunctos maiores nostros, tanquam superstitiosos, excæcatos, idololatras, Antichristi membra, &c. Conuitia probraque illorum in quosdam Sanctos ac electos Dei recitauimus Præfatione in Hildephonsum, Appendice aduersus hæreses, & proëmio Dialogorum.

Vnius tantùm Lutheri in quosdam Sanctos scommata & maledicta, libet ex Ioanne Auri. fabro eius discipulo & commensali recitare,

Lib. de colloquijs mensalibus Martini Lutheri.

Dicere, inquit ille, *Lutherus solebat: Hieronymus veræ religionis ne semel quidem in suis scriptis meminit. Origen. iam olim excõmunicauit. Chrysost. nullo loco habeo, nihil est enim nisi loquaculus. Basilius planè nihil valet, totus est Monachus. Apolog. Melancth. superat omnes doctores Ecclesiæ, & ipsum Augustin. etc.* Idem rursum præ rabie ac furore exclamat in Hier. *Quinte Hieronym. conculcamus, cum tua Bethlehem, cucullo & deserto, &c.* Et Hericus Petrus, alter colloquiorum illus collector, refert eundem sæpe dixisse: *Chrysostomus nihil ferè syncerè scribit: Hieronymus nihil præter suas deuotiones tractat. Dionysius multa garrit de nominibus diuinis, de cæleſti & Ecclesiastica hierarchia: sed sunt meræ commenta: nec fuit Pauli discipulus.* Et Tom. 2. rursum illũ dixisse scribit: *Ambr. & Basil. sunt frigidi: Greg. Nazian. in suis poëſi nihil syncerè de Deo scripsit.* Et rursum: *Chrysostomus seditiosus videtur. Hieronym. nihil boni scripsit, nec ego censeo eum numerãdum inter Doctores Ecclesiæ, quia fuit hæreticus. Nullum inter scriptores ita odi vt ipsum, quia tantùm de ieiunio, de delectu ciborũ & de virginitate scripsit. Si hoc seculo viueret, nos planè damnaret.* Hactenus de Lutheri aduersus Sanctos maledictis. Obiecro, quid est, initar Balaam maledicere populo Dei aut post Goliathen exprobrare agminibus Dei viuentis:

Comment. in ca. 22. Gen.

To. 1. fol. 20.

Fol. 187.

Fol. 199.

Fol. 136. 137. & 139.

1. Reg. 17.

uentis: aut aperire os suum in cælum ad blasphemandũ tabernaculum Dei, & qui habitant in eo, vt factura dicitur bestia Apocalyptica, id est, Antichristꝰ, si istud nõ fuerit? Sequitur: *Apoc. 13.*

Et in contradictione Core perierunt.

Hoc est tertium vetus exemplum, quo Apostolus damnat ambitionem, perduellionem, & schismaticam separationem, quibus Seductores à Deo constitutum primæ Ecclesiæ statũ & ordinẽ turbabãt; sicut olim Synagogæ Dathan Core & Abiron ordinem miscuerant & confuderant. Hi enim ambitu inflati diuinũ sacerdotiũ ad se rapere tentauerũt, & superbia proteruiaq; turgidi, Mosi & Aaroni summis Synagogæ rectoribus obaudire detrectantes, insuper, affectatę in populũ dominationis ac tyrãnidis reum accusantes, in hanc secũ cõspiratiõnẽ ducentos, & quinquaginta viros nobiles, ac multitudinis proceres initio pertraxerũt. Hinc grauissima in castris excitata est plebis seditio, illis huic parti, istis alteri impensè fauentibus. Verùm, Deo Ecclesiam suam administrante, & sanctorum suorum iniurias vlciscente, omnes schismatici cum vxoribus, liberis, tabernaculis, & vniuersa substantia, horribili motu terræ sub pedibus eorũ dehiscentis absorpti descenderunt in infernum viuentes. *Num. 16. & 27. Deut 11. Psalm. 105.*

Hoc autem memorabili ac terribili exemplo, voluit Deus cunctis mortalibus patefacere, quàm immane peccatum sit ambitio, sacrilega sacerdotij vsurpatio, rebellio aduersus Ecclesiæ pastores, atque vnitatis eius infelix diuisio: vt ab istiusmodi sceleribus prorsus abstineamus. Quocirca rectè & piè scripsit Irenæus

Lib.4.cā.43. næus martyr: Qui exurgunt contra veritatem, & alteros adhortātur aduersus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos voragine terræ absorpti, quemadmodum Core Dathan & Abiron. Et Cyprianus quoque martyr: Pœnas sacrilegæ audaciæ statim persoluerunt, vt probaretur Sacerdotes Dei ab eo qui sacerdotes facit vindicari. Optatus Mileuitanus ex hoc probat, Schisma esse peccatum omnium grauissimum, quoniam omnium terribilissimo & maximo supplicio vindicatū est. Ait enim. Quos in sacrilegos Niniuitas, & parricidam Cain Deus non fecerat, in schismaticos fecit. Negatum & subductum est illis pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa, quæ veniam mereretur. Mandata est terræ fames, statim fauces suas in populi diuisores aperuit, & contemptores mandatorum Dei auido ore absorbuit. Intra momenti spatium ad transglutiendum illos terra patuit, rapuit, clausa est. Et venerabilis Beda inquit: Contradictione Core pereūt, quicunque indebiti primatus amore sese ab vnitate Ecclesiæ secernunt. Core superbiens temelatio insanabilem perdidit: sic faciunt hæretici, qui ad increpationem Ecclesiæ emendari despiciunt, & contra doctores Catholicos se erigunt.

Epist.ad Rogatianum.

Lib.1.contra Parmen.

Com.in hunc locum.

Apostolus itaque sui sæculi, imò omnium ætatum hæresiarchas & schismaticos comparat cū Core & asseclis, quippe qui sua secessione ab obedientia debita summis Sacerdotibus Ecclesiæ, illius ordinem perturbant, & populū Dei in varias factiones sectasque distrahunt, ad suam ipsorumque perditionem. Ita defece-

runt

runt ab Apostolorum consortio Simon, Ebion, Nicolaus, Cerinthus: & ab horum successoribus Valentinus, Marcion, Tatianus, alijque veteris Ecclesiæ perturbatores: de quibus Ioannes ait: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum, &c.* Ita & hoc sæculo miserabili facto schismate primò in Germania, deinde in multis Europæ prouincijs, Lutherani, Sacramentarij, Anabaptistæ, Trinitarij, noui Ariani, & Libertini ab Obedientia sedis Apostolicæ recedentes; suas sibi conciones, cæremonias, & Sacramentorũ præposteras administrationes confinxerunt: Insuper, & veteres Simonis, Marcionis, Manichæi, Nestorij, Vigilantij, Aerij Iouiniani, Berengarij hæreses pro viribus instaurantes; tot nouas eisdem blasphemias aduersus Christum, Matrem eius, Angelos, Apostolos, Ecclesiæ sacramenta, sanctosque omnes addiderunt, vt singulas enumerare sit perdifficile. Nec enim schismaticos se esse negare vnquam poterunt, quoniam ab Ecclesia & vnitate Catholica ipsi defecerunt: non pars Catholica ab ipsis. Huiusmodi enim secessionem esse matrem omnium schismatum ac hæresum, his verbis docet martyr Cyprianus: Neq; aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, nisi quia Sacerdoti (B. Petro succedenti) non obtemperatur: sed sentient aliquando à quibus discesserint, quando ad exemplum Coritarum meritas penderint apostasiæ suæ pœnas. Imò verò iam eos Deus plectit, vt cerra, id est, terrena sint conuersatione, atque voluptatibus ventris, & eorum quæ sub ven-

1. Ioan. 2.

Epist. 2. & 3. ad Cornelium.

tre sunt, adeò demersi, vt viuentes in his inferis sepulti videantur. De eisdem enim sequitur:

12. *Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur: arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.*

QVoniam præcipuus istius Epistolij scopus est, monere Christianos, vt sibi cauerent à Seductoribus & hæresiarchis, qui tum magna frequentia & impudentia in omnem locum seipsos ingerebant, vt doctrinam Apostolicam deprauarent, & corruptis morum exemplis omnia inter illos labefactarent: nunc pleniſſimam & absolutiſſimam illorum descriptionem Apostolus instituit, vt à cunctis cogniti & deprehensi, ab omnibus deuitarentur. Et superius quidem illos depinxit exemplis: nunc eosdem pingit familiarium similitudinũ euidentiſſimo viuaciſſimoq; colore, vt deinceps ab indoctis doctiſque exclusi, nullos præterea seducere valerent. Sensus autem verborum est. Iam monui vos cariſſimi, vt constanter certaretis pro vera fide ac religione semel susceptа retinenda, & bonis operibus exornanda, aduersus omnes illius corruptores & hostes. At quoniam hi velut serpentes, ac callidæ vulpeculæ subrepunt; magna fraude, vt proditores solent, sese initio insinuant; & licet lupi reuera sint, vestimenta tamen præ se ferunt ouium, vt vobis incautis imponant: nunc operæpretium duxi aperire vobis

vobis primò loca vbi potissimum appareant; deinde, notas, quibus illos facilè deprehendetis, vt veluti species arborum ex suis fructibus, sic istos ex operibus cognoscatis, & explodatis.

Primò itaq; ardeliones isti nõ solùm in agris, in siluis, in cõpitis itinerũ, in plateis vrbium, in popinis inueniuntur; sed etiam in templis & locis sacris, in fraternis & religiosis conuiuijs, quæ more Christiano in diebus sacræ communionis corporis & sanguinis Domini pauperibus ac egenis præparatis. Græcè legitur, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, ad verbum, *in caritatibus vestris*. Has porrò Caritates, Agapas seu fraterna conuiuia primæ Ecclesiæ, his eleganter describit vir eius ætatis Tertullianus: Cœna nostra de nomine rationem ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque hoc refrigerio iuuamus. Hoc conuiuium nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudori est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse. Ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & luminaria, vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium canere Deo. Oratio conuiuium dirimit, &c. Eiusdem rursum conuiuij meminit Libro ad martyres. Hoc caritatis genus Deo gratum

Apologet. cap. 39.

gratum & acceptum esse, multis scripturarum testimonijs confirmat Cyprianus. Meminit etiam Hieronymus Epistola ad Eustochium. Sed his omnibus antiquior Clemens Romanus refert ex Constitutionibus Apostolorum, hũc ordinem in illo Ecclesiastico conuiuio seruatum fuisse, vt primum obsonium Ecclesiæ Pastori sepositum esset, deinde Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, Cantoribus, Ostiarijs, viduis suum cuique cibum exhibitum. Dehinc rationem habitam fuisse cæterorum omnium, qui aderant. Atque hocce est illud conuiuium de quo Paulus quorũdam dissolutos mores coarguens scribit: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est cœnam Dominicam manducare. Vnus enim esurit, alius autem ebrius est, &c.*

Libr. 3. ad Quirin. c. 3.
Lib. 2. ca. 32.
1. Cor. 11.

Seductores porrò illi hæresiarchæ vt Simon, Nicolaus, Ebion, horumque sectatores, &c. in ipsa piorum Christianorum conuiuia, etiam nõ vocati, impudenter irruebãt; mensas ebrietatibus & vomitibus maculabant; inter pocula varijs disputationibus & blasphemijs omnes fatigabant; denique gestibus & aspectibus lasciuis, ac impudicis verbis pios offendentes, omnem Ecclesiasticum ordinem perturbabant. De ijsdem etenim Petrus quoque dicit: *In conuiuijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habent plenos adulterij, & incessabilis delicti.* Quomodo enim puri esse potuissent animi & oculi, aut casta colloquia Simonianorum, Nicolaitarum, aliorumque Gnosticorum docentium fœminas debere esse communes, promiscuosque concubitus? Sed de veterum recentium-

2. Pet. 2.

centiumque Gnosticorum impuritate & lasciuia superius diximus.

Tantùm hæc de vnius Martini Lutheri impudicis colloquijs, lasciuoque animo atque corpore, ex proprijs eius discipulis collecta aceuulgata adijcere liceat. Semel inter suos irridens, quod in sacro Tobiæ libro dicitur, Sponsum & sponsam tribus prioribus noctibus continuisse, subiecit: *In inferiori Germania, fertur sponsus separari, & Beguinas illi custodes addi, Sponsus quidam ad lectum veniens, cum Beguina congressus est. Illa post se excusauit, dicens se tacuisse, quia iuxta regulam suam, post Completorium nemo loquatur.* Colloq. Lutheri tom. 1. fol. 230. & 231. Suos deinde conuiuas exhilarabat, *quædam recitans de priapo cuiusdam, qui sine femoralibus iuisset ad balnea: & alterius qui illo eminente in mensa sedebat:* adeò impudicis colloquijs, ex abundantia cordis ore loquente, delectabatur. Gloriatus quoque cùm malefeciisset, & exultans in rebus pessimis aiebat: *In vxorem duxi virginem monialem, quis mihi ex astris hoc prædixisset? In seditione rusticorum 12. Iunij, vxorem duxi: 7. Iunij primogenitus meus Ioannes procreatus est: 27. Anno Elizabetha: 29. Magdalena: 31. Martinus: 33. Paulus: 34. Margaretha.* Tom. 2. fol. 18. 118. Et furtiuas veneres suas prædicans ait: *Nisi ego clam celebrassem nuptias, omnes impedissent: quia omnes clamabant, Non hanc, sed aliam.* Fol. 152. Quàm etiam lasciuo ante fuisset animo his verbis exponit: *Cælebs olim, hoc apud me concluseram, vt si mihi insperato moriendum fuisset, vel etiam in lecto mortis, mihi puella desponsanda adhiberetur: cui in testimonium duos cyphos dicare vellem.* Fol. 160. Denique etiam turpissima lenocinia, adulteria, vagasq; libidines sibi perplacuisse his verbis significat: *Mallem me lenonem fuisse, aut prædonem,* Fol. 120.

quàm quod Christum 15. annis in Missis sacrificaui. Hæc ille in mensalibus colloquijs: quibus se suosque à Diuo Iudâ denotatos fuisse satis comprobat, cùm de Seductoribus ait: *In conuiuijs suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij, &c.*

Cęterùm, ex hoc beati Iudæ loco, moreq; primorum christianorũ plurima sunt obseruanda, quæ ad piorum institutionem pertinent. Primò quanta fuerit priscorum in Christo credentium caritas, quando diebus sanctæ Communionionis, sacris absolutis, mensam omnibus parabant, eidemque vnà cum pauperibus recumbentes, illos suis opibus & cibis recreabant & fouebant. Ita nec Christus omnipotentis Dei coæternus & consubstantialis Filius, est dedignatus cum rusticis, idiotis & piscatoribus Apostolis suis, & ante, & post resurrectionem suam recumbere. Vbi verò nunc in diuitibus & nobilibus huius sæculi tanta caritas vel humanitas?

Ioan. 13. Matth. 26. Luc. 22. Marc. 16. Ioan. 21. Act. 4.

Secundò, qualia debent esse Christianorum conuiuia, videlicet temperata, sobria, casta, cuiusmodi etiam fuerunt quondam Melchisedec, Abrahæ, Ioseph, Tobiæ, Lazari, Simonis, Matthæi, Zachæi, & Christi Domini nostri. Contraria sunt dãnabilia & pernicioſa, vt Absalonis, Holofernis, Balthasaris, Herodis, &c.

Tertiò, ad honesta aliorum conuiuia non esse audacter irruendum aut properandum, nisi voceris. Enimuerò Christus expectauit vt inuitaretur ad nuptias in Cana Galileæ. Nec vnquã accessisse dicitur in domos Phariſæorũ comedere panem, nisi ab eis vocatus fuisset.

Matth. 22. Luc. 7. & 14.

Quartò, in conuiuijs nunquã esse vacandum nimijs

nimijs compotationibus, vel ebrietatibus: nec (vt fit alicubi) alios importunè compellendos esse vt bibant ac inebrientur. Istud enim exemplo suo etiam ethnici turpitudinis coarguunt, quando in conuiuio Assueri regis Persarũ, nullus esset qui cogeret ad bibẽdum. Execrabilis delicti causam subministrauerunt filiæ Lot, cùm patrem suum præ ebrietate rationis expertem reddiderunt. Et Paulus adfirmat ebriosos non esse possessuros regnum cælorũ. *Esther. 1.* *Gen. 19.* *1. Cor. 6.*

Quintò, hæreticos vt in pluribus esse gulosos, parasitos, ventríque deditos, vt copiosissimè docet Hieronymus libris contra Iouinianum. Hinc oderunt ieiunia; damnãt abstinentias à vino & carnibus, diebus, atque causis ab Ecclesia præscriptis; quadragesimalem obseruationem procul repellunt: adeo vt idem Hieronymus rectè alibi scripserit: Omnis hæresis propter gulam ventremque construitur. Augustinus quoq; Donatistas reprehendit, quòd greges ebrios sanctimonialium suarum, cum gregibus ebrijs Circuncellionum (militarem vitam isti viuebant) diu noctuque permixtos vagari turpiter sinerent. *Com in c. 3. Ieremiæ.* *Lib 2 contra Epist. Parm. cap. 9.*

Quicquid autem de nouissimis alijs hæresiarchis fuerit, constat profectò Martinum Lutherum eorum omnium parentẽ, insignem potatorem, ac hominẽ gulæ deditũ extitisse, siquidem vera de illo scripsit discipulus & cõmensalis eius Henricus Petrus Rebenstock, duobus Libris, quibus nomẽ dedit, *Colloquia, Meditationes, consolationes, narrationes, &c. D. Martini Lutheri.* Nã in eorũ priore scribit Martinũ Lutherũ de seipso & cõpotatorib. dixisse: *Nos Germani ingergi-* *Franckfort 1571.* *Fol 109.*

tamus

tamus nos potando ad paupertatem, mortem, & infernum vsq;. Addebat & istos Authore suo dignos versus:

Si vino te impleueris, dormire statim poteris.
Et post somnum, ventriculum vino implere iterum.
Nam Alexandri regula præscribit hæc remedia.

Fol.14. Et libro posteriore adijcit ista rursum Lutheri verba: *Iacobus concionator Bremensis in die Palmarum inter alia fercula, mihi gallinam parauit dicens: Si docemus, quare non facimus? Tandem deposui habitum. Ego enim nisi cucullam exuissem, carnem manducassem, & vxorem duxissem, Papistæ meam doctrinam quasi non*
Fol.149. *veram calumniati essent.* Et postea eiusdem rursum verba subijcit: *Ego Martinus Luther. vix vllam consolationẽ ex morte et resurrectione Christi capere possum: bonis autem corporalibus vt edere & bibere, optimè possum.* Habes igitur hominem hæreticum propria confessione ebrietatibus, ingurgitationibus, gulæ ventri, atque his quæ sub ventre sunt, deditissimum, & intemperatissimum. Vnde factum est, vt conspecta librorum eius initijs affixa, egregiè obesa, & præpingui eiusdem Lutheri imagine, bellè, profectò ac festiuè poëta quidam Catholicus his verbis in eam luserit.

Tali Bacchus erat, tali Gargantua vultu.
Tale triplex mentum Pantagruelis erat.

Sextò, constat istiusmodi seductores ad sera pere, deuorare, & in vsus suos cõuertere ea bo
Ioan.13. na, quæ vsibus pauperum consecrata, & destinata fuerant. Sic Iudas hæreticorum & apostatarum antesignanus, eleemosynas Christo & Apostolis eius collatas, magna ex parte retinebat, furabatur: inde sibi prædia in futurum tem-

tempus comparans, vt ex Papia colligit Oecumenius. Viderint & alij, qui ex redditibus Ecclesiasticis sibi parentibusque castra construunt, dignitates sæculi comparant, pauperibus interim neglectis. *In act. cap. 1.*

Septimò, tam miseram esse Ecclesiæ militantis sortem, vt etiam proditores ac hostes suos, vt serpentes in sinu; id est, cœtibus & pijs conuiuijs frequenter complectatur & foueat. Ita paleæ, zizaniaque germinant, aluntur, crescunt, metunturque, in medio tritici: & vnà cum mundis ac innocuis ouibus immundissimi hædi in pascuis comperiuntur. De hoc ne quisquam offendatur vel deficiat, scribit Tertullianus: De oliuæ nucleo exoritur oleaster: & de papauere fici suauissimæ, ventosa & vana caprificus exurgit. Nicolaus de septem Diaconis, & Iudas de numero duodecim Apostolorum fuit, &c. *Mat. 13. et 25.* *Lib. præscri.*

Cæterùm, noster Apostolus illustri ordine ac oratione persequitur notas, quibus hæresiarchæ deprehendi possint, vt caueantur. Quarum prima est: *Sunt maculæ*, id est, non tantùm varijs erroribus polluti, & criminibus maculati, sed etiam ipsissimæ sordes, pestes, & maculæ: quibus inficiuntur omnes qui illos admittunt. Existimatis forsan, illos ad ornamentum conuiuiorum vestrorum facere, dum his superueniunt: sed reuera *sunt maculæ*, quibus illa dehonestantur. Putatis esse velut quædam luminaria in cœtibus Ecclesiasticis; at ipsi potius sunt tenebræ & labes, quibus obscuratur & deformatur illorum splendor.

Inde ergo manifestum est valde periculo-

sum

sum ac pernicioſum eſſe pijs Chriſtianis inire conuiuia cum hęreticis, fidei ac religionis ſuę hoſtibus. Quia enim paulò liberiores & ſolutiores ſunt homines, illi inter potandum & colloquendum ſuos errores ſpargunt, & contumelias ſuas contra Sanctos, & Sacramenta Eccleſię audacius euomunt; atque his artibus (vt ait Petrus) *Animas inſtabiles alliciunt.* Et Paulus: *Sermo eorum vt cancer ſerpit.* Item: *Per dulces ſermones, & benedictiones* (id eſt, adulationes,) *ſeducunt corda innocentium.* Ideo Diuina authoritate prohibemur *cum iſtis cibum ſumere*: imò hos diligenter deuitare. De ijſdem quoque impoſtoribus non admittendis grauiſſimum eſt iſtud Ioannis præceptum: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, illum ne receperitis in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dixerit illi aue, communicat eius operibus malignis.* Quaſi dicat: Conuerſatio talium, ſupra leproſorum ac peſte laborantium eſt contagioſa. Et enim ſalutatio parat colloquium, colloquium familiaritatem, familiaritas amicitiam, amicitia fiduciam & conſiliorum communicationē. Hinc oriūtur ſimiles opiniones, pares affectus, communia ſtudia, ſcandala, &c. Hoc eodem conſilio idem Ioannes fugit Cerinthum: & Polycarpus Marcionem, vt teſtatur Irenæus. Et Origenes adoleſcentulus nunquam vel orare, vel edere voluit cum quodam Paulo hæretico, licet ab vna, eademque matrona ſimul, gratiſque educaretur. Tertullianus denique vult legem de non contingēdis leproſis, adumbraſſe quanto ſtudio & diligentia hæreticorum conſortia ſint cunctis fugienda. Addit Beatus Iudas:

2. *Epiſt. c. 2.* 2. *Tim. 2.* *Rom. 16.* 1. *Cor. 5.* 2. *Tim. 3.* *Tit. 3.* 2. *Epiſt.* *Lib. 3. ca. 3.* *Euſe. l. 6. c. 2.* *Lib. 4. adu. Marcion.*

Conuiuantes sine timore.

Secunda nota seductorum, videlicet, quòd carnis curam faciunt in desiderijs suis. Vobis, inquit, carnis concupiscentiam & superbiam edomantibus ieiunijs, abstinentijs, & humicubationibus; illi die noctuque luxuriosis commessationibus & compotationibus indulgent, ventri ac libidini vacant, & sine vllo Dei timore, aut hominum reuerentia, execrandas libidines post sua conuiuia promiscuè exercent. Hunc siquidem locum ita de Carpocratianis præsertim intelligendum esse docet Clemens Alexandrinus. Ad cœnas (inquit) conuenientes viros simul & mulieres, postquàm satietate venerem agitante, exsatiati fuerint, lumine amoto, auersa lucerna, coire quomodo velint, canum, suum, & hircorum libidines imitati. Et post pauca: De his (ait) & similibus existimo Iudam propheticè dixisse in Epistola, &c. Nicetas in Orthodoxia, & Euthymius in Panoplia, eadem propemodum etiam Massalianis & Euchitis tribuunt his verbis: Vesperi quo tempore salutarem Domini passionem celebramus, luminibus accensis puellas in quandam domum deducunt: hinc luminibus restinctis, cum eisdem libidinosè volutantur, in quamcunque siue sororem, siue, propriam filiam quilibet inciderit, & hoc peracto domum dimittuntur. Nouem autem mensium decurso spatio, instanti tempore quo infandi fœtus nascantur, in eundem locum denuò conueniunt, quartoque post partum

Li. 3. Strom. Epiph. contr. hær. 26. et 27

Nicetas. Euthym.

tum die, infelices à matribus infantes depe-
lunt, eorumque carunculis nouacula circum-
scarificatis ac incisis, defluentem sanguinem
phialis recipiunt. Ipsos autem adhuc spiran-
tes in pyram coniectos exurunt. Tum poste-
cineribus & sanguine cibum abominandum
componunt, quo vtentes, & pocula inficien-
tes, communionem se peragere mentiuntur.
Hæc Patres de Gnosticis *conuiuantibus sine timore*
literarum monumentis prodiderunt.

Ex quibus omnes perspiciunt in quantos fu-
rores, flagitiosa & monstrosa scelera impellan-
tur à diabolo homines, qui semel sese ei per hæ-
reses deuouerunt, & sanctæ Ecclesiæ Catholi-
cæ vnitatem atque obedientiam reliquerunt.
Deinde, cernimus quàm necessarius semper sit
Dei timor ac reuerentia siue comedamus, siue
bibamus; quando in tam immania & nefaria
scelera inciderint Seductores isti, eo quod con-
uiuarentur *sine Dei timore*. Enimuerò *qui sine timore*
Eccli. 1. *est, non poterit iustificari.* Econtrariò verò, *per timo-*
Prouerb. 15. *rem Dei declinat omnis à malo. Timor Domini expellit*
Eccli. 4. *peccata.* Tobias, Raguel, Anna, Sara dicuntur cum
Tob. 6. timore Domini nuptiarum suarum conuiuia
celebrasse. Sequitur:

Semetipsos pascentes.

Tertia est seductorum nota. Nimia cura ven-
tris sui tenentur, cum iniuria damnoque pau-
perum. Quasi dicat. Sese iactant esse ministros
verbi, & reformatores Ecclesiarum, & oblata
ab auditoribus dona plurima colligunt præte-
so nomine egenorum & pauperum, quorum
magnam se curam gerere fingunt: sed reipsa
nihil horum præstant. Neglectis siquidem vi-
duis,

duis, pupillis, impotentibus ac senibus egenis; impuri gurgites omnia vorant, absumunt, & ventrem intrepidè farciunt. Similes sunt lupis atque latronibus, qui non irruunt in ouile, nisi vt furentur, mactent, perdant, & sanguine ouium sitim suam restinguant. Illos referunt, de quibus olim conquestus est Dominus: *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, lac comedebant, lanis operiebantur: gregem autem meum non pascebant, &c.* Matt. 7. Ioan. 10. Ezech. 34.

Heu quàm multis eadem nota nunc conuenit! Primò enim veteribus illis Gnosticis omnino quadrat, quorum princeps Simon nihil aliud quàm turpia lucra spirabat, voluptates ventris & carnis meditabatur, honoribus etiam diuinis *semetipsum pascere* ac exsaturare supra quàm dici potest, ambiebat. Et de Valentinianis supra diximus ex Irenæo, quod profana mysteria sua his tantùm aperirent, qui grandes mercedes conferrent. Additque idem sanctus martyr, loquens de quodam Marco hæresiarcha: Maximè circa mulieres vacat, & hoc circa eas quæ sunt honestæ, & circumpuratæ, & ditissimæ, quas sæpe adducere tentans, dicit blandiens eis, Participare te volo ex mea gratia, &c. Exinde prophetidem se putat, & remunerare eum gestit, non solùm secundùm substantiæ suæ dationem, vnde diuitiarum copiam magnam collegit: sed & secũdum corporis copulationem vniri ei cupit, &c. Iust. Apol. Lib. 1. cap. 2.

Deinde, neotericis Gnosticis etiam concinnè quadrat hæc nota, quoniam direptis per vniuersam Franciam, Belgium, Angliam, & Scotiam templis, calicibus, & venerandarum

 téli-

reliquiarum aureis argenteisq; thecis, quæ ad innumerabilem propè pecuniarum summam excreuissent; non ad vsum pauperum, vt videri volebant, illam insumpserunt: *sed seipsos* eadem exornarunt, *pauerunt*, saginaruntque tam ministri quàm satellites. Instar proditoris Iudæ initio succlamabant, Possent ista venundari multis, & dari pauperibus: verùm euentus comprobauit illos nullam pauperum curam habuisse, sed potius militum, prædonum, apostatarum, atque meretricum suarum. Adeò vt querimoniæ, quas veteres habuerunt de crudelitatibus & rapinis Donatistarum & Arianorum; nostræ quoque nunc possint esse de Caluinistarum vexatione & direptione.

Ioan. 13.
Luc. 22.
Optatus.
Victor Vtic.
Athanas.
Niceph.

Pascunt quoque semetipsos sæculi Reges, Principes, nobiles, qui proprijs redditibus non contenti, populum Christianum absque moderatione vectigalibus onerant, opprimunt, exhauriunt, vt suis voluptatibus ac luxui faciant satis. Hos coarguit diuinum verbum: *Domine, populum tuum humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt, &cæt. Deuorant plebem meam sicut escam panis. Exultatio eorum sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.*

Psalm. 93.
Psalm. 52.
Habac. 3.

Insigni quoque nota, ac ignominia ista condemnandi sunt, pastores dicam, nescio, an prædones, qui plurimis & opimis onerati sacerdotijs, seipsos tantùm ac nepotes, cognatos & parentes vnà cum mollibus aulicis, adulatoribus, & turpium libidinum ministris

stris fouent & pascunt : interea verò nec pensum soluunt, nec docent, nec sacrificant, nec pauperes, imò nec templorum suorum manifestas ruinas curant. De his queritur atque expostulat Dominus per suum prophetam: *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam. Dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Posuerunt eam in dissipationem, &c cæt.* Sequitur diuina propter eos vltio: *Desolatione desolata est omnis terra, & cæt. quia gladius Domini deuorauit ab extremo terræ vsque ad extremum eius. Non est pax vniuersæ carni.* Ierem.12.

Contrà verò dictum est Beato Petro: *Pasce agnos meos. Pasce oues meas:* non teipsum, aut cognatos. Et idem successoribus præcipit: *Pascite quæ in vobis est gregem Domini*, videlicet exemplo, doctrina, sacramentis; & cùm indiguerint, facultasque fuerit, etiam temporalibus bonis. Ecclesiasticis enim decretis ac legibus piè sanctèque constitutum fuit, vt temporalium Ecclesiæ bonorum prima pars Antistiti, secunda Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus distribueretur. Videriùt ergo multi, quid de his CHRISTO mortuorum & viuorum æquissimo iudici, tandem aliquando sint responsuri. Sed nos literam persequamur. Ioan.21. 1.Pet.5. 12. q. 2. cap. Vobis.

Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.

Hæc quarta est nota seductorum & hæresiarcharum, qua significatur quàm sint inanes & inconstantes. Vult autem dicere: Erigite oculos, & in cælos intendite. Conspicite nubes, id est, vapores & fumos iurium

eleuatos, & è ſublimiori aëris parte dependentes. Hæ cùm terræ ſitienti, & aridæ videntur pluuias polliceri; cùm tamen ipſæ ſiccæ ſint atq; fallaces, terram perſæpe nec irrigant, nec fœcundant: ſed tantummodo caliginem rebus humanis obducunt, tandemque hinc inde diſſipatæ euaneſcunt in auras. Ita & ſeductores iſti multa iactant, multa pollicentur de verbo Dei, de Euangelij puritate, de reformatione Eccleſiæ, de pura adminiſtratione ſacramentorum, de remiſſione peccatorũ per ſolam fidem, de ſecuritate conſcientiarum, de ſalute æterna, &c. ſed horum nihil omnino præſtant: quin potius ſunt illuſores & ſeductores. *Sunt nubes ſine aqua*, id eſt, ſunt penitus aridi, inanes, & fallaces. Potius lumen veræ fidei obducunt, quàm oſtendant: ſacramenta corrumpunt & tollunt, non miniſtrant: Eccleſiam perturbant, non reformant: ſcripturas deprauant, non ſincerè interpretantur: & miſeras hominum conſcientias errorum ſuorum tenebris inuoluunt & perdunt, non illuſtrant aut ſeruant. Denique, vt nubes illæ inanes nihil aliud ſunt, quã ludibria ventorum, à quibus nunc ſurſum, mox deorſum impelluntur: ſic & Seductores iſti ſunt admodum inconſtantes, modò aiunt, modò negant: nunc cum Simone, mox cum Nicolao ſentiunt: alias vt Ebion, vel Cerinthus loquuntur, &c.

EX his autem primùm aduerte, cunctos pſeudoprophetas & hæreſiarchas fuiſſe homines ventoſiſſimos & leuiſſimos, iactationi tamen populari addictiſſimos. Nam Magi Pharaonis, & Baaliſtæ, qui formam tulerunt *hæreticorum*,

rum, vera miracula sese effecturos esse in suarum superstitionum confirmationem pollicebantur: sed nihil vnquam huiusmodi præstiterunt. *Nubes ergo fuerunt sine aqua.* Clemens Ro. & Iulij Africani Abdias referunt Simonem Magum iactasse, quod facilè per aëra volaret, illęsus ignes intraret, statuas loco moueri, corpora mortua incedere, lapides vt panes apparere faceret, montes & saxa penetraret, nouas arbores citò oriri, aridas illicò florere, vultum proprium in alterum commutare ne agnosceretur, vt ouis vel capra apparere, auro plurimo aliquem onerare posset, &c. Verùm, hæc pura erant dæmonum ludibria, ac oculorum humanorum fascinationes perniciosæ ac damnabiles, nedum otiosę & vanę. Ariani quondã sub Valente, Manes in Persside, Polychroni Constantinopoli, Cyrolas in Gallijs, & alij aliquot deinceps hæretici conati sunt in suarũ opinionum adsertionẽ miracula edere: sed *nubes fuerunt sine aqua.* Hoc quoque sæculo sub initium magnifica promiserunt Lutherani, Sacramentarij, Anabaptistæ de puro Dei verbo, de restituta veritate, de libertate Christiana, de renata Euangelij luce; hæc quoque miraculis comprobare aliqui eorum frustra sunt conati: sed contra potius, omnibus veterum Gnosticorum hæresibus atque blasphemijs contaminata per eos Europa, miserabilem in eam perturbationem ac desolationem induxerunt.

Lib. 3. recog. Li. 1. cert. Apost. Egesip. lib 3. de excidio vrbis.

Niceph. Cyrill. Ieroſol. Greg. Tur.

Perspice deinde, graphicè, styloque planè Apostolico depictam in hac nubium metapho. ra, & veterum & nouorum Gnosticorum leuitatem & inconstantiam. Vt illæ à ventis nunc

ad Orientem, mox ad Occidẽtem, vel ad Meridiem, aut Septentrionem leuissimo flatu impelluntur: sic illi diuersis, contrarijsque sententijs continuò agitati, nunc in illam, mox in
Matth. 7. istam fidei confessionem inclinant. Quia super arenam suarum adinuentionum sunt fundati, non supra firmam Christi & sponsæ illius Ecclesiæ petrã; nulla constantia vel firmitate sibi constare possunt. Instar arundinum in lubrico constitutarum ac inanium, quolibet vento in quamlibet partem continuò flectuntur. De
2. Pet 3. prioribus scribit Petrus: *Indocti & instabiles Epistolas Pauli deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Irenæus quoque in hanc illorum inconstantiam exclamat: Videamus
Lib. 1. ca. 5. eorum inconstantem sententiam, cùm sint duo vel tres, de eisdẽ, non eadem dicunt: sed & nominibus, & rebus cõtraria respondent, &c. Et
Libr. præscr. Tertullianus: Nihil interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis oppugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ordinationes eorum leues, temerariæ, inconstantes: nunc neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quos veritate non possunt. Alius hodie Episcopus, alius cras: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus, &c. Mentiorẽ non etiam à suis regulis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quę accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit, &c.

An non quoque tibi videtur Lutheranorum & Caluinianorum simul expressa esse vo-

tas; & crebra tanquam nubium, sic sententiarum commutatio? An non singulis annis, imò & mensibus à seipso dissensit Lutherus? An nõ Melanthon omnibus suorum locorum communium editionibus, in rebus fidei sententiam mutauit? Carolstadius & Bucerus nunc cum Luthero, mox aduersus eum senserunt? Et plus quàm ducentis locis secum pugnare Caluinum, & discipulos eius, scriptis euulgatis iam ipsi palã euicimus? Quid quod in negotio Eucharistiæ, & paucorum verborum sacramentalium interpretatione, quatuor & octoginta penitus dissidentibus ac contrarijs sententijs, plusquam hostiliter secum dissideant?

Septiceps Luth.

Dialogis de Trinit.

Non sic profectò, non sic Prophetæ & Apostoli; non sic discipuli, primiq́ue ab eis Ecclesiarum Catholicarum Antistites; non sic Patres Orthodoxi; non sic etiam his nouissimis temporibus, Pastores & Doctores Catholici: sed omnium (in rebus quæ ad fidem & salutem spectant) vna est vox, vna sententia, vna fides, vna religio. Omnes obtemperamus Paulo admonenti, *Ne simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitijs hominum, in astutia ad circumuentionem erroris*. Idem dicimus omnes, & non sunt in nobis schismata. Non diuersas diuersarum prouinciarum aut Ecclesiarum admittimus fidei Confessiones: sed vniuersi credimus in vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, &c.

Ephes. 4.

Superiori etiam nubium metaphora cõmonentur Ecclesiæ Doctores & Pastores, vt similes sint nubibus humidis atque fœcundis, vt

diuinæ fidei, religionis, amoris, & timoris, salubris quoque pœnitentiæ pluuias profundat super eos, quibus cum conuersantur, concionantur, & præficiuntur. Non plausum, vt ait Bernardus, sed planctum excitent. Nam de huiusmodi spiritalibus ac fœcundis nubibus ait

Isaiæ 5. Dominus: *Mandabo nubibus meis* (id est, prophetis & Apostolis, ait Hieron.) *ne pluant super eam* (apostatricem Iudæam) *imbrem.* Et rursum:

Isaiæ 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Tales fuerunt nubes in Africa Cyprianus, Arnobius, Augustinus, Optatus, Fulgentius. Tales in Asia, Ignatius, Polycarpus, Basilius, Nazianzenus. Tales in Europa, Clemens, Alexander, Leo, Damasus, Innocentius, Ambrosius, Gregorius. Tales in Gallia Lazarus, Crescens, Trophimus, Martialis, Dionysius, Irenæus, Hilarius, Martinus, &c. Ad quorum imitationem nos remittens Paulus, scribit:

Hebr. 13. *Memento præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum exitum conuersationis intuentes, imitamini fidem.* Subijcitur:

Arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.

Quinta est nota hæresiarcharũ, nimirum, quòd pietatem quandam ad tempus simulant: sed reipsa homines sunt omnino pestiferi, perditi, & desperati: quod alia rursũ metaphora hoc loco docetur. *Illi sunt*, ait, *vt arbores*, quæ extremo autumni tempore, præter omnem temporis rationem florent, fructusque agricolis repromittunt: sed intempestiuè atque mendaciter. Nam mox aëris intemperie folia, floresque emarcescunt, moriuntur, decidunt: illæque decidue ac steriles radicitus euelluntur, ne terram vl-

terius

terius occupent, demumque in ignem mittuntur, vt ardeant. Ad hunc modum Seductores *speciosa* verborum folia proferunt, multa de virtutibus, de iustificatione, de pia cum proximis conuersatione, de Decalogi obseruatione, vt iucundos flores ostentãt: sed nullos tandem veros ac solidos fructus edunt. Parturiũt quippe montes, & nascitur ridiculus mus. Mera est hypocrisis ac simulatio, quę citò manifestatur. Vestes sunt ouium, quibus cor lupinum ad tempus contegitur. Ficus est sterilis, cui Christus maledicit. Arbores malæ, ac emarcidæ, quę vel nullum fructum, vel corruptum & marcidum producunt. Quinetiam non solùm infructuosi sunt seductores isti, sed etiam *bis mortui* ac perditi, nimirum cùm in verbis, tum in operibus: & tam in ramis bonorum operum, quàm in radicibus bonarum voluntatum. *Bis mortui*, quia & secundùm carnem corruptissimi, & secundùm animam peruersissimi: mortui Deo & proximis, in hoc sæculo & in futuro, sibi & alijs damnationem sempiternam mercantur. Denique, non secus deplorati sunt, quàm *arbores eradicatæ*, ac è terra euulsæ, quibus iam nulla spes est reuirescendi. Etenim constat illos eradicatos esse de terra viuentium, nec amplius radicatos in fide aut charitate: sed præcisos ab Ecclesia Christi, in cuius solius vnitate, bona opera ad æternam salutem conducentia fieri possunt, & vita beata contingere.

Matth. 7. *Luc. 13.*

Hæc porrò primùm docent, pios ac Reipublicæ Christianæ vtiles viros, in sacris literis cum arboribus frugiferis ac fœcundis, sicut impios ac pestiferos cũ marcidis ac emortuis

Isaiæ 12. *Ezech. 36.*

frequenter comparari. Istud autem fieri, vt illi
Ioan 4. & 7. supernæ gratiæ, quæ cum aquis viuis comparatur, irrigationem agnoscant; & non tam sibimetipsis, quàm proximis fructificare studeant: isti verò propterea, quòd imbre cælesti indignos sese reddant, atque postremum ac inextinguibile incendium eos maneat, nemo potest
Psal. 1. 51. 91. ambigere. De prioribus scribitur: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, &c.*
Cant. 2. *Iustus vt palma florebit. Ego sicut oliua fructifera in domo*
Eccli. 24. *Domini. Sicut lilium inter spinas, &c. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, &c.* De posterioribus verò dicitur: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum*
Psalm. 57. *&c. Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum re-*
Prouerb. 24. *pleuerat vrticæ, & operuerant superficiem eius spine. Erunt*
Ierem. 17. *sicut myricæ in deserto: &c.* Ergo seductores & hæresiarchæ appositè comparantur hîc cum arboribus infructuosis ac emarcidis.

Docent secundò, hæresiarchas posse ad tempus eximiam pietatis speciem, & pię moderatæque conuersationis fucum præ se ferre ac ostentare: verùm hanc hypocriseos laruam breui tempore detrahi atque cadere. Ad hoc per-
2. Tim. 3. Tit. 1. tinet, quod Apostolus ait: *Speciem virtutis habentes, sed virtutem eius abnegantes.* Et rursum: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati, increduli, & ad omne bonum opus reprobi.* Summa, arbores sunt, quæ ad tempus virent, florent, erumpunt in gemmulas: sed reipsa sunt infructuosæ.

Ostendunt tertiò, extra vnitatem & pacem Ecclesiæ catholicæ, nihil ad salutem æternam prodesse fidem, spē, sacramenta, eleemosynas,

pro-

preces, virtutes morales, imò nec ipsâ p Christi nomine mortem quantumuis fortiter toleratam. Istud multis & fortissimis argumentis adfirmant Cyprianus martyr & Augustinus, libris eiusdem tituli, videlicet, De vnitate Ecclesiæ. Paulus etiam constanter prædicat: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates, si habuero omnem fidem, si tradidero corpus vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et hîc impij comparâtur cum arboribus eradicatis ac mortuis. *Cyprian. August. 1. Cor. 13.*

Euincunt postremò cunctos hæreseon authores, ministros, ac fautores, iure diuino præcisos esse à corpore Christi, & eradicatos à cómunione Sanctorum, terraque viuentium. Etenim, *qui non credit, iam iudicatus est. Et qui non crediderit, condemnabitur.* Dubius in fide, infidelis est Et qui non colligit cum Christo, dispergit, &c. *Ioan. 3. Marc. 16. Luc. 11.*

13. Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones: sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est.

SExta nota hæresiarcharum est, quòd sint turbulenti, tumultuosi atq; seditiónes excitent, quocunque sese ingesserint. Quemadmodum vndæ marinæ, quò læuius furunt procellis, hoc magis despumant plurimas fordes, quas propellunt ad littus, turbantur, & redduntur lutulentæ: ita & isti factionibus, clamoribus, & seditionibus omnia commiscent, pacem Ecclesiasticam tollunt, tranquillitatem humanam perturbant, suaque dedecora & probra omnium oculis exponunt. Videtur autem hæc Iudæ metaphora desumpta esse ex

Isaiæ

Isaiæ 57. Isaia dicente: *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus.*

Hæc porrò nobis in primis proponunt admirandam simulque timendam diuinam potentiam ac prouidentiam in fluctibus maris, quos tam sapienter moderatur, ac per eosdem plurima in hoc infimo mundo mirabilia con-

Psalm. 52. tinuò operatur. Nam vt Psaltes canit: *Continet sicut in vtre* (id est, summa potestate) *aquas maris, ponēs in thesauris suis abyssos.* Miretur ergo & timeat

Psalm. 64. Dominum omnis terra. *Conturbat*, cùm ei libet, *profundum maris*, vt Ionæ tempore contigit, & *sonum fluctuum eius.* Et facta allusione ad maris rubri, Iordanisque diuisionem, ac mirabilem

Psalm. 65. Hebræorum transitum, exclamat: *Venite, & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum. Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede*, sicco videlicet. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes* (vt sunt piscatores, &

Psalm. 68. negotiatores, qui trans mare currunt,) *in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in*

Psalm. 160. *profundo. Dixit, & stetit spiritus procellæ, &c. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, &c.* Hæc quidam diuinæ prouidentiæ atque gloriæ hostes, nescio cui naturæ viribus imputant, aut causis secundis solummodò tribuant; quasi quidpiam aut essent, aut valerent sine primarij autem omnes esse opera diuina confitentur, quorum contemplatione in laudes Creatoris & rectoris huius inferioris mundi pro viribus assurgunt.

Deinde, ista vniuersis declarant, omnem hæresim esse factiosam, tumultuosam & seditio-

sam.

sam. Cùm enim inuenta, instillata, & inuecta sit à Diabolo, qui rebelliones excitauit tam in cælo, quàm in paradiso; præterea, homicida fuit ab initio, & Pater mendacij, non potest non semper & vbique suo parenti esse persimilis. Insuper, homines reddit elatos, superbos, proteruosq; legum tam diuinarum quàm humanarum contemptores, quibuscum nulla concordia, nulla tranquillitas, vel pax diuturna firmave esse potest. Rectè igitur in veteri testamento hæretici (quemadmodum docet Augustinus) adumbrati sunt per Ismaël, *cuius manus contra omnes*; deinde, per Esau hominem ferum, venatorem, & bellatorem; qui fratrem odio prosequens dicebat, *Venient dies luctus Patris mei Isaac, & occidam Iacob fratrem meum*: quoniam vt hi fratres pios viros & electos à Deo sunt persecuti, sic hæretici Ecclesiam. Quod & Paulus docens scribit: *Quomodo tunc is qui secundùm carnem natus erat, persequebatur eum qui secundùm spiritum*, id est, promissione facta per Diuinum Spiritum; *ita & nunc*. Et sanè Optatus Mileuitanus, deinde Augustinus libris suis aduersus Donatistas, grauissimè conqueruntur de illorum seditionibus, rapinis, cædibus, ac sacrorum locorum direptionibus. Augustini vnam tantùm & alteram de horum seditiosis gestis sententiam subijcio: Video, inquit, planè mira opera Donatistarum, quotidianas violentias Circuncellionum, sub Episcopis & Presbyteris, eiusdem sectæ ducibus, circumquaq; volitare, & terribiles fustes Israëlis vocari: quæ homines Catholici, qui nunc viuunt, vident & sentiunt. Et idem alibi: Violentissimas

Apoc. 12. *Genes. 3.* *Ioan. 8.*

Gen. 16. *Gen. 27.*

Galat. 4.

August. in Psalm. 10.

Epist. 165.

mas cædes & strages plerique ipsorum *Donatistarum*, & Episcopi, & Presbyteri, & quilibet Clerici, congregatis turbis hominum furiosorum, non Catholicis tantùm, sed nonnunquam etiam suis, vbi possunt, inferre non cessant. Alibi rursum quibusdam Donatistis dicentibus, *In nullum sæuimus*, idem sanctus Antistes respondet: Non iuuitis, quando, & vbi non poteratis: indicans nulli eos parcere, vbi per facultatem licet.

Quid de bellis per nouissimos hæreticos in Europa concitatis dicemus? An non Hussitica secta, mox Bohemiam Zisca duce, cruentissimis aliquot prælijs deformauit? Lutherana, continuò Germaniam inter se commisit? Anabaptistica, plusquam centum millia rusticorum perdidit? Zuingliana, bello ciuili Heluetios implicauit? Denique, admissis semel in Gallia, Scotia, & Belgio Caluinianis, tot continuò eorum factionibus, sequuta sunt bella, tot cædes, tot tumultus, vt vix credituri sint posteri. Vtinam Hispania, Italia, & alia regna, in quibus adhuc hæresis ista nondum apertè nidificauit, malo nostro sapiant, eamque adhuc studiosius a finibus suis procul repellant.

Ista denique nos docent, finem omnium tam hæreticorum quam hæreseon esse omni confusione ac ignominia plenum. *Desinent*, inquit Apostolus, *stultorum*, id est, iustam ignominiam & dedecus cunctis tandem orientur. Vt fluctus maris quantumuis immanes; ac præsentem interitum vectoribus, nauibus, terrisque minitantes, momento dispereunt, & ita

quietem

quidem dispereunt, vt nullum sui, nisi turpe vestigium relinquant: sic & hæresiarchæ ac seductores tandem comprehenduntur in astutia sua; &, vt Paulus ait, ab omnibus deprehenduntur esse *homines corrupti mente, & reprobi circa fidem.* 2. Tim. 3. *Sed vltra non proficient: Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Expuunt quidem in cælum, sed proprijs fœditatibus in faciem recidentibus, commaculantur. In sceleribus comprehensi tandem aliquando confunduntur: sicut Baalis & Belis ministri de sceleribus atque impostoris conuicti, omnes ad vnum vsque perierunt sub Helia, Iehu, & Daniele viris à Deo ad vltionem illorum excitatis. Hoc idem palam testantur miserabiles mortes Iudæ proditoris, Simonis magi, Montani, Manetis, Arrij, Nestorij, Eunomij, Priscilliani, & aliquot aliorum hæresiarcharum, de quibus dictum est aliàs. &c. Adijcitur: 3. Reg. 18. 3. Reg. 19. Daniel. 14.

Sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.

Hæc est septima seductorum ac hæreticorum nota, qua illorum in figendis & refigendis errorum suorum tabulis leuitas & inconstantia designatur. Vt autem metaphoram Apostolicam intelligamus, notandum *sydera errantia*, seu stellas errantes duobus modis dici. Primò enim stellæ errantes, Planetæ vulgo, in inferioribus cælis defixæ, errantes dicuntur ab opinione & communi iudicio sensus humani: quamuis nullæ (vt ait Plinius) errent minus illis. Nam quia velocior est firmamenti, in quo aliæ stellæ residunt, & citatior

cursus,

cursus, stellæ quæ in eo sunt eodem semper ordine videntur rotari; ideoq; fixæ nominantur. Sed hæ quia in inferioribus, atque à primo mobili remotioribus cælis permanentes tardiùs circumaguntur, nec eundem semper tramitem (quemadmodum saltem in Sole & Luna vel rustici conspiciunt) seruant; ea ratione erraticæ præsertim appellantur. Secundò, tametsi non ita propriè, stellæ errantes dicuntur, quas Aristoteles ἀστέρας διαθέοντας, id est, stellas discurrentes vocat. Hæ propriè stellæ nō sunt, sed aëris sicci inflammationes in longum ductæ, cadentibus stellis persimiles: siue (vt Plinius vocat) deciduis.

Li. 1. Meteor.

Li. 2. hist. c. 8.

Ad vtramque ergo erraticarum stellarum speciem respicere potuit Apostolus, cùm hæresiarcharum vitia exitiaque describit. Vitia, quòd speciosam lucem præ se ferunt, sed caligine mendacem & prorsus instabilem: exitia verò, quòd *his caligo tenebrarum in æternum seruata est*: quemadmodum lucentes illæ flammæ perobscura tandem nocte conduntur, nec vllum sui vestigium relinquunt. Sit ergo verborum ac totius metaphoræ iste sensus: Videntur Seductores isti velut stellæ super terram fulgere, voluntque haberi lumina mundi, eximij tenebrarum depulsores, Theologiæ ac verbi Dei profundissimi ministri ac professores: sed reuera sunt *sydera errantia*, seu stellæ errantes: quoniam & ipsi densissimis errorum tenebris inuoluuntur, & alios in easdem secum abripiūt. Omninò instabiles & varij sunt, quoniam nec sibi constant, neque constantem sectantur veritatem: sed in varias sectas dissecti, nunc istud dogma,

dogma, mox aliud, aliudque subinde adinuenientes & adfirmantes; & à seipsis, & ab alijs turpiter dissident. Ad tempus hoc adferere videtur, ad tempus tanquã sese nocte absconderes non videntur. Tanquam Prothei hac forma nunc conspiciendos se ostentant, mox alteram induunt. Verùm, licet hic ad tempus imprudentibus fulgere videantur, designata tamen est illis à Deo prępotente caligo tenebrarum, & incendium sempiternũ. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars est calicis eorum. *Psal.10.*

Hinc primò cum Didymo Alex. obseruandum est, hæreticos glorioſis magnificisque titulis seipsos semper venditasse: tum quia perpetua ambitione inardescunt, tum vt his velut pigmentis ac fucis venena sua occultent, sicq; incautos in suas partes pertrahant. Ecquid mirum, quando parens eorum Satanas nonnunquam etiam pro angelo lucis seipsum ostentat? Ita Simon singulare illius organum, *se Virtutem Dei magnam* appellabat. Valentiniani, ab eximia rerum omnium cognitione, *Gnosticos*, id est Sapientes vocitabant: sicut Nouatiani, *Catharos*, id est, mundos ac puros. Manes, quod Græcis furiosum significat, vt refert Augustinus, se nunc Manichæum, id est, manna fundentem: nunc Apostolum Iesu Christi: mox etiam Spiritum paraclitum appellauit. Quidam Apostolicos, alij Angelicos, alij Encratitas sese vocauerunt. Nouissimo sæculo isto Lutherus à suis, secundus Elias; Germaniæ Propheta, Apostolus, & primus Euangelista nuncupatur: Et quid mirum, cùm & ipse tanta tumuerit ar- *2.Cor.11. Actor.8. Iren.lib.1. L.adu.Faust.*

rogantia, vt cum præstantissimis Prophetarum & Apostolorum non timuerit sese frequenter comparare? Aiebat enim, vt de illo scripsit commensalis eius Henricus Petrus: *David, Daniel, & Esaias excellentissimi fuerunt prophetæ. Ego sum Esaias: Philippus Melan. Ieremias. Iacobus Apostolus Philippum denotat: Petrus Martinum Lutherum*, &cæt. Quis vnquam vel Apostolorum, vel sanctorũ Patrum tam superbè & arroganter de se sensit aut scripsit, quàm hic gloriosus Thraso? Paulus profectò se indignum reputat qui vocaretur Apostolus: hic verò vilissimus rusticus, ac furiosus apostata, regio sanguine satum Esaiam, & Apostolorum coryphæum Petrum se appellat & venditat. &c. Caluinus etiam in concionibus palam se Prophetam esse sępe dictitauit: & nunc à Bezanis, Puritanis, & alijs sectatoribus suis dicitur esse, Sol, & lux mundi. Omnes autem Hugnostici appellant se Euangelicos, Apostolicos, Puros, Reformatos: imò & ab veteris matrum Sanctificatos sese palam iactitant, & superbissimè gloriantur.

Tom. 2. Colloq. fol. 28.

Bezain eius vita.

De horum verò inconstantia & varietate, his quæ superius iam dicta sunt, hæc pauca ex Augustino subiungere libet. Manichæi diuisi sunt in Catharistas, Macarios, & propriè dictos Manichæos: omnes ab vno Manichæo authore. Ariani mox dissecti sunt in Aëtianos, Meletianos, & Macedonianos. In Africa, quot partes per Numidiã & Mauritaniã factæ sunt de ipsa parte Donati? Pars Donati in multa minutissima frusta conscissa est, q̃ omnes minutæ particulæ Maxiministarũ sectam grandiorem reprehendunt, & singulæ conantur asserere, apud se tantummodo verum Baptismum re-

Libr. de hær.

Socrat. lib. 2. hist. cap. 17. & 20.

Lib. 3 contr. epi. Par. c. 4.

Li. 1. de bapt. cap 6.

mãnſiſſe. &c. In quot etiam ſectiones nunc diuiſi ſint Lutherani, ferè incredibile eſſet dicere. Sacramentarij, vt ſupra diximus, etiam in ſola re Euchariſtica, per octoginta quatuor diuerſas ſententias ſunt diſtracti. Sed cum B. Doctore Auguſtino locum abſoluamus: Contra dicunt, ait, linguæ multæ, diuerſæ hæreſes, diuerſa ſchiſmata perſonant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Eccleſiam Catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere: & protegêris in tabernaculo Domini à cõtradictione linguarũ. *Conc. 3. in Pſal. 30.*

Obſeruandum poſtremò, hæreſim non eſſe peccatum tam leue ac minutum, vt quidam Politici exiſtimant: ſed grauiſſimum, imò & multorum præcedentium & nefandorum ſcelerũ pœnam, ac proinde æternis gehennæ tenebris ac cruciatibus plectẽdum crimen. Nam vt hic docet Apoſtolus, authoribus, miniſtris, & fautoribus eius, *procella ſeu caligo tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Quaſi dicat: Et ſi nunc videntur regnare ſuper terram, iudiciũ tamen Domini nequaquam effugient. Seruat enim hos Deus in æternum cum Satana puniendos in caligine tartarea. Ibunt omnes in hæreticis opinionibus & ſchiſmatibus morientes, cum Caino, gigantibus, Dathan, Core, Abiron, Baaliſtis, Pſeudoprophetis, Iuda, Simone mago, Ario, & reliquis eorum anteceſſoribus ſuis, in puteum abyſſi, & mortem ſecundam. Aequiſſimum eſt enim, vt qui Chriſtum veram huius mundi lucem negauerunt, perpetuæ tradantur caligini. Claudant & hunc locum hæc Auguſtini verba: firmiſſimè tene, & nullate- *Li. de fide ad Petrum ca. 3. & 39.*

nus dubites, quemlibet hæreticum, vel ſchiſmaticum, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. &c. Iam Apoſtolum audiamus.

14. *Prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam, Enoch, dicens:*

15. *Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus impietatibus eorum, quibus impiè egerunt: de omnibus duris quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impij.*

COnfirmatio eſt præcedentis ſententiæ, qua dixit, Hæreſiarchis ac ſeductoribus populi repoſitam eſſe procellam tenebrarum in æternum; eaque deſumpta ab antiquiſſimi & ſanctiſſimi Prophetæ Enoch teſtimonio; ac repetito ab vltima vetuſtate, quid Spiritus ſanctus de illis pronunciauerit oraculo. Dicit ergo Apoſtolus: Nemo veſtrum miretur, Cariſſimi, de horum Seductorum aduentu, quaſi neſcientes Deo exorti ſint. Nam is ab initio huius ſæculi non ſolùm reuelauit Prophetis hos venturos; ſed & quibus ſupplicijs pro ſuis hæreſibus ſint afficiendi aperte prædixit. Nullus ergo veſtrum turbetur, aut animum deſpondeat. Nullus verò illorum glorietur, tanquam terribile Chriſti iudicium poſſit vnquam effugere. Tametſi enim in præſenti vita vt plurimum non

non puniantur, aderit tamen, aderit pro certo tempore suo Christus viuentium & mortuorum iudex, cui velint nolint de cunctis blasphemijs ac sceleribus suis reddent rationem, sumentque decreta supplicia. Hæc est certissima & verissima doctrina, non solùm à nobis Apostolis huic mundo tradita: sed & ab exordio mundi, primis Prophetis ac Patribus, qualis fuit Enoch, annunciata & prædicata. &cæt.

QVIS fuerit Enoch?

IN his cùm plurima essent discutienda, nos paucioribus contenti, primùm inquiremus, quis fuerit hic Enoch: deinde, Vbi nunc locorum degat: hinc, An aliquem librum scripserit, vnde beatus Iudas allatum testimonium desumpserit? Fuit ergo Enoch septimus Orbis Patriarcha, quandoquidem à Mose generationis illius hic ordo contexitur: *Adam genuit Seth,* Gen. 5. *Seth genuit Enos, hic Cainam, hic Malabel, hic Iared, Iared autem genuit Enoch.* Addit verò idem Moses, hunc vixisse 365. annis, & ambulasse cum Deo, & non apparuisse: quia tulit eum Dominus. Quantum verò ad pietatem, & functionem eius pertinet, constat eum eximia fide & vitæ sanctitate præ cæteris sæculi sui hominibus excelluisse: quinetiam dono prophetiæ præditum, palam in sacris conuentibus docuisse: cùm Moses testetur *eum cum Deo ambulasse*, id est, purè & castè coram eo vixisse: Paulus eundem ab insigni fide in Deum prædicet: beatus Iudas denique, hoc loco adfirmet eum prophetasse, atque in his, ea præclara capita de fine Hebr. 11.

mundi, de Iudice viuorum & mortuorum, manifestare futuri aduentus illius, bonorum & malorum in alio sæculo reposita mercede, quæ
Lib 4.cap 30. hîc strictim referuntur. Irenæus martyr scribit eum legatione functum ad Angelos: quod de filijs Seth intelligo; qui etiam filij Dei dicuntur, quos suis concionibus nisus est à nefarijs libidinibus & commercio Cainitarum reuocare.

VBI nunc locorum diuersetur?

Genes. 5. MOses disertè scribit, Deum eundem transtuliſſe: sed in quem locum, non aperit.
Eccl. 44. Syracides manifestè testatur de eo: *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum.* Verùm, qualis sit iste Paradisus, an terrestris, an cælestis, an verò tantùm mysticè & spiritaliter intelligendus, non dicit. Et quidem ex fide Catholica puto constare, quod tum non sit transtatus in paradisum cælestem; cùm ante christi aduentum
Hebr. 9. nondum esset propalata & aperta sanctorum via, ipseq; primus omnium hominum in eum per Ascensionem suam peruenerit, secum ducens
Ephes. 4. aliorum sanctorum choros, ex inferis redemptos. Mysticum verò ac spiritalem tantũ Paradisum cõfingere, nec tutum, nec pium est; quando istud in Origene dãnauerit Epiph. Per placet itaq; illa, quam ab auditoribus SS. Apo-
Lib. 5. c. 5. & lib. 4. cap. 30. stolorum se accepisse & didicisse Irenæus martyr sequitur & amplectitur sententia, videlicet, Enoch sine morte intermedia, transtatum esse in Paradisum, in quo positus fuerat Adam primus homo; & in eo conseruari etiam nunc; futurus testis iudicij venturi. Eandem

sententiam tot Patribus antiquis, doctis, & sanctis probatam euicimus Annotationibus nostris in Irenæum, vt religio sit ab illis discedere. Constat rursum apertissimis Pauli verbis, illum mortem non sensisse, quandoquidem *translatus est*, ait, *vt non videret mortem* Hebr. 11. Inquirere verò nunc, vbi sit ille Paradisus, aut quonam modo illic conuersetur, an aliquando sit moriturus, &c. non est præsentis loci.

AN scripserit Enoch?

DVbitant plurimi, an solùm viuę vocis oraculo prophetauerit Enoch, an verò etiam sua vaticinia scriptis comprehensa ad posteros transmiserit, instar Dauidis, Isaiæ, Ieremiæ, ac reliquorum deinceps prophetarum. Qui primâ defendunt sententiam, putant beatum Iudam à partibus suis stare, quandoquidem solùm dicat, *eum prophetasse*, non autem scripsisse. Deinde, magno veterum Theologorum consensu Moses habetur primus omnium sanctorum scriptorum: fuit autem Moses plus mille annis B. Patriarcha Enoch posterior. Præterea, cùm (octo tantùm qui in arcam sese receperant exceptis) vniuersus orbis per aquas diluuij submersus ac deletus sit, nemini dubium esse putant, quin libri Enoch, etiâ si quos scripsisset, simul quoq; absumpti & deleti sint. Ad hæc, Ecclesia Catholica censuit libros ei nuncupatos, esse supposititios & falsos: quod de veris & germanis nunquam pronunciasset. Postremò, multi & docti viri censent testimonium hîc allatum ab Apostolo, non ex aliquo Enoch libro, sed tantùm ex longa constantiq;

Patrum traditione laudatum esse. Atque hæc de priore sententia, & rationibus, quibus inniti possunt, qui eam sibi assumendam & sequendam proponunt.

His nihil obstantibus, alij aliam sententiam sequuntur: quam & ego magis certa veramq; existimo, quòd nõ tantũ coniecturis, vt priori; sed firmissimis omnium ferè vterum Theologorum testimonijs innitatur. Ait enim in primis Augustinus: Scripsisse nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat. Quod & postea confirmat, tametsi non diffiteatur scripta illa, nec apud Iudæos, nec apud Christianos esse in authoritate: eo quòd nimia antiquitas eadem suspecta reddiderit. Consentit Hieronymus, licet scriptum illud similiter iudicet apocryphum. Eandem sententiam amplectitur quoque Athanasius in Synopsi. Origenes testatur in Libris Enoch arcana multa contineri de stellis, earumque nominibus & effectis: licet apud Hebræos, inquit, in authoritate non habeantur. Idem rursum eorundem meminit homil. 2. in Iosue: & tomo 6. in Euangelium Ioannis. Tertullianus præ cæteris librorum Enoch vehemens esse assertor videtur: quando in libro de Idololatria, nihil dubitat authoritate illorum tanquam firma & Prophetica idololatriam oppugnare. Sed & libro de habitu muliebri, omnium euidentissimè contendit pro librorum istorum asserenda veritate & authoritate, his maximè rationibus. Prima, quòd illa scripta potuit reparare Noe post di-

Li. 15. ciuit. cap. 23. & li. 18. cap. 38.

Com. in 1. ca. ad Tit. & in Catal. script. Eccl.

Homil. 28. in Num.

Cap. 4. & 15. & li. de cultu fœm. c. 10.

Cap. 3.

Iunius,

Iuuium, ſicut Eſdras totum vetus Teſtamentũ à Chaldæis combuſtum: aut certè ſecum in arca ſeruare. Secunda, quòd omnis ſcriptura, quæ aliquid confert ad ædificationem, diuinitus inſpirata credatur. Tertia, quod à Iudæis reiecta ſit, eo quòd apertiſſima teſtimonia de Meſſia ab ipſis occidendo contineret. Denique, quòd apud Apoſtolum Iudam teſtimoniũ poſſideat. Inſuper, in libro qui dicitur: Teſtamentum duodecim Patriarcharum, quem frequenter citant Procopius ac Origenes; multa citantur velut prophetica ex libris Enoch, vtpotè, quæ ventura erant filijs ac nepotibus patriarcharum, de mundi Saluatore ab Hebræis occidendo, de futura Hebræorum captiuitate, & per omnes gentes diſperſione. Demùm, certiſſimum eſt Iuſtinum, Irenæum, Clementem Alexand. & reliquos primæ notæ ſcriptores Chriſtianos, ex librorum Enoch lectione hauſiſſe eam opinionem, qua putarunt malos angelos aſſumptis hominum corporibus, ex filiabus hominum gigantes procreaſſe, &c. Igitur, quicquid ſit de librorum Enoch authoritate, ſatis probatum mihi videtur, Enoch non ſola voce ad præſentes, ſed & ſcripto prophetaſſe ad poſteros: & integrum fuiſſe beato Iudæ hanc ex ſcriptis eius adſumere ſententiam, eamque (licet non cætera illius ſcripta) ſanctam, canonicam & Apoſtolicam ſua authoritate effeciſſe. Et de his hactenus.

Cæterùm, hinc vident omnes, Deum ab initio huius mundi ſuos habuiſſe præcones, qui iudicia & decreta ſua patefacerent cæteris hominibus: tum vt electis ac credentibus ſalutis

ſpes inijceretur; tum, vt incredulis ac reprobis iusta damnatio prædiceretur. Huiusmodi fuerunt in lege naturæ Adã, Seth, Enos, Enoch, &c. sub lege, Moses, Aaron, Leuitæ, Prophetæ.

Matth. 20. Idcirco similis dicitur esse patri familias, qui singulis horis diei conduxit operarios in vineam suam. In eius itaque plusquam paternam solicitudinem ac prouidentiam iunt cõtumelioſi, qui hanc vineam, id est, Ecclesiam Catholicam vltra quingentos, octingentos, vel mille ducentos annos, ab eodem in tetris erroribus idololatriæ derelictam esse impudentissimè garriunt.

Deinde, satis ex ijsdem conspicitur, veterum Patriarcharum & Prophetarum fidem ac religionem, eandem fuisse cum nostra Christiana & Catholica; si præcipua eiusdem capita, vt de Deo trino & vno, de Messiæ aduentu, morte, resurrectione, iudicio futuro, bonorum ac malorũ mercede, &c. attẽtè spectauerimus: quod & Irenęus martyr multis in locis, & alij veteres comprobauerunt. Hoc autem piorum Christianorum conscientias plurimum recreare ac confirmare debet aduersus dubitationes, quæ de illa, propter Turcarum & Hæreticorum prosperitates, oriri possent. Aduertunt enim se non nouam quandam, aut ab hominibus inuentam doctrinam amplecti: sed omnium vetustissimam ac certissimam profiteri cum Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, quos etiam illius hostes mirantur.

Lib 4. ca. 11. 12. 13. 21. 23. 24. 38 &c.

Postremò, beatus Iudas, prætermissis aliorum Prophetarum testimonijs, istud vel ex certissima traditione maiorum, vel scriptura

Enoch

Enoch omnium prima desumpsit; tum vt doceret veterum traditiones cum pietate & veneratione suscipiendas esse, nec ab his declinandum: tum etiam vt Simonianos atq; Gnosticos doctrinam Apostolicam aspernantes, saltem huius vetustissimi, & à Iudæis etiam probati prophetæ verbis refelleret, &c. Sed Enoch prophetantem audiamus. *Iren. lib. 3. cap 3 Tert. lib de corona militis.*

Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, &c.

ISTVD vaticinium, vt antiquissimum, ita & sanctissimum, diligenter examinandum est. Continet enim summa capita totius Euangelij ac doctrinæ Apostolicæ fideique Christianæ: nimirum, iudicium vniuersale totius mundi aliquando futurum: quis mortuorum & viuentium Iudex: qua maiestate & frequentia stipatus aduenier: de quibus præsertim inquiret & iudicabit: quod aduersus impios decretum proferet: & qui huius decreti executores, &cæt. An non hæc præcipua esse capita fidei nostræ mecum censebit, quicunque Symbolo Apostolorum fidem habuerit? In eo namque recensetur de Christo iudice ac iudicio: *Venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo carnis resurrectionem, & vitam æternam.* Eadem in reliquis symbolis, & amplioribus verbis explicantur & confirmantur. De ijsdem frequentes & graues conciones Christus habuit, vt cùm dixit: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cũ potestate magna & maiestate. Cũ venerit filius hominis.* *Symb. Ap.* *Matth. 16.* *Matth. 24.* *Matth. 25.*

minis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo, &c. Apostoli deinde hanc eandem doctrinam & toto orbe seminarunt, & pro eius veritatis adsertione vsque ad mortem decertarunt, dicentes: *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque pro vt gessit in corpore, &c.* Et Petrus adfirmat: *Præcepit nobis Christus prædicare & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Quod & angeli missi de cælo prius adseruerant dicentes: *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, ita veniet, &c.* Vult itaque hoc loco diuinus Apostolus Iudas: Enoch ab Adam septimus pater orbis, diuinorum arcanorum conscius, verbis omni maiestate & veritate plenis, ante diluuium concionabatur, literisque mandabat ad posteros: Ecce pro certo veniet Dominus iudex, quantumuis istud irrideant impij homines: veniet citius quàm putent: veniet manifestus & terribilis. Non perpetuò pijs insultabunt athei, quòd Deum quendam effingamus, ac prædicemus, qui non sit, qui nusquam conspiciatur, aut sensibus humanis sese percipiendum exhibeat. Veniet namque tandem aliquando: & videbit eum omnis oculus. Videbunt etiam impij Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potestate magna & maiestate: nec tunc irridendi aut negandi aduentum eius, sed sese plangendi locus erit, & cæt. Verùm singula prophetiæ verba, eo quòd emphasim habeant, iam excutiamus.

Rom. 14. 2. Cor. 5. Act. 10. Act. 7. Matth. 26. Apoc. 1.

Ecce venit Dominus, &c.

REM vt præsentem, oculis omnium subijcit, dicens: *Ecce venit*: præteritum pro futuro.

turo, prophetico more. Deinde, Iudicem significat humanitus venturum, ac si cum amplissimo & honoratissimo cõsessu ingrederetur regiam huius mundi, & in tribunal suũ conscenderet. Prophetæ ergo propter indubitatã certitudinem rerum quas prædicunt, de his velut iam euenissent, aut certè tunc gererentur, ita concionantur & scribunt; vt nullus de euentu illarum ambigere possit aut debeat: nisi Spiritum sanctum qui per eos loquitur, tetra velit afficere contumelia. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia*, ait Petrus, *sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius.* Et in symbolo Nicæno profitemur omnes, *Spiritum sanctum locutum esse per Prophetas.* Non ergo vt hominum & quidem sanctorum solùm, verùm vt ipsius Dei Spiritus sancti verba & oracula eorum sunt attendenda & recipienda. 2. Pet. 1. Luc. 1.

Notandum quoq; in hoc vaticinio nullum annum, nullum mensem, nullum diem aut horam huius aduentus singulariter designari. Voluit namque Dominus illius articulum & nobis, & Prophetis, & Apostolis, imò etiam & Angelis ignotũ esse: vt omni momento nobis caueamus, ne imparati inueniamur. *De die illo, & hora*, inquit Dei Filius, *nemo scit, neque Angeli Dei. Vigilate ergo, quia nescitis diem, neque horam.* Reuelauit quidem plurima quæ aduentum illum antecedent: sed duo illis adiecit, quæ nos penitus abarcent etiam à coniecturis certis & indubitatis illius. Prior est: *oportet hæc fieri: sed nondum statim finis.* Posterior, *Propter electos breuiabun-* Matth. 24. Matth. 25.

tur

tur dies illi. Quis autem hominum, vel angelorum pro certo designare potest, quanto spatio sint aut prolongandi aut decurtandi?

Vide Irenæũ Lib. 5. ca. 28.

Opinati sunt plurimi Hebræi, Græci, & Latini futurum illũ beatissimum Christi aduentum immediatè post consummatũ huius mundi sextum millenarium; idque non contemnendis rationibus ac coniecturis constabilierunt. Sed reipsa standum est apertissimis Christi decretis: Huicque Iudicis sententiæ, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, &c. Item Apostolorum verbis illis: *Dies Domini vt fur* (id est, nullo cogitante aut sperante) *ita in nocte veniet*, &c.

Act. 1.

1. Thes. 5. 2. Pet. 3.

Errauerunt igitur turpissimè Osiander, Leonitius, Regiomontanus, Mariacolonus, alijque Astronomi, qui ob coniunctionem insignem quarundam stellarum ausi sunt præscribere, vel anno 1583. vel 1584. omnino ad futurum esse finem mundi, & glorioßissimum aduentum Filij hominis: vt etiam tempus ac euentus eos palã redarguit. Est etiam nõ modò irridendus, sed & acriter increpandus atque damnandus Martinus Lutherus, qui vt propheta à suis haberetur, vt etiamnum ab excæcatis & fascinatis ab eo multis habetur & vocatur: qui huius nouissimi iudicij tempus designare ausus est his verbis: *In Apocalypsi vsque ad equum album mundus peruenit, non diu restabit mundus, non vltra 100. annos.* Et non multo post, rursum se prophetam fingens, ait: *Si nunc dies extremus non venerit, nunquam certè veniet.* Hæc autem dicebat circa annum Domini 1538: cùm hæc autem scribo, annus 1595. volutur: ergo iam annorum quin-

Tom. 1. Colloq. fo. 48. & Fol. 77.

qua-

quaginta & sex spatio ostensa est falsitas huius vaticinij; vlteriusque posteris nostris patebit, quàm pseudopropheta fuerit. Enimuerò sicut in diebus Noë homines edebant, bibebant, epulabantur, nubebant, &c. & non cognouerunt donec veniret diluuium: ita erit & hic aduentus. Et sicut angelus exterminator media nocte, grauissimo somno depressis omnibus, irruit in primogenita Aegyptiorum, & Israëlem seruauit: sic & Iudex omnium clam nobis omnibus venturus est. *Matth. 24.* *Exod. 12.*

Sed quis iste Iudex? Proculdubio Iesus Christus Dei & Mariæ filius: de quo hîc dicitur, *Venit Dominus.* Is enim est ad quẽ exclamauit Thomas: *Dominus meus, & Deus meus.* Qui & de seipso ait: *Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Eodem epitheto designatur in fidei nostræ symbolis, *Et in Iesum Christum Filium Dei vnicum Dominum nostrum.* Sic & in symbolis Athanasij & patrum Nicænorum. In singulis ferè scriptorum suorum paginis eodem nomine vocant eum Apostoli. *Ioan. 20.* *Ioan. 13.*

Multis autem de causis magis decuit Filium in glorioſa humanitate ad iudicium venire; quam Patrem in forma senis, aut Spiritum sanctum in specie columbæ; aut ignis, aut flatus vehementis, quibus modis aliquando seipsos manifestasse leguntur. Primò, quia solus Filius homo factus, in ea forma Euangelium annunciauit, omnes ad fidem cæteraſque virtutes adhortatus, cunctos redemit, & ad cælestia regna inuitauit: igitur decet vt & in eadem forma à cunctis rationem verborum, cogitationum, & operum exigat: pios secum coronet in *Dan. 7.* *Matt. 3.* *Act. 2.*

regno,

regno, impios supplicijs æternis tradat & plectat.

Secundò, quoniam sua submissione, exinanitione, passione, & morte hanc sibi authoritatem & gloriam meruit, & accepit à Patre suo dicéte Apostolo: *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur.* Item: Propter hoc quod humiliauit semetipsum vsq; ad mortem crucis, exaltauit illum Deus Pater, & dedit illi nomen, &c. Ideo de hac potestate accepta concionatur: *Data est mihi omnis potestas, &c.*

Rom. 14.

Philip. 2.

Matth. 28.

Tertiò, quia per eum tanquam per coæternam virtutem & sapientiam suam Pater condidit omnia, decet vt per eundem illa omnia terminet & instauret. Nam *per ipsum omnia facta sunt.*

Ioan. 1.

Quartò, vocatur, & reipsa est λόγος, id est, Verbum, sermo, & ratio Patris, simulque equitas & iustitia eius. Ideo dicitur: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, &c.*

Ioan. 5.

Hæc porrò incredibili consolatione ac lætitia perfundere atque reficere debent piorum animos, quando sibi persuaserint sese hunc habituros iudicem, qui reuera ipsorum est aduocatus, mediator, pastor, frater, atque os de ossibus, & caro de carne sua. Hac recreatus consolatione Paulus exclamat: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Quis est qui condemnet? Christus Iesus mortuus est, resurrexit, & sedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis, &c.* Sed quo consessu stipatus veniet iste Iudex?

Rom. 8.

Venit

Venit Dominus in sanctis millibus suis.

NON solùm veniet, inquit, cum corpore glorioso, diuinaque maiestate: sed & innumerabiles Angelorum, Archangelorum, &c. myriades; quotquot etiam tunc erunt beati Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Pœnitentium spiritus, è cælis cum ipso aduenient: vt cæleste tribunal eius honorent, atque summam iudicij eius æquitatem suis sententijs comprobent. Hæc sunt vetera Prophetarum oracula, hæc Patriarcharum fides, hæc diuina religio, de qua etiam ante diluuium vaticinatus est Enoch. De hoc Iudicis nostri satellitio ait etiam Dauid: *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Aduocauit cælum desursum, & terram, &c.* Id est, cælestes simulq; terrestres creaturas rationales. Hoc idem docuit etiam Isaias dicens: *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.* Daniel quoque ait: *Millia millium ministrant ei, & decies centies centena millia assistunt ei.* Zacharias præterea: *Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti eius cum eo.* Denique omnium euidentissimè idem venturus Iudex Dei Filius: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, &c.*

Psalm. 49.
Isaiæ 3.
Dan. 7.
Zach. 14.
Matth. 25.

Pios itaque Christianos non conturbet nunc ingens numerus Turcarum, paganorum, apostatarum, hæreticorum, schismaticorũ, reproborum. *Nolite timere pusillus grex, &c. Contendite intrare per angustam portam, &c.* Veniet dies, in qua Dominus omnes suos colliget, ac ostenta-

Luc. 12.
Matth. 7.

bit turbam illam Sanctorum suorum, quam dinumerare nemo poterit: atque vnà cum ipsis nos quoque apparebimus. Festinemus ingredi in illam requiem, &c.

Apoc. 7.
Heb. 4.

Puta quoque, si tantis copijs stipatus Iudex noster aduentabit, quis impiorum ac tyrannorum poterit manus eius effugere? Quis conspectum eius latere?

Verùm, emergit quæstio, CVR SANCTORVM animæ, quæ iam cælesti gloria in cælis perfruuntur, in terram descensuræ sint ad locum iudicij? Quatuor à Theologis huius rei adferuntur rationes. Prima, vt perfecta resurrectione resumant propria corpora sua, eisdemque vitam beatam, glorioſam & cælestem impartiantur: sicut anima Christi in die resurrectionis propriam carnem resumpsit & glorificauit. Hanc fiduciam sibi alta mente infixã fuisse, etiam sub lege naturæ significat beatus Iob, cùm ait: *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum.*

Iob 19.

Secunda, vt in ijsdem corporibus ac membris, quibus multas persecutiones, grauissimaque tormenta pro nomine Christi ab impijs pertulerunt, suas laudes virtutesque à Christo celebrari & prædicari cum incredibili gaudio & exultatione conspiciant. Dicet enim rex his qui à dextris eius erunt: *Esurijui, & dedistis mihi manducare, &c. Beati qui persecutionem passi sunt propter iustitiam. Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, &c. Tunc laus erit vnicuique à Deo. Gloria & honor omni operanti bonum.* Huius rei speci-

Matth. 25.
Luc 22.
1. Cor. 4.
Rom. 2.

men

men Christus iam aliquando demonstrauit, pietatem beati Martini coram Angelis suis prædicans: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. *Sulpitius.*

Tertia, vt perfectam consummatamq; mercedem in carne, per dotes agilitatis, subtilitatis, claritatis, impatibilitatis, & immortalitatis recipiant. Nunc enim altera tantùm stola induuntur, id est, animi gloria: tunc duplicem recipient. *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem: & corruptibile induere incorruptionem.* Hinc Paulus magna spe exultans ait: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus mortalitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, &c.* *Apoc. 6.* *1. Cor. 15.* *Philip. 3.*

Quarta, vt quilibet Sanctorum totus ac integer cum Christo elatus in aëra, consensione & approbatione iudicet omnes impios, atque collætentur de æterna aduersum illos vltione. Ideo namque Paulus confidenter interrogat: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* Et Dauid ait: *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, & manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Et dicet: Vtique est fructus iusto: vtique est Deus iudicans in terris.* Non quod Sanctos delectet afflictis, ac miserijs aliorum insultare: sed quod Dei summam æquitatem & veritatem sint laudaturi. Hinc rursum Psaltes: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & cæt. Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Et Sapiens: *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, &c.* *1. Cor. 6.* *Psalm. 57.* *Psalm. 149.* *Sap. 3.*

ALIA rursum oritur quæstio. Quamobrem quoque oportebit omnes beatos Angelos, & Christo iudici, & iudicio eius generali adesse? Respondent Theologi, istud expediens ac decens esse, quoniam & per ipsum Dei filiũ sunt creati, eiusdemque præuisis meritis & à lapsu preseruati, & in gratia gloriaque confirmati. Is namque, vt ait Bernardus, qui erexit hominem lapsum, dedit Angelo ne caderet. Itaque vt milites regem comitantur, & serui Domino suo ministrant: sic oportebit illos adesse Christo, cùm præcipuam regni sui gloriam adibit, & hostes omnes ponet *scabellum pedum suorum*: id est, perfectè omninoque subiectos sibi faciet.

Serm. 22. in Cantica.

Psalm. 109.

Multa verò eaque clarissima & præstantissima erunt Angelorum circa electos eo tempore officia. Primò namque suis manibus angelicis colligent cineres, ossa, membraq; Sanctorum ex omnibus locis, in quibus dispersa fuerãt, & coaceruabunt, coaptabuntque ordinibus suis ad resurgendum. Nam Christus ait: *Angeli congregabunt electos à quatuor angulis terræ, à summis cælorum vsq; ad terminos eorum. Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.* Ad hoc etiam pertinere putant illud Dauidis: *Custodit Dominus omnia ossa sanctorum, vnum ex his non conteretur*, id est, non perdetur, non deerit integritati corporis. Item & istud Euangelij: *Omnes capilli vestri numerati sunt, vnus ex eis non peribit.*

Matth. 24.

Psalm. 33.

Luc. 12.

Secundò, clarissimo & acutissimo tubarum clangore toto Orbe personabunt, & ad tribunal Christi omnes bonos & malos conuocabunt: vt his verbis docet Apostolus: *Omnes re-*

1. Cor. 15.

surgemus

surgemus in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Et iterum: *Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.* 1. Thess. 4. Hic sonus in Euangelio vocatur vox Filij Dei, quoniam eius nomine & potestate personabit. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei.* Ioan. 5. Hanc omni momento præstolari se dicebat Hieronymus scribens: Ego diebus ac noctibus operior cum tremore reddere nouissimum quadrantem: & quod Dominus mihi dicat: Hieronyme, veni foras. Epist. ad Florentium.

Tertiò, cunctis ad locum iudicij perductis, Iudicis authoritate separabunt malos de medio iustorum, sicut sub noctem pastores segregant oues ab hœdis: & statuent illos à dextris, istos autem à sinistris. Matth. 25. Sic etenim serui patris familias è medio tritici alligant zizania in fasciculos ad comburendum. *Mittet quippe Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitates, &c.* Matth. 13.

Quartò, lata aduersus reprobos postrema sententia, *Ite maledicti, &c.* quasi diuinæ iustitiæ ministri ac executores, illos propellent à conspectu Domini, & facie Sanctorum, in barathrum atque voraginem damnationis æternæ. Matth. 25. *Mittent eos,* ait Christus, *in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium.* Matth. 13.

Quintò, Sanctos in suis ordinibus iuxta meritorum rationem susceptos, sursum eleuabunt in cælos, secumq; perducent in vitã & gloriam sempiternam. *Rapiemur,* inquit Apostolus, ministerio certè angelico, *in nubibus obuiam Christo, in aera: & sic semper cum Domino erimus.* Sic Christus 1. Cor. 15.

Actor.1. homo dicitur ascendisse in iubilo, exultatione, & voce tubæ: concinentibus profectò ac
Psalm.67. exultantibus Angelis. In huius rei argumen-
Luc.16. tum, Lazari anima perhibetur portata ab Angelis in sinum Abrahæ, id est, locum consolationis & quietis.

Postremò, vnà cum omnibus Sanctis hominibus eâdem diuina visione fruentes, sonoris clarisque vocibus laudabunt. Viuentem in sæcula sæculorum. De qua re exultans canit Da-
Psalm.83. uid: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula*
Psalm.149. *sæculorũ laudabunt te.* Et rursum: *Exaltationes Dei in gutture eorum, &c.* Scribitur quoque in Apoca-
Apoc.19. lypsi, q̃ in cælis perpetuò canitur, *Hallelu-ia.*
Isaiæ 6. Auditæ sunt etiam voces Seraphinorum cantantium, *Sanctus, &cæt.* Concludam itaque hæc
Manualis cap.34. pia religiosaque Augustini adhortatione: Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama & desidera vnicum bonũ, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Si delectat pulcritudo: fulgebunt iusti sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas: erũt similes angelis Dei. Si lõga aut salubris vita; ibi erit sana æternitas, & æterna sanitas. Si satietas: satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini. Si ebrietas; inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Si melodia: ibi Angeli concinent sine fine Deo, &c. Sed ad Prophetiam Enoch de iudicio & Iudice totius mundi redeundum est.

Veniet

Veniet facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt: & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.

NVNC quarto loco describunt tam Propheta quàm Apostolus, quid facturus sit Christus mundi Iudex in postremo suo aduentu. De hoc namque differunt, non de primo, in quo non venit vt iudicaret mundum: sed vt saluaretur mundus per ipsum. Dixit enim: *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem.* Venit vt agnus mansuetus ad occisionem. Venit vt à Iudæis accusaretur, à Iuda proderetur, à suis relinqueretur, à Pontificibus irrideretur, à Pilato damnaretur, & à militibus pro nobis omnibus crucifigeretur. Secundò autem ac postremò veniet vt leo de tribu Iuda, impijs terribilis, pijs iucundus & amabilis. Veniet positurus inimicos suos scabellum pedum suorum, & vt vnà cum electis ac sanctis suis glorioſissimus regnet in sæcula sæculorum. Aiunt ergo hi diuini Scriptores, *Veniet facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios*, tam de sceleribus quæ patrauerunt; quam de impuris, impijs, & blasphemis verbis, quæ nimis contumaciter aduersus Deum, perfectiones, opera & religionem eius locuti sunt. Siquidem seductores illi, non tantùm sceleratæ vitæ exemplis, sed etiam peruersis aduersus fidem Catholicam concionibus plurimum nocebant.

Ioan. 3. Ioan. 12. Isaiæ 53.

Hîc primùm obseruat Oecumenius, latum esse discrimen inter hominem impium, & hominem peccatorem: eo quod impius propriè dicatur, qui proximè aduersus Deũ peccat, vt qui Deum negat omnipotentem, infinitè bonum, iustum, misericordem: qui blasphemat: aut qui fidem, ac Ecclesiam eius deserit, vt ad hæreticos aut alios infideles transeat. Peccator verò dicitur, qui circa ea quæ in vitæ conuersatione agenda sunt, à iustitiæ scopo aberrat: vt qui inebriatur, qui irascitur, furatur, scortatur, &c. Consentit Augustinus scribens: Omnis impius peccator est, non tamen omnis peccator impius. Et rursum: Impietas propriè est apostatare à Deo, verum Deum non colere, aut nunquam coluisse, aut quem colebat dimisisse. Iterumque: Peccatorum multitudo non adducit in desperationem: sed impietas. Et propterea Salomon non dixit: quia omnis qui venerit in profundum malorum contemnit: sed *Impius*, inquit, *si venerit in profundum malorum, contemnit*. Subscribit & his verbis Gregorius: Peccator, vt Dauid, dici potest etiam qui in fide pius est. Vnde Ioannes ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. impius verò propriè dicitur, qui à religionis pietate separatur. Itaque impij verè sunt omnes schismatici, qui ab Ecclesiæ vnitate præcisi sunt: omnes hæretici, qui aduersus Christiana dogmata sentiunt: omnes apostatæ, Turcæ, Iudæi, infideles, &c.

Augustin. in Psalm. 1.
In Psal. 50.
Serm. 181. de temp.
Prouerb. 18.
Lib. 25 Mor. cap. 10.
1. Ioan. 1.

Obseruandum secundò, iudiciũ Christi non esse futurum contra pios & electos: sed potius pro eorum perfecta redemptione, consolatione, at-

ue, atq; glorificatione. Et ideo postquam Propheta & Apostolus dixerunt, *Veniet Dominus vt faciat iudicium contra omnes*, ne quis hoc etiam ad pios & sanctos torqueret, continuò quasi verba sua exponentes addiderunt: *venit arguere omnes impios, &c.* Illo enim tempore omnes pij ac electi erunt cum Christo beatè ac gloriosè sublimati in nubibus: & ipse nec terrebit, nec coarguet illos: sed potius consolabitur, laudabit, & glorificabit, dicens vnicuique eorum: *Euge, serue bone ac fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Tanquam sponsus, eos vt prudentes virgines admittet secum ad nuptias vitæ cælestis. Vt prudens œconomus purum triticum in horreum suum congregabit. Etenim de prædestinatis ac electis suis pronunciauit: *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit in eum qui me misit, habet vitam æternam: & in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitam.* Quis autem Filio Dei tam sanctè in gratiam nostram iuranti, non credet? Quicunque ergo regnum Dei aduenire seriò desiderat; integramque & beatam Sanctorum omnium societatem non solùm videre, sed etiam eidem interesse ex animo cupit, non potest non ingenti gaudio perfundi in dulcissimarum & suauissimarum istarum promissionum meditatione & recordatione. Idcirco à Paulo vocatur, piorum beata spes. Item, eos omnes secum diligere aduentum Domini. His accensa sponsa cum dilecto Discipulo dicit: *Veni Domine Iesu.*

Matth.25.

Matth.13.

Ioan.5.

Tit.1.
2.Tim.4.
Apoc.22.

Tertiò notandum, illud ipsum iudiciũ econtrario futurum supra quá dici aut cogitari potest, omnibus impijs ac reprobis horrendum

ac terribile. Seuerè namque examinabit illos æquissimus Iudex coram omnibus angelis ac electis suis, de cunctis malis cordium cogitationibus ac desiderijs, linguarum verbis, ac manuum operibus. Rursum ab ijsdem reposcet rationem de intellectu, voluntate, atque memoria: de visu, tactu, olfactu, gustu, auditu: de commissis & omissis: de præceptis primæ & secundæ tabulæ: de septem operibus misericordiæ tam corporalibus quàm spiritualibus: de septem peccatis mortalibus: de virtutibus Theologicis & moralibus: de peccatis tam corporeis quàm spiritalibus: siue aduersus Deum, siue aduersus proximos admissis, &c. Summa, vt hìc cum vetere Propheta docet beatus Apostolus, *Dominus arguet impios de omnibus operibus impietatis ipsorum; & de omnibus verbis duris, quæ locuti sunt contra Deum.* Quod verò tunc illis supererit effugiũ? quæ latebræ? aut quales excusationes? Quæ preces, quæ lacrymæ, quæ pœnitentia illis prodesse valebit?

Nam accusabuntur & conuincentur omni ex parte, innumerabilium scelerum atq; blasphemiarum: ac primò quidem authoritate Iudicis, quem nihil latere potest, quoniam *omnia nuda sunt ante oculos eius. Nouit omnia etiam antequam fiant. Qui & tunc reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: eritque testis & Iudex.* Deinde, arguentur à bonis Angelis humanarum actionum spectatoribus ac testibus. Dicent enim: *Curauimus Babylonem, & non est curata.* Insuper, à dæmonibus, qui & vocantur, *Accusatores fratrum.* Ad hæc, etiam à Sanctis omnibus; qui tunc stabunt in magna constantia aduer-

Hebr. 4. *Dan. 13.* *1. Cor. 4.* *Ierem. 29.*

Ierem. 51.

Apoc. 12. *cap. 5.*

aduersus eos qui se angustiauerunt. Et quidem de Mose Christus Iudæis dixit: *Est Moses qui accusat vos, Moses in quem speratis.* Ioan.5. Criminabuntur quoque pseudochristianos istos viri Ethnici: vt Christus Iudæis est comminatus, *Viri Ninivitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem istam pravam.* Matth.12. Inde Augustinus: Tot iudicibus.i- nops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla. Tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus &c. In crimen rursum vocabũt hæresiarchas, quotquot horũ libellis, concionibus & prauis exemplis à vera fide & vitæ cælestis tramite ad errores tenebrasque tam interiores quàm exteriores abstracti fuerint. Lib. Medit. cap.4. Hoc ipsum Epulonis trepidatio de fratrum suorum, quos verbis & exemplis perdiderat, damnatione, satis confirmat. Et quod Hieronymus de vno Ario dixit, pœnam videlicet eius apud inferos nondum esse terminatam; hoc ipsum de Vigilantio, de Aërio, de Iouiniano, de Berengario, deque cæteris hæresiarchis pro certo credendum & prædicandum est. In epist. ad Galat. Traducent denique impios ac pseudoprophetas propriæ conscientiæ, ipsaque eorum cuncta mala opera. Ait enim Iudex: *Arguam te, & statuam contra te faciem*, id est, conscientiam, *tuam.* Item: *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* &c. Qui de his ampliora cupit, consulat B. Ephrem, Libro de pœnit. & iudicio, cap. 4. 5. 6. Item libro de angustia animæ; & Serm. de secundo aduentu Domini. Psal.49. Ierem.2.

Ne

Ne verò quis existimet superius dicta, esse humana inuenta, aut vana quædam conscientiarum terriculamenta, subijcere libet quædam veterum Prophetarum certa diuinaque prorsus testimonia, quibus illa confirmentur. Isaiæ 30. & 66. *Ecce nomen Domini*, inquit Isaias, *venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Et idem rursum: *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius.* Et per Ierem. sic Dominus loquitur: *Reddam eis secundùm opera eorum, & secundùm facta manuum suarum.* Item per Ezechielem: *Iuxta vias tuas, & iuxta adinuentiones tuas iudicabo te.* In Sophonia comminatur: *Scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Et per Nahum: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Per Ioêlem denique dicitur: *Venit dies Domini, dies tenebrarum & caliginis. Dies nubis & turbinis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. &c.*

Ierem 25. Ezech. 34. Sophon. 1. Nahum. 3. Ioel. 2.

Horum autem omnium exemplis admonemur, vt & frequêter & feruêter de hoc vltimo futuro iudicio prædicemus, meditemur, & colloquamur; eiusdem terrores & horrores inculcemus cunctis filijs hominum: vt impios ad pœnitentiam reuocemus, bonos verò vt meliores fiant prouocemus & accendamus: etiam si totus contra nos fremeret aut insurgeret mundus. Chrysostomus satis apertè indicat quàm libenter ac fructuosè de illo concionaretur, cùm in hanc vocem prorumpit: Vtinam liceret hæc semper perpetuoque philo-

Hom. 2. de Lazaro.

philosophari, ac de gehenna loqui. An non verò in Euangelio, & scriptis Apostolorum, & creberrimæ & celeberrimæ extant de his conciones?

Neque prætereundum est, in hoc extremo iudicio examen futurum esse, *de omnibus impiorū operibus, verbisque duris*, id est, contumeliosis & blasphemis, quæ aduersus Deum, Sanctos, Ecclesiam, & Sacramenta illius euomere non timent hæretici; & non de sola fide, aut infidelitate, vt ijdem impiè garriunt: quasi vel per illam solam homines iustificarentur, aut propter istam duntaxat damnarentur. Est namque apertissima de operibus Filij Dei sententia: *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5. Nec dissimilis fuit hæc prædicatio Apostoli: *Reddet vnicuique Deus secundùm opera eius. Iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati,* (continget) *ira & indignatio.* Rom. 2. Procul ergo amandandi sūt Lutherani & Caluiniani solius fidei assertores; & Paulus audiendus, cùm dicit: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: suo enim tempore metemus.* Galat. 6.

Notandum postremò, vltimam iudicij sententiam, nec ab alio, nec aliter pronūciandam esse, quàm præscribitur ab ipsomet Iudice ac Filio Dei; quem hic Propheta & Apostolus vocant *Dominum. Dicet*, inquit ille, *Rex his, qui à sinistris eius erunt: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Matth. 25. Miserabile sanè, infame, & turpissimum consortium. *Ite* à vita, in mortem:

mortem: à præsenti lumine, ad tenebras interiores & exteriores: à mundi felicitate, qua hi mium abusi estis, ad sempiternas inferorum miserias. *Maledicti* à Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto: ab Angelis & Archangelis: & ab vniuersa Ecclesia iustorum. *Ignem*, qui semper ardebit, nunquam lucebit: perpetuisque ardoribus corpora & animas vestras cruciabit. *Aeternum*, quoniam nullum finem, nullamque relaxationem in vestris cruciatibus percipietis.

Lib. 21. ciu. cap. 9. De his Augustinus scribit: Quod de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet omninò, fiet: *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Et poster

Cap 10. Apoc. 19. & 20. Gehenna illa, quæ etiam stagnum ignis & sulphuris dicitur, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum cum spiritibus: dæmones autem spiritus sine corporibus habentes sument pœnam. Et rursum idem alibi: *In Psal. 49.* Minis æterni ignis prohiberis à malo, & inuitaris ad bonum. &c.

16. *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiã, mirantes personas quæstus causa.*

REdit Apostolus ad superius intermissam descriptionem notarum, quibus deprehendi debent Hæresiarchæ, seductores animarum, vt singularius & clarius agnoscantur hi, quia iuxta prophetiam Enoch, sunt olim iudicandi, & nunc ab ouibus Christi vt lupi graues penitus euitandi. Vult ergo B. Apostolus: Iam septem notis descripsi vobis Carissimi, quales sint pseudoprophetæ hostes fidei vestræ, & salutis proditores: nunc vt plena perfectaq; fiat illorum descri-

descriptio atq; figura, sex alias rursũ accipite, vt plenè cognitos ipsos longissimè fugiatis.

Prima est, quòd *hi sunt murmuratores*. Quoniam veram hominis beatitudinem, in corporis voluptate ac huius vitæ felicitate constituunt, si quid incommodi aut afflictionis acciderit, iniquissimo animo ferunt. Nam murmurant in Deum, accusant eius prædestinationem, prouidentiam, iustitiam, bonitatem: quasi non satis sapienter ac iustè cuncta in hoc mundo administret. Murmurant in Apostolos, & pastores Ecclesiarum, quòd eos nimijs cæremonijs, obseruationibus, & traditionibus onerent; nec sinant quiduis pro libertate carnis agere. Obloquũtur Præfectis à Deo pro correptione immorigerorum constitutis, quòd tyrannidem in conscientias hominum exerceant: & instar Core, negant eis obtemperandum esse. &c.

Notandum autem, Murmurationem esse iniustam querelam contra eos qui prẽsunt, de his quæ patienter ferenda sunt. Et Murmuratores præsertim eos appellari, qui secretò, aut Deo Omnipotenti, aut proximis suis maledicunt. Hoc autem peccatum grauissimum & periculosissimum esse probant multoties murmurantium Iudæorum exempla. Enimuerò Deo obloquentes, quòd non daret eis panes, in saturitate, quòd aquas non haberẽt, quòd diutius eos in desertis retineret & conficeret; varijs propterea flagellis cæsi & cladibus affecti fuerunt. Deinde, aduersus Mosem & Aaronem murmurantes & insurgentes, *perierunt*, inquit Apostolus, *ab exterminatore*: quod nobis in exemplum vult cedere, *ne murmuremus sicut quidam*

Exod.16. & 17. *Num 11.* *Exod.14.* & 15. *Num.21.* *1.Cor.10.*

quidam eorum murmurauerunt. Legitur quod Aaron & Maria soror eius murmurauerunt contra Mosem, sed ilicò temeritatis ac obtrectationis suæ pœnas dederunt. Murmurauerunt initiò vocati viticolæ aduersus patremfamilias, quòd serò vocatos eis in pretio pares fecisset: deinde, & Pharisæi contra Christum, quòd cũ publicanis & peccatoribus ederet: sed continuò eius rei causa coarguuntur. Iure itaque monet vniuersos Sapiens: *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest: & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuũ non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam.*

Num 12.

Matth.20.

Luc.15. et 19

Sap.4.

Veteres porrò Gnosticos Deo vero plurimis modis obtrectasse nimis est clarum ac certum: quandò parens eorum Simon, ausus est summam se dicere Dei virtutem: & mundum ab Angelis suis fabricatum fuisse. Quid enim hoc aliud est, quàm eum mundi huius Creatorem, imò & Deum verum esse, plusquam diabolica impudentia negare? Vniuersum Valentini ac Valentinianorum Pleroma, quid aliud, quàm fœdissimum blasphemiarum aduersus Deum chaos iudicandum est? Et vt prætermittam plurima nefanda, quæ Menander, Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Marcion, & alij tam aduersus Deum Patrem, quàm Filium eius Iesum Christum euomere non timuerunt: satis sit hos impuros nebulones ab Irenæo censeri & appellari, *ora diaboli, ac idolorũ fabricatores*, propterea quod impudentius blasphemarent, quã ausus sit vnquam diabolus: imò & cum suis figmentis in abominandum idolum transformarent.

Tertull. libr. Præscript.

Iren. li 1. c. 1.

Iren li 1. ca. 12. & 29.

An

An non quoque Hugnoſtici aduerſus Deũ ora ſoluunt & obmurmurant, quando eum cum Caluino & Beza omnium peccatorũ proprie authorem ac effectorem dicũt? maioremque hominum partem deſtinatò creaſſe vt periret? Quando rurſum, eundẽ plurima nec poſſe intelligere, nec poſſe velle, nec poſſe facere; palam ſcribere ac prędicare non reformidant? Sed veniet, veniet certè Dominus, & iudicio ſuo coarguet tam tetras ſceleſtaſque murmurationes.

Inſt. l. 1. c. 18. ſect 16. Aphoriſ. 6. In cap. 9. ad Rom. verſ. 17. & 18.

Sunt queruloſi.

SEcunda eſt hæreſiarcharum nota, qua refertur illorum odioſa moroſitas. Nunquã ſua ſorte contenti ſunt, & ideo velut conqueruntur de Deo, quaſi illis magnam iniuriam feciſſet, quòd eos vel ſummos Pontifices, vel Apoſtolos, vel Angelos non produxerit. Queruntur de prefectis, quod nimis duriter imperent: de inferioribus, quod ipſis nõ ſatis demiſsè obſequantur: & de æqualibus, quòd eos non ſatis honorent. Sunt amatores contentionum, & ad omnem ſeditionum occaſionem diſſeminandam paratiſſimi. An non hoc manifeſtè patuit in Iudæ proditoris, primiſque ſacramentarij hæretici, querelis aduerſus Chriſtũ, & Magdalenes vnctionem? Paulus quoque Pſeudoapoſtolos clarè deſignat, dum iubet obſeruare, id eſt fugere illos qui diſſenſiones & offendicula faciebant inter Chriſtianos. Querelas porrò Marcionitarum aduerſus Deum, qui in veteri teſtamento ſeſe patefecerat, quis enarraret? Aut Arij aduerſus Athanaſiũ: Neſtorij aduerſus Cyrillum: aliorumq; veterum Gnoſti-

Matth. 26. Luc. 22. Rom. 16.

corum aduersus patres Orthodoxos, & Oecumenica concilia? Lutheranorum & Caluinianorum libelli pleni sunt querimonijs de corrupta à sanctis Patribus doctrina Apostolica, de sacramentorum administratione depraua-ta, de Conciliorum ac Pontificum nimia authoritate, de Imperatorum ac principum Catholicorum tyrannide, &c.

Obseruandum autem cum Tertulliano, impatientiam omnium istarum querelarum fontem & parentem esse: nec solùm hoc loco à B. Iuda vt peccatum reprehendi: verùm etiam in cunctis alijs scripturarum locis, quibus contraria ei virtus Patientia commendatur. Nec abs re sanè commendantur in sacris Zacharias & Elizabet, quod essent sine querela, custodientes iustificationes Domini. Et Paulus quibusdam præcipit, vt omnia facerent sine murmuratione & querela, vt decet simplices filios Dei.

Li. de patien.

Luc. 1.

Philip. 2.

Iuxta concupiscentias suas ambulantes.

TErtia nota. Sunt carnis mancipia, & serui voluptatum suarũ, incedentes sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Explent quicquid voluptati arridet, nihili facientes aut voluntatem, aut præcepta Dei. Oderunt ieiunia, omnem abstinentiam à carne & vino reijciunt, vigilias refugiunt, virginitatem æquant matrimonio, vitam castam & cœlibem penitus auersantur: quòd hæc omnia contraria sint carnis delitijs & voluptatibus. Summa, inimici sunt crucis Christi, horumque Deus vẽter est. Huiusmodi certè fuerũt Gnostici, de quibus

Philip. 3.

quibus scribit vir Apostolicorum temporum Irenæus: Intimoratè omnia quæ vetantur agunt, de quibus scripturæ confirmant, quoniam qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt. Idolothytà indifferenter manducant. Quidam autem & carnis voluptatibus insatiabiliter inseruientes, carnalia carnalibus, spiritalia spiritalibus reddi dicunt. Et quidam quidem ex ipsis clam eas mulieres quæ discunt ab eis, corrumpunt: alij verò & manifestè, ne quidem erubescentes quascunque adamauerint à viris suis abstrahentes, suas nuptas faciunt. &c. De Hugnosticorum impudicis moribus diximus superius. &c. *Lib. 1. cap. 1.*

Contrà verò, cælestis doctrina prohibet secundùm prauas carnis concupiscentias ambulare, sub æternæ mortis interminatione. Vniuersæ hominum, belluarũ, & auium species diluuio pæne deletæ sunt, quòd omnis caro corrupisset viam suã. *Debitores quidem sumus carni*, ait Apostolus, *sed non vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu desideria carnis mortificaueritis, viuetis.* Et rursum: *Carnis curam ne feceritis, in desiderijs, &c.* *Gen. 7.* *Rom. 8.* *Rom. 12.*

Et os eorum loquitur superbiam. Græcè, *superba, vel tumida.*

QVarta nota est, qua significatur illos esse superbos atque tumidos. Sumpta est autẽ ex Psalmis, in quibus de hostibus Dei ac Ecclesiæ eius dicitur: *Os eorũ locutũ est superbiã.* Vult itaq; dicere Apostol. Quoties Seductores isti de rebus diuinis, aut virtutibus loquũtur, *Psalm. 16.*

id quod non rarò faciunt, nihil modeſtum vel temperatum loquuntur: ſed ſuperba, magnifica, ſeſquipedaliaque verba effutiunt, ſeipſos faſtuosè iactant, omnia ad vanam propriamq; gloriam componunt. Crepitant obſcura quædam de æterno Dei conſilio, præſciētia & predeſtinatione: de cœna ſupercæleſti, de iuſtificatione, & de fidei energia. Superbas cogitationes animo pertractant, vt ædificatores turris Babel: ponunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſit in terra, dicentes: *Linguam noſtram magnificabimus, quis noſter Dominus eſt?* Se ſolos iactant eſſe ſapientes, ſe ſolos veritatis aſſertores, ſolos euangelicos & reformatos, & ſolis ſectæ ſuę hominibus cælos patere: cæteros omnes cæcos, ignorantes, perditos. Ecquid mirum, cùm parens horum ſolium ſuum extollere voluerit ſuper thronum Altiſſimi? Filius denique perditionis, in quo omnem ſuam (vt ait Irenæus) recapitulabit iniquitatem & ſuperbiam, eleuabit & magnificabit ſe aduerſus Deum; & aduerſus Deum deorum locuturus ſit magnifica?

Gen.11. *Pſalm.11.* *Iſaiæ 14.* *Lib.5.* *Dan.11.*

Hāc porrò ſuperbiæ & arrogantiæ notā prioribus ac poſterioribus Gnoſticis apprimè cōuenire facillimum erit oſtendere. Simon illorum princeps, vt Irenęus teſtatur, docuit inter Iudęos ſemetipſum eſſe; qui quaſi Filius Dei apparuerit; in Samaria, quaſi Pater deſcenderit, & in reliquis gentibus quaſi Spiritus ſanctus aduētauerit. Eſſe autem ſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum qui ſit ſuper omnia Pater. Et ſub Claudio Cæſare, ſtatua Romæ publica inſtar Dei honoratus eſt. Menander huius ſucceſ-

Lib.1.ca.20. *Cap.21.*

ſucceſſor aiebat ſe eum eſſe, qui miſſus ſit ab inuiſibilibus, Saluatorem pro ſalute hominũ. Notum eſt quoque illos tumidis & obſcuris verbis vſos eſſe ad ſtuporem audientium, & ſuiipſorum admirationem ciendam, vt idem Apoſtolicorum temporum ſanctus vir non ſemel conqueritur. Prorſus etiam ſuperba & magnifica de ſeipſis ſenſerunt & loquuti ſunt Apelles, Montanus, & Manes, quando ſeſe pro ipſomet Spiritu sãcto Apoſtolis promiſſo pro teruè venditarunt. &c. *Cap. 18. 23. 33. 34.*

Poſteriorum verò Gnoſticorum pluſquam Thraſonicam iactantiam & ſuperbiam, vel de eorum duce Luthero, ex proprijs eius verbis colligamus. *Ego*, inquit, *aduerſus dicta Patrum, & Angelorum pono Euangelium*: hoc ſpecioſo nomine tetras hæreſes ſuas intelligens. *Hìc ſto, hìc ſedeo, hìc glorior, hìc triumpho, hìc inſulto Papiſtis, & omnibus dictis hominum, quantumlibet ſanctorum. Nihil curo ſi mille Cypriani, mille Auguſtini, mille Eccleſiæ contra me ſtarent. Nolo doctrinam meam iudicari à quocunque, nec ab Epiſcopis, nec ab Angelis omnibus &c.* Quid per Deum rogo, eſt *loqui ſuperbiam, loqui tumida & arrogantia, ſi iſtud non eſt?* Audi & aliud eiuſdem ſuperbiſſimum, & plane pleneque Satanicum ad Catholicos omnes reſponſum: *Depoſite quicquid armaturæ ſuppeditant Veteres Orthodoxi, Theologorum ſchola, authoritas Conciliorum & Pontificum, conſenſus tot ſeculorum, actorius populi Chriſtiani. Nihil recipimus, niſi Scripturas, ſed ſic vt penes nos ſolos ſit authoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc ſenſit Spiritus ſanctus: quod aſſerunt alij, quamuis magni, quamuis multi, à Spiritu Satanæ, & alienata mente profectum* *Lib. adu. Regem Angliæ.* *Ioan. Auri. faber in Colloq Lutheri.*

est. Quis Arius aut Nestorius, imò Iulianus, vel Maometes magis superba loqui potuit? Aut quis Antichristus vel Lucifer potiora sibi tribuere, quàm hîc excucullatus & desertor? Suis ergo coloribus, & Apostolico penicillo cum suis depictus est Lutherus plusquam mille & quingentis annis antequam insaniret.

Mirantes personas, quæstus causa.

QVinta nota est, quod sint assentatores & palpones turpissimi. Siquidem *mirantur personas*, id est, multis & magnificis titulis, eos quos hæresibus suis inescare, aut inescatos retinere cupiunt, exornant. Illos ingenioſos, facundos, copioſos, historicos, philosophos, summosque repente Theologos appellant. Demirari se fingunt eorum diuinum prope ingenium, felicissimam memoriam: & ad res eximias atque heroicas natos illos esse prædicant. &c. Et hîc quoque depictos esse ab Apostolo veteres hæresiarchas omnibus peruium est. Nam Marcus quidam inter Valentinianos non infimi nominis, honestas & purpuratas matronas in suam hæresim adducere tentans, blandiens eis (inquit Irenæus) dicebat: *Participare te volo meæ gratiæ, locus tuæ magnitudinis in nobis est, oportet nos in vnum conuenire, sume primùm à me & per me gratiam, adaptare vt sponsa sustinens sponsum suum, vt fiat quod ego, & ego quod tu. Ecce gratia descendit in me, aperi os tuum, & propheta.* &cæt. Cæteros prætermitto, vt quid de illiberali Hugnosticorum ingenio dicam. Notum est, vel ex vnius Lutheri

Lib. 1. cap. 9.

Lutheri nunc ad Carolum Quintum, mox ad Henricum Angliæ Regem, ac etiam ad Archiepiscopum Moguntinum dicatis libris, quàm seruiliter seipsos demittant, sordideque blandiantur ijs quos metuunt, vel à quibus sperant aliquam libertatem, vel commoditatem capere. Contra verò quàm sit intolerabilis eorum superbia, quamque imperiosè cuncta sibi arrogent, vbi nemo est qui eorum insolentiam reprimat.

Et ne de Gallicis hæreticis, velut acceptoresper sonarum sileamus, certè dum hæc scribebamus, inciderunt in manus duo libelli Gallico idiomate editi 1592. quorum vni *Panegyrici*, alteri *Parænetici* nomen inditum erat. In his tot honorum titulis, tot laudibus propemodum diuinis ornatur ab Hæretico scriptore, (non enim Catholicum eum esse mihi vnquam persuasero) tot inquam encomijs super omnes huius mundi Reges, super omnes deos gentiũ, super sanctissimos Reges ac Imperatores Ludouicos, Henricos, Carolos, Theodosios, Valẽtinianos, Constantinos; quinetiã Machabæos, Iosias, Dauides, Iosueos & Abrahamos, imò & super ipsos omnes sanctos extollitur Princeps ille, de quo scirbunt, vt nihil magnificentius, nihil sublimius de illo scribi, aut dici valeat. Sic posteriores Gnostici à prioribus didicerunt *mirari personas, quæstus gratia*. Contrà verò, cùm mox à cęde Bartholomeana, Missam ille ad tẽpus cũ Catholicis adiret, tot eundẽ modis deformauerunt, toties eũ atheismi, epicureismi, sardanapalismi, tyrãnismi, & si quid adhuc excogitari posset turpioris notę,

In Excitatorio matutino

publicis etiam scriptis criminati sunt, vt fœdius nihil esset, &c.

Ab istiusmodi autem palponibus iubet nos Spiritus per Dauidem & Salomonem penitus abhorrere. *Corripiet me*, inquit ille, *iustus in misericordia, & increpabit me*, sicut probè fecerunt Nathan & Gad: *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Hoc præclaris exemplis confirmauit, quando qui in gratiam eius iactabant se occidisse Saulem & Miphibosetum, iussit illicò percuti gladio. Hic verò cunctos admonet: *Fili, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula blandientis, &c.* Sed quorsum tot hæresiarcharum blanditiæ, & assentationes?

Psalm. 140.

Prou. 1. et 6.

Quæstus causa, inquit.

SEXTA ergo nota dicuntur auari, & turpis lucri cupidissimi. Cauponantur verbum Dei, ac instar Iudæ apostatæ & proditoris, Christum, id est, verbum Dei & Ecclesiam Catholicam tradere sunt parati, dum eximij alicuius emolumenti spes affulget. *Diligunt munera, sequũtur retributiones, sunt socij furum, & iustificant impios pro muneribus.* Ita & Simon eo iam tempore, quo beatus Iudas hæc scribebat, magicis artibus suis Samaritanos dementabat, vt ab his thesauros sibi compararet. Neroni, ac Romanis adulabatur, & Christianos accusabat, *quæstus causa.* Marcum illius discipulum ex fascinatis à se mulieribus nobilibus & purpuratis, ingentem sibi diuitiarum copiam collegisse, testatur Irenæus. Quin & alios sectarum suarum mysteria his tantùm reuelasse, qui grandes

Esaiæ 1.

Lib. 1. cap. 9.

des mercedes soluerent, idem rursus memoriæ prodidit. Omnibus ex historijs & scriptoribus Ecclesiasticis manifestæ sunt Arianorum, Donatistarum, & Hussitarum direptiones. Lutheranorum & Caluinianorũ rapacitates plus æquo adhuc in dies experimur.

Cæterùm, ex his omnibus attentè obseruandum est, Apostolum ex corruptissimis hæresiarcharum moribus, ac impiè gestis, rectè colligere illos omninò fugiendos, horumque dogmata perniciosa & damnabilia esse. Quoniam & Christus prænonuerat, *A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere. Vnaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur, &c.* Infert Apostolus. Matth. 7.

17. *Vos autem Carissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt vobis ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi:*

18. *Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.*

POsteaquàm suis nobis designauit & coloribus depinxit Hæresiarchas; probauitque ex vetustissimo Propheta Enoch, illos in postremo iudicio esse examinandos & damnandos: nunc eleganti Apostrophe pios omnes hortatur, vt illis longum valere iussis, saluberrimam Apostolorum Christi doctrinam animis constanter retineant. Deinde, vt seriò recogitent secum, quanta solicitudine eos beati Discipuli præmonuissent de periculis vlti-

morum temporum, quibus maximè surrecturi essent illi pseudoprophetæ, ac turpissimorum vitiorum patroni. Adhortationis porrò sensus est: Nunc ad modicũ prætermissa Seductorum mentione, ad vos Fratres Deo & nobis carissimi, orationem meam conuerto. Vos
2. Thess. 2. per omnia sacra rogo & obsecro, vos per Christum hortor, vt constanti firmaque memoria retineatis prædictiones simulque prædicationes sanctorum Apostolorum, siue illas per sermonẽ, siue per Epistolam acceperitis. Illi etenim non à seipsis locuti sunt, sed Spiritus Dei
Matth. 10. 2. Cor. 5. 1. Thess. 4. Patris loquutus est in eis. Legatione pro Christo fungebantur, Deo exhortante per illos. Itaque qui horum monita spernit, non homines, sed Deum spernit. Illi autem inter cætera prædixerunt exorituros illusores, Euangelium, sacramenta, & cuncta quæ ad vestram salutem pertinent ludibrio habentes: quique & fidem suis erroribus deprauare, & prauis moribus vitę Christianæ integritatem vitiare conabuntur, Euangelium, Euangelium frequenter in ore habebunt: sed nihil minus quàm vitam Euangelicam viuent. Verbum Dei plenis buccis crepabunt: sed iuxta vitæ Christianæ regulas mores non instituent, quin potius iuxta suos affectus nefarios. Nihil nouum, Carissimi, nihil à me cõfictum doceo, quando quidem ista hæc ab alijs sanctis Apostolis iam pridem audiuistis. Minus itaq; vos turbare debent, cũ tela præuisa minus feriant, &c.

Ex his primò notandum, hunc Apostolum magna prudentia coniungere recentes Apostolorum prædicationes, cum Enoch vetustis-

simi

simi Prophetę testimonijs. Idem namque Spiritus Prophetis & Apostolis inspirauit, vt eadem de Christo, & Ecclesia eius docerent. Idcirco duo Testamenta comparantur cum Sara & Agar vnius viri Abrahæ patris fidelium coniugibus. Item cum Lia & Rachele sororibus, ex quibus Iacob Patriarchas, id est, totius Israelis fontes excitauit. Itemque cum duobus Seraphinis, consona voce & Harmonia Deum laudantibus. Tandem & cum duobus Cherubinis, alis suis obumbrantibus propiriatorium, id est, Christum redemptorem ac mediatorem nostrum. Vtriusque ergo testamenti scriptis & doctrina vtendum est in Christianis lectionibus, & concionibus: quemadmodum bonus homo de thesauro suo profert noua & vetera. *Gen. 16. Galat. 4. Genes. 29. & 30. Isai. 6. Exod. 25. Matth. 13.*

Et quoniam hîc ad aliorum Apostolorum de futuris, *in nouissimo tempore illusoribus* atque seductoribus prędictiones à beato Iuda remittimur, illæ strictim sunt commemorandæ, tum vt fidem nostram in Deum constabiliamus, tum vt has tentationes non nisi Deo sciente ac iusto iudicio suo permittente, aduenire cogitemus; & animos nostros aduersus eas præmuniamus. Primò itaq; summus Christiani gregis pastor Petr. scribit: *Fuerunt pseudoprophetæ* (vt Sedechias, Hananias, Baalistæ) *in populo; sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducēt sectas perditionis, & multi sequentur eorum luxurias.* Et idem iterum: *Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, &c.* et. His Pauli præmonitiones sunt adiungędę. Ait autem: *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis tempori-* *2. Pet. 2.* *2. Pet. 3.* *1. Tim. 4.*

poribus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Et rursum: *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, &cæt.* Iterumque: *Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, &c.* Quinimò & ipse Dei filius de horum aduentu Apostolos suos præmonuerat. *Venient,* inquiens, *ad vos in vestimentis ouium, &c. Surgent multi pseudoprophetæ, & seducent multos, &c.* Sed quæ nouissima post Christum & Apostolos tempora? qui nouissimi dies, nisi hi nostri, qui ab illorum diebus, super mille & quingentos distant? Verè igitur hæc adimpleri cernimus in huius sæculi apostatis, hæresiarchis, horumque ministris ac satellitibus.

2. Tim. 3.

2. Tim. 4.

Matth. 7.

Matth. 24.

Notandum deinde, hunc Apostolum libenter citasse aliorum coapostolorum scripturas & traditiones: vt hoc exemplo & illorum arrogantiam coarguat, qui aliorum bene dicta factaque dedignãtur allegare, vt ipsi authores videantur: & vt maiorem authoritatem suo Epistolio atque prædictioni conciliet. Hanc animi moderationem à Christo didicerat, quem non puduit Mosis, Dauidis, Isaiæ, Danielis, veterumque aliorum Prophetarum sententias pro concionibus suis nominatim citare. Paulus quoque gloriatur se cum Petro, Ioanne, & Iacobo suis antecessoribus contulisse de Euangelio, quod inter gentes prædicabat, ne in vacuum curreret aut cucurrisset. Petrus denique non sine eximia honoris præfatione, coapostoli sui Pauli Epistolas commemorat.

Matth. 19. 21. 24.

Ioan. 5. 6 8.

Galat. 1. & 2.

2. Pet. 3.

Obser-

Obseruandum postremò, Apostolum inter studia hæreticorum connotare, quòd *sint illusores*: id est, nihil est tam verum, pium, salutare in rebus sacris, quod non sannis excipiant, atque prophanis irrisionibus, criminationibus, & scommatibus traducant: vt omnem illius fidé ac reuerentiam de conscientijs simplicium aboleãt. Nec mirũ, quoniã perfidi Iudæi & Christi Domini regnum, per purpuream vestem, sceptrum arundineum, & coronam spineam, irriserunt: sciẽtiam, conciones, & dicta prophetica, velando faciem eius, colaphiscædendo, & dicendo, *Prophetiza, quis te percussit*, illuserunt: & miracula eius subsannando, cùm de cruce penderet, clamabant: *Si filius Dei est, descendat de cruce. Alios saluos fecit, &c.* Apostoloq; ludificantes Iudæi dicebant, cùm eos varijs loquentes linguis audirent: *Musto pleni sunt isti.* Nec irrisionibus ethnicorum expertes fuerunt primi Christiani, quando asinarij, semissij, crucifixi hominis discipuli, & crucis religiosi, vt est in Apologetico Tertulliani, per probrum appellabantur. Iulianus insultans eis, Galilæos, & Nazarenos vocitabat, &cæt. *Matth. 26. Luc. 22. Matth. 27. Act. 2.*

Quis narrando percenseret scommata, lædorias, ludibria; imò & turpissimas execrandasq; formas typis excusas, quibus Caluiniani sacrosanctum Missæ sacrificium, Baptismi vetustissimas & religiosas cæremonias, omnib. in fidelibus ac libertinis irridẽdas proposuerũt? Quis probra & maledicta in libellis quos vocant, *Anatomiam Missæ, Mortem & inhumationem Missæ, Apologiam pro Herodoto, Signa sacra, Ollam euersam, Acta Aposto-*

Apostolica, Antitheses Christi & Papæ, Scutum fidei &c. aduersus diuina mysteria, aduersus sanctos Patres & Martyres, aduersus Episcopos, sacerdotes, monachos, per ludibrium effusa? Sed non decuit Hugnosticos proprijs artibus in scripsis complere istud Apostolicum vaticinium: *venient in nouissimis temporibus illusores*: & Iudaicam, ethnicam, atque Turcicam aduersus Christianos insaniam & rabiem exuperare, vt viam pararent Antichristo.

19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.*

PRobat Apostolus tribus effectibus ac fructibus Seductorum, hos verè *esse illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes*. Primò, quod Ecclesiæ vnitatem suis dogmatibus peruersis atque defectionibus ac perduellionibus disrumpant. Hac nota, inquit, agnoscetis illos esse omnis veræ pietatis illusores, & proprio-rum desideriorum laqueis implicitos in impietatibus. Alijs qui secundùm spiritum Christi viuunt, in eâdem fide, doctrina, & Ecclesiastica obedientia concorditer remanentibus, isti noua mouent dissidia, turbas concitant, maluntque deficere, quàm in ordinem cogi. Relicta veterum fide, nouas opiniones velut sunt, vel sequuntur. Totius veteris Ecclesiæ sensibus interpretationibusque neglectis, nouas impiasque comminiscuntur: quas ne corrigant & emendent, seorsim cœtus suos colligunt, ab Ecclesiæ communione se subtrahunt, & quos possunt secum ab eâdem nefariè segre-

gant.

ant. Proprias sectas instituunt, quibus fingũt Deo purius & melius seruiri. Et vt paucis absoluam, quia carni seruire malunt, quàm spiritui, Schismatici efficiuntur.

DE SCHISMATE.

HIC aũt primò dicendum est, quid sit Schisma; deinde, quid differat ab hæresi; quid inter schismaticos & malos Catholicos intersit; postremum, quàm graue crimen sit, seipsum segregare ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ.

Schismatis definitio.

1. Schisma Græca vox est, significans scissuram ac diuisionem, à verbo Σχίζω, id est, scindo ac diuido. Definitur autem à Theologis: Schisma est separatio spontanea ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ, cum detrectatione obedientiæ, quæ debetur eiusdem summo Pontifici; & communicationis cum membris eiusdem communionis. Hæc definitio confirmatur testimonio beati Pauli, scribẽtis ad Corinthios: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* 1. Cor. 1. Igitur schisma diuisionẽ reputat: & eos habet pro schismaticis, qui pro nouis damnatisque opinionibus ab Ecclesię vnitate recedũt: vtpote dicentes, *Ego sum Pauli, Ego Cephæ, ego verò Apollo.* 1. Cor. 12. Id rursum illustrat domestico exemplo mẽbrorum eiusdem corporis humani. Si vnum à capitis obedientia recedat, & alius communicare noluerit, schismaticum est, paritq; schisma in corpore. Ioannes quoq; schisma tum exortum esse inter Pharisæos, cùm Christo subesse nolentes, eorum quidam dicebant, *Non est hic homo à Deo: alij verò, Quomodo potest homo peccator* Ioan. 9.

hæc

hæc signa facere? Adseritur rursum eadem Schismatis definitio, exemplo veteris Ecclesiæ, id est, Synagogæ. Ex ea schismatici effecti sunt *Num. 16.* Dathan, Core, Abiron, & sequaces eorum, quando Mosi summo eius rectori obaudire detrectarunt, à reliquis pijs viris secedentes, & eum vsurpatæ tyrannidis in populum falsò traducentes. Patet ergo schismatis descriptio, & qui pro schismaticis sint habendi.

2. Docent autem Patres, hoc esse discrimen inter Schisma & Hæresim, quòd hæresis per se opponitur veritati fidei: schisma verò vnitati, concordiæ, & caritati Ecclesiasticæ. Et ideo sicut Fides & Caritas distinctæ sunt virtutes, potestque separata manere fides à caritate: ita schisma & hæresis diuersa sunt peccata; potestque schisma inueniri sine hæresi, & hæresis sine schismate in aliquibus consistere. Ideo Hie- *Com. in cap. 3. ad Tit.* ronymus scribit: Inter hæresim & schisma hoc interesse arbitramur, quòd hæresis peruersum dogma habet: schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separet.

3. Quàm verò sit facilis ac promptus schismatis ad hæresim descensus, docet scribens paulò post: Cæterùm, nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Exemplum adhibere potuit de Lucifero Calaritano Episcopo, qui initio tantùm schismaticus fuit: postea verò hæreticus euasit: vt idem tradit tam in Catalogo, quam Dialogis suis aduersus Luciferianos. Idem etiam Nouatianis & Donatistis contu- *Quæstion. ex Matth. q. 11.* gisse testificatur scriptores Ecclesiastici. Hinc Augustinus ait: Schismaticos non fides diuersa facit:

facit: sed communionis dirupta societas. Hos quoque appositè comparat cum spicis corruptis in agro messis; item cum paleis aristarum fractis vel scissis, & de segete abruptis. Quò enim altiores, id est, superbiores, eò fragiliores leuioresque sunt. Idem quoque rursum de his scribit: Hæretici de Deo falsa sentiendo fidem Catholicam violant: schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamuis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiã Catholicã, quoniam non diligit Deum: nec schismaticus, quoniam non diligit proximum: Hactenus ille. *Libr. de fide & symbolo, cap. 10.*

4. Latissimum porrò discrimen constituendum esse, inter Schismaticos, & scelerate praueque viuentes Catholicos, his verbis docet idem Augustinus, cõmemorata etiam (quã nunc exponimus) beati Iudæ Apostoli sententia: Quod cõmemoratò Iudæ Apostoli testimonio, vbi ait? *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, &c.* adiunxi etiam dicens: de quibus Paulus dicit: *Animalis homo non percipit, &c.* Non sunt illis æquandi, quos omnino ab Ecclesia schisma præcidit. Istos quippe Apostolus paruulos dicit esse in Christo, quos nondum valentes escam capere, lacte nutrit tamen: illi autem non in filijs paruulis, sed in mortuis & perditis cõputandi sunt. Hęc ille. Ex quibus liquet, Catholicos, licet praue viuentes, numerari tamen inter filios Ecclesiæ: Schismaticos verò penitus esse ab ea præcisos. Catholicos verbo & sacramentis quotidie reuiuiscere: Schismaticos verò mortuos esse. Huiusmodi Catholicis spem *Lib. 2. contrà Cresconium, cap. 3.* *1. Cor. 2.* *1. Cor. 3.*

salutis superesse: Schismaticos certissimã perditionem manere. Et vt paucioribus & apertioribus cõcludam: Catholici, tametsi non satis probè viuant, sunt tamen intra nauim Ecclesiæ, palmites adhuc in vite, & membra infirma capiti cæterisq; membris adhuc sanis & vegetis cohærentia: Schismatici verò, iam in pelagus demersi, palmites, membraq; præcisa, mortua, putrida vel arentia.

5. Tradunt autem, vt & superius attigimus, peccatum Schismatis, tam graue, pernicioſum ac exitiale cẽsendum esse, vt etiam adulterij, homicidium, furtum, luxuriam, imò & idololatriam sua fœditate exuperet: idq; confirmãt sacris exemplis ac rationibus istis. Distantiam grauitatemq; peccatorum declarat pœna à Deo inflicta: adeò vt sit grauius delictum, quod grauius est vindicatum. Schismatici verò omniũ peccantium acerbissimo supplicio sunt puniti. Nam illis denegatum est pœnitentiæ tempus, quando in momento corporibus, animis, viri cum vxoribus, paruulis, tabernaculis, cũ vniuersis facultatibus, à terra deuorati *descenderunt in infernum viuentes*. Caino autem fratricidæ, mundo corrumpenti omnem viam suam, & Niniuitis, quorum clamor ad celerum ascenderat in cælum, datus est sufficiens pœnitendi locus. Dauidi adultero ac homicidæ, concessa est per pœnitentiam venia. Iudæi vitulum aureum colẽtes, solo gladio sunt cæsi: schismatis verò authores viuos infernꝰ deglutiuit, & fautores eorum ignis è cælis delapsus omni diritate & immanitate sæuiens absumpsit. Itaque schismatis sacrilegium, grauitate ac enormi-

Optat. libr. 1. August. li. 1. de bapt. c. 4. & lib. 2 c. 6. Lib. 3. contra epist. Parmeniani, epist. 72. & 162.

Num. 16. Psalm. 105. Gen. 4. & 6.

Ion. 1 2 3.

Exod. 32.

tate sua omnia alia peccata supergreditur.

6. Cyprianus & Hieronymus eiusdem sceleris circunstantias & incommoda iusta lance perpendẽtes, existimarũt Schismaticos longè deteriores esse Iudæis, ac militibus illis, qui in crucem egerũt Dominum nostrum. Hi namq; vestem eius inconsutilem, integram seruarũt: isti sponsam eius miserrimè lacerant atq; discerpunt. Similes quoque illi filij interfectrici ac crudelissimæ meretrici, quæ filiũ adhuc vinentem in partes distrahendũ esse volebat. Et vt disputationem istã cum beato martyre Irenæo concludam: Iudicabit profectò, iudicabit Dominus eos, qui schismata operãtur, qui immanes, non habentes Dei dilectionem; suamq; vtilitatem potius considerantes, quàm vnitatẽ Ecclesię, propter modicas causas gloriosũ corpus Christi conscindunt & diuidunt; & quantũ in ipsis est, interficiunt. Nulla enim ab eis tanta fieri potest correptio, quanta est schismatis pernicies, &c. Atq; hæc de schismate, & schismaticis, qui ab Ecclesia secessionem faciunt: quod primus hîc recensetur fructus effectusq; Seductorum. Adijcitur:

Lib. de vnit. Eccles. *Epist. ad Damas.* *Ioan. 19.* *3. Reg. 3.* *Lib. 4. ca. 62.*

Animales.

SEcũdus est Seductorum effectus seu fructus, per quem facilè deprehendi possunt. Sunt enim ψυχικοὶ, *animales*: id est, omninò dediti carni, & his voluptatibus affectibusq; carnis, quæ hominibus & brutis animalibus communes sunt, vt gulæ, ventrisque libidini, voluptati, somno, iræ, vindictæ. Deinde, instar bestiarum ea tantùm æstimant bona & vtilia esse, quæ sic carni videntur. Apud Apostolum Paulum *1. Cor. 2.*

ψυχικὸς, id est, animalis homo, dicitur is esse, qui ea non percipit quæ Dei sunt: id est, ea tantùm iudicat & facit, quæ caro corrupta suadet. Hoc aũt quàm verè de priorib⁹ Gnosticis dixerit beatus Iudas palã ostentant, quæ de illorũ verè belluinis moribus relata sunt ab Epiphanio. Primũ, inquit, cõmunes vxores habẽt, Nimirum, vt more canum, suum, luporum, iumentorum, plurimi vnam fœminam sequantur & contaminent. Deinde, Corpora sua, inquit, tum muliebria tum virilia noctu ac diu curant vnguentis, balneis, epulationibus, concubitibusq; & ebrietatibus vacantes. Et detestantur ieiunantem, dicentes quod non oportet ieiunare, &c.

Contra hæreſ. 26.

Ecquid aliud Satanas per Lutherum recentiorum Gnosticorum parẽtem inferre voluit cùm inspirauit illi vt omnibus suaderet, *tãnecessariam esse rem vxoriam, quàm edere, bibere, screare, vel dormire?* Hoc verbum, *Crescite & multiplicamini, non solùm esse præceptum: sed & plusquam præceptum, à quo nullus omnino eximitur? Tam se non posse sine vsu fœminæ esse, quàm non posse non marẽ esse?* An non est hoc animalem, imò & pluſquam belluinũ sese patefacere. Siquidem & auium, & ferarum, & piscium mares certis tantùm temporibus fœminis cõmiscentur: cæteris omnino abstinent &c. Nec Caluiniani hac in re Lutherum damnant, &c.

In rebus fidei non minus quoq; animales se se etiam produnt Gnostici, præsertim Sacramẽtarij, non percipiẽtes ea quę sunt spiritus Dei. Etenim naturæ tãtum imbecillitati, ac impotentiæ Deum comparantes, aiunt eũ non posse efficere,

efficere, vt vel vnũ idẽq; numero corpus simul sit in duobus locis: vel duo corpora simul in eodẽ loco: corpus quantũ sine effectis quãtitatis suæ alicubi sub sistat: aut sub minore quantitate quàm sua naturalis sit contineatur, &c. Alia deniq; plura diuinæ subtrahunt omnipotentiæ, quòd, inquiunt, nihil amplius efficere possit, quod in natura constitutas à se leges exuperet, &c. Sequitur:

Spiritum non habentes.

TErtius Seductorum fructus, quo euincitur eos esse *illusores, & iuxta concupiscentias proprias ambulantes*, de quibus beatus Petrus scribit. Nec in rebus fidei, nec in morum institutione ducuntur bono Dei spiritu. Nam sese produnt destitutos esse donis illius, videlicet sapiẽtiæ, scientiæ, timoris, patientiæ, modestiæ, &c. quę fuerunt abundè in sanctis Apostolis & discipulis Domini. Proinde quicquid garriant de verbo Dei, de veritate Euangelica, deque virtutibus, simulatio est, larua est & hypocrisis. Nam Spiritu sancto, per quem totum corpus Ecclesiæ Catholicę fructificatur & regitur, penitus carent.

Deinde, spiritu charitatis, per quam vniuersi Christiani in vno mystico Christi corpore coalescunt, sibiq; firmissimo nexu copulãtur, sunt exuti & priuati. Ideoque homines sunt barbari, crudeles, & nihil nisi tumultus, seditiones, & bella plusquam ciuilia spirantes, & in prouincijs quibus admittuntur omnia commouentes. Contra verò Paulus obnixè rogat: *Si quæ consolatio in Christo, si quod solatium charitatis,* **Philip. 2.**

implete gaudium meum, vt idem sapiatis, vnanimes, idipsum sapientes, &c. Prostat egregius libellus, inscriptus, Theatrum crudelitatis hæreticorum: ex quo perspicitur quanta sit nouissimorum barbaries.

20. *Vos autem Carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei, in Spiritu sancto orantes:*

21. *Vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.*

POstquam suis notis designauit, & viuis coloribus depinxit, coarguitq; Seductores, nunc redit ad exhortationes fidelium: eosque monet, vt virtutibus eorum vitijs omnino contrarijs, omnem adhibeant operam. Illas nunc suo ordine proponemus.

Prima est fides, quam iure *sanctissimam* appellat: nam illa primò totius sanctitatis & iustitiæ Christianę solidum est fundamentum. Nec enim coram Deo prodesse poterunt alię virtutes, aut eleemosynę, orationes, bona opera, nisi fides præcedat atq; comitetur. *Sine fide*, inquit Apostolus, *impossibile est placere Deo*. Sed neque preces Christianas aut animo concipere, aut effundere coram Deo valemus, nisi lumen adfuerit fidei. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ita neq; Baptismus, neque Confirmatio, nec Eucharistia, nec Pœnitentia, nec aliud quodcunq; Sacramentum salubriter ab adultis suscipitur, nisi vera solidaque fides antecedat. Hinc Paulus magnum Sanctorum Catalogum recensurus & laudaturus, semper à fide incipit, &

Hebr. 11.

Rom. 10.

pit, & eos ab hac virtute commendat. *Fide Abel plurimam hostiam obtulit quàm Cain. fide Enoch translatus est. fide Noe aptauit arcam. fide Abrahã obediuit Deo, &c.* Tandemq; concludit: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, &c.* Rectè igitur post beatũ Athanasium palam omnes profitemur: Quicunq; vult saluus esse, necesse est vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisq;, &c. Et Augustinus scribit: Absit vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus: absit autẽ vt sit iustus verè, nisi viuat ex fide. *Iustus enim ex fide vivit.* Idem rursum alibi, fidei necessitatem probat ex eo quod dicit Dominus: *Si oculus tuus,* (id est, bona intentio fidei bonæ,) *fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit:* Id est, totum corpus bonorum operum, plenum nigredine peccatorum erit, &c. Itaq; meritò diuus Iudas primum omniũ Christianos ad *sanctissimam fidem* colendam, augendam, & aduersus omnes dæmonum & hominum impiorum fallacias & impetus fortiter tuendam & adferandam hîc adhortatur.

Heb. 11.

Lib. 4. cont. Iulianum, cap 3.

Habac. 2.

Lib. de præd. sanctorum, cap. 7.

Matth. 6.

Rursum, Apostolus *fidem sanctissimam* vocat ratione obiecti. Est enim Fides de Deo trino & vno, æterno, omnipotẽte, immortali: de sanctissima Filij Dei incarnatione, natiuitate, miraculis, passione, morte, resurrectione, ascensione, alijsq; mysterijs sanctissimis, purissimis, & beatissimis. Virtutes morales versantur circa humana obiecta, resque creatas, vt liberalitas, circa distributionem bonorum temporalium: temperantia, circa cibũ, potũ, resq; venereas: fortitudo, circa res arduas & difficiles aggrediendas vel tolerandas, & cæt. In his verò quantum sit impuritatis humanæ commixtum,

mixtum, quis explicaret? Idcirco virtutes morales *sanctissimæ* nec dici possunt, nec haberi.

Præterea, Fides *sanctissima* iure dicitur, ob præcipuam causam eius efficientem, videlicet Spiritum sanctum: quoniam verè donum ac beneficium eius est animis nostris inspiratum atque collatum. Quantumcunq; enim quis sacramenta suscipiat, quantumcunque oret, ieiunet, verbum Dei legat & audiat, nisi mens à diuino Spiritu illustretur & flectatur, veram fidem nec admittet, nec seruabit vsque in finẽ. Hoc certissimis, & clarissimis Scripturæ testimonijs contendit Augustinus: atq; in primis ex eo quod à Paulo scribitur: *Ex ipso* (Deo,) *& per ipsum sunt omnia.* Igitur & fidei virtus. Deinde ait ad Philippenses: *Vobis datum est non solùm vt in eum credatis, verùm etiam vt patiamini pro eo.* Vtrunque ostendit Dei donum, quia vtrunque dixit esse donatum. Rursum idem Apostolus scribit: Se misericordiam consequutum vt fidelis esset: quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo esse augmentum: sed ab eo se factum fidelem, à quo Apostolus factus est. Et post multa idem Augustinus concludit: Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium.

Lib. de prædest. sanctorum, cap. 2.
Rom. 11.
Philip. 1.
1. Cor. 7.
Cap. 5. eiusdem Libri.

Docet præterea noster Apostolus, primam Fidei institutionem non sufficere ad iustitiã & salutẽ, nisi quis *superædificet* assiduè proficiendo cùm in eadem fide, tum in spe, obedientia, caritate, ac bonis operibus. Isti. n. progressus efficiunt, vt ipsa in iustũ ædificij modũ assurgat.

Luce. 17.

Igitur

Igitur cum Apostolis feruenter orandum est: *Domine, adauge nobis fidem*. Et cum tota Ecclesia: *Da nobis fidei, spei, & caritatis augmentum.* Luc. 17.
Habent enim hæ virtutes suos natales, incunabula, ætates, & incrementa. Sed neque, vt diximus, Fidei fundamentum, quantumuis amplum ac solidum pio viro satis esse potest, nisi *superædificet* atque superstruat opera charitatis, ac præceptorum Decalogi obseruationem. De hac *superædificatione* Petrus ait: *Ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spirituales sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum*. 1. Pet. 2. Paulus quoque dicit: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & nouerim mysteria omnia: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. Iacobus denique septem valentissimis argumentis cõtendit, euincitq; Fidem sine operibus, inanem planè ac mortuam esse: vt nostris in eius Epistolam Commentarijs, aduersus veteres pseudoapostolos, Simonianos, Gnosticos, Eunomianos, qui hoc sæculo in Lutheranis & Caluinianis renascũtur, patefecimus. Subiungitur. Iacob. 2.

In Spiritu sancto orantes.

SEcunda virtus, ad quam hortatur Apostolus, est studium orandi purum, feruens, & perpetuum. *Orantes*, inquit, id est, diuinam misericordiam & opem toto pectore cum omni fide & humilitate implorantes: in *Spiritu sancto* corda vestra mouente, accendente, atque docente quid, quando, & quomodo postulandum sit. Quia perfunctoriè vulgò oramus, addit: *in Spiritu sancto*: ac si diceret, tantam esse pigritiam,

tantumque frigus carnis nostræ, vt ritè orare nemo queat, nisi Spiritu sancto Dei excitatus: sicque ad diffidentiã & trepidationem nos esse procliues, vt nemo Deum vocare Patrem ausit, nisi eodem Spiritu sancto dictante. Nam hinc solicitudo, hinc ardor & vehemẽtia, hinc alacritas, hinc fiducia obtinendi, hinc deniq; gemitus illi inenarrabiles, de quib. Paulus: *Quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare facit, *gemitibus inenarrabilibus*. Et rursum: *Mittit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem Abba, Pater*. Etenim dictum est *postulat pro nobis*, inquit Augustinus, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Euangelio, *Spiritus Patris loquitur in vobis*. Neque enim & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, vt ipse facere dicere-tur, quod vt faciamus, facit.

Rom. 8.

Galat. 4.

Epist. 105. et lib. 2 contra Maximinum cap. 9.

Est igitur vera Oratio, donum Spiritus sancti, quod sine gratia præcedente ac comitante in homine esse non potest. Ideoque olim Deus promittebat: *Effundam super Ierusalem Spiritum gratiæ & precum*. Et Dauid inde gratias agens exclamat: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me*. Confirmat etiam Augustinus, Orationem inter gratiæ Dei munera reperiri, ex eo quod ait Doctor gentium, *Spiritus interpellat pro nobis, &c.*

Zach. 12.

Psalm. 65.

Epist. 105.

Rom. 8.

Docet rursum beatus Iudas, qua mente fit orandum, cùm dicit *in Spiritu sancto*, id est, puro, mundo, simplici, fideli, atque diligenti.

genti. Deus namque ſpiritus eſt: & ideo oportet eum adorare & inuocare in ſpiritu & veritate. Apoſtolus quoq; alius ſtudium quod in orationes ſuas impenſurus erat, explicans dicebat: *Orabo ſpiritu*, id eſt, voce: *orabo & mente*. Ideoque Theologi cum Damaſceno aiunt, Orationem eſſe eleuationem mentis in Deum. Vbi ergo vocibus clamoribuſque aerem tantùm verberamus, nec mente aſcendimus in Deum, Phariſæos imitamur, qui verbis quidē Deum honorabant: ſed corda ab eo longè recedebant. Ioan.4. 1.Cor.14. Matth.15.

Hinc denique colligendum magnam nobis omnibus orandi neceſſitatem incumbere, tum quia id & Chriſtus, & Apoſtoli eius tam ſedulò & frequenter præcipiunt & inculcant: tum quòd miſeriæ, tentationes, & neceſſitates quotidianæ ad id etiam nos compellunt. Verùm de Orationis ratione, ritibus, ac circunſtantijs omnibus copioſè diſſeruimus Commentarijs in Librum Eſther, Digreſſione de ijſdem. Addit Apoſtolus:

Voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate.

HAEC eſt tertia virtus, ad quam pios hortatur, nimirum, Dei in primis, deinde proximorum dilectio: quę à Chriſto Filio Dei appellatur, primum & maximum legis diuinæ mandatum. Quoniam verò iſta caritas ſeu dilectio eſt glutinum, quod nos omnes compingit in vnum corpus, verumq; Dei templum, enitendum eſt vt mutua caritate cohæreā- Matth.22.

hæreamus, & nos in concordia fraterna retineamus: siquidem voluerimus orationes nostras, de quibus nunc agebatur, Deo gratas, nobisque vtiles esse. Non enim exaudit ille nisi concordes: quippe qui per Filium dixit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. Abominatus est sacrificia Caini, quòd iam in fratrem suum odium ac inuidentiam animo conceptam retineret. Et Iudæis Ierosolymitanis dixit: *Festiuitates vestras non feram, iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras odiuit anima mea, cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine*, id est, homicidijs, oppressionibus, & cruentis odijs proximorum, plenę sunt, & cæt. Genes. 4. Isaiæ 1.

Est itaque dilectio Dei & proximi non modò vtilis, sed & ita necessaria, vt sine illa, nec fides, nec oratio, nec alia quæcunque reliquarum virtutum ad salutem prodesse valeat. Hâc magno studio commendans Petrus scribit: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. Hanc Christus tanquam proprium singulareque præceptum suum, testamento cunctis cohæredibus suis commendauit. Hanc qui verè habet, damnari non potest: qui non habet, etiam si omnia alia habeat, saluari non potest. Si non vacat, inquit Augustinus, omnes paginas scripturarum reuoluere, tene caritatem, & in ea inuenies omnem scientiam, dicente Apostolo: *Plenitudo legis est caritas. Finis præcepti est cari-* Ioan. 15. 1. Cor. 13. Serm. 39. de tempore. Rom. 13.

tas ut

de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Nam sicut radix omnium malorum est cupiditas, ita & radix omnium bonorum est caritas. Et Bernardus: Ille tenet quicquid latet, quicquid patet in diuinis sermonibus, qui caritatem habet in moribus. &c. Et quid postea præstare oportet? 1. Tim. 1.

Expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.

QVarta igitur virtus est, Spem firmam & inconcussam illius felicis, beatæ, ac æternæ vitæ retinere, quæ pijs omnibus seruatur meritis, & gratia Domini nostri Iesu Christi. Vult ergo dicere Apostolus. Non me latet, Carissimi, multa esse quæ vos ad hæreses sectandas dissolutosque mores sollicitent. Satanas in primis tacitis cogitationibus animos vestros pulsat: deinde, maioris partis huius mundi infidelis exempla vos mouent: seducto res cunctis ferè locis ac momentis vobis sunt importuni: ipsa denique longa & tædiosa expectatio promissæ vitæ cælestis procul adhuc nimis esse videtur. Verùm aduersus hos omnes tentationum fluctus, Spem velut immobile saxum opponite, & tanquam firmam tutamque anchoram arripite: & hac freti, expectate securi diuinum auxilium ad futurũ eius, qui iusto viro promisit: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Expectate Dei misericordiam exhibendam vobis in præsenti vita per remissionem peccatorum: & in futura per animorum corporumque perfectam Psal. 90.

glori-

glorificationem. Constanter ferte has tentationes, quæ solùm ad tempus sunt, & sempiterna vos manebunt præmia. Durate igitur in aduersis, & vos rebus seruate secundis. Semper obuersetur oculis vestris nouissimæ diei, & Christi aduentus imago; vt constantes effecti cum illo, & per illum vitam æternam cælestéque capiatis.

SPES QVID SIT, ET QVAM VTILIS ac necessaria.

HIC ergo in primis inquirendum quid sit Spes: deinde, quàm vtilis ac necessaria viris Christianis; postremò, grauissimum esse eorum peccatum, qui eam rebus in aduersis abijciunt.

Mag. in 3. dist. 26. 1. Spes itaque dicitur à Theologis, esse Expectatio certa futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis proueniens. Primò itaque est *certa*, quoniá certissimis innititur Dei promissionibus, quales sunt istę: *Qui bona fecerint, ibunt in vitam æternã. Beati eritis, si feceritis ea.* Hinc Paulus exultans canit: *Scio cui credidi, & certus sũ, quia potens est seruare depositum meum* (id est, mercedem debitam laboribus meis) *in illum diem iustus iudex*. Dicitur autem *expectatio*, quia tantummodo de bonis futuris est, non de præsentibus; docente Augustin. *Spes non nisi rerum bonarum est*, nec nisi futurarũ. Nam quod videt (id est, iam possidet) quis, quid sperat? *Si ergo speramus, per patientiam expectamus*. Dicitur etiam, *futuræ beatitudinis*, quod propriè de beatitudine essentiali, id est, clara Dei visio-

Ioan. 6. *Ioan. 13.* *2. Tim. 1.* *Enchir. ca. 6.* *Rom. 8.*

visione & perfecta fruitione consequente intelligendum est: iuxta id quod scribit Apostolus: *Habemus spem incedentem ad interiora velaminis,* &c. Hinc Christus homo non dicitur propriè habuisse spem, cùm secundùm animam verè perfectéque comprehensor esset, etiam à primo suæ conceptionis momento. &c. *Hebr. 12.*

2. Vt autem Spes pro habitu animis nostris infuso, quos ad promissa Dei pro certo expectanda incitat & inclinat, sumitur, proculdubio donum est Spiritus sancti, veluti Fides, ac Caritas, scribente Apostolo, *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc,* charismata videlicet diuini Spiritus, sine præcedentibus meritis hominibus collata. Nam donum Dei est, ne quis glorietur. Cùm autem pro re sperata vsurpatur, vt ibi: *expectantes beatam spem* &c. non contingit adultis nisi *ex gratia & meritis*. Siquidem nulla habita fuerit ratio bonorum operum ac meritorum ex gratia præcedente ac cooperante prodeuntium, stulta est præsumptio, temeritas, & vana iactantia. Stant enim hæc apertissima Dei verba: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hoc fac, & vives*. Ergo si nec seruaueris, nec feceris: vita non est tibi speranda. Et in Prophetis dictum est: *Audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas. Serua mandata mea, & viues. Spera in Domino, & fac bonitatem, & pascêris in diuitijs eius. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* &c. Frustra ergo sibi blandiuntur, frustra sibi promittunt vitam æternam blasphemi, sacrilegi, raptores, homicidæ, scortatores, solius fidei assertores, & vni- *1. Cor. 13.* *Tit. 2.* *Matth. 19.* *Ioan. 6.* *Deut. 4.* *Prouerb. 7.* *Psalm. 36.* *Thren. 3.*

& vniuersi bonorum operum osores. Atque hæc de Spei ratione.

13. Quantum ad illius vtilitatem aut etiam necessitatem eius attinet, vel ex eius authore Spiritu sancto, qui nihil nisi sanctum, commodum, & ad salutem nostram necessarium subministrat: vel etiam ex peccati desperationis, quod illi opponitur, incommodorum attenta consideratione, omni luce clarius patebit, eam permaximam esse, siue ad præsentem hominis iustitiam, siue ad vitæ cælestis consecutionem spectauerimus. Quoties enim miseri peccatores animis frangerētur, nisi hac virtute recrearentur & confortarētur? Hinc Iob exclamat: *Iob 19.* *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Et Dauid: *Psalm. 4. & 118.* *Singulariter in spe constituisti me. Respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis.* Et Paulus de se & coapostolis profitetur: *Rom. 5 & 8* *Gloriamur in spe filiorum Dei. Spe salui facti sumus.* Hæc enim præsertim inter tot mortes nos viuere, inter tot aduersa constanter stare, & inter tot angustias corda in cælum erigere, beneque sperare facit: vt authores sunt Origenes & Augustinus. Quibus addit Chrysostom. Magnæ sunt vires spei in Dominum: præsidium quod non vinci, murus qui non expugnari, auxilium quod non potest superari. Portus est tranquillus, turris quæ nequit pati, arma insuperabilia: vires inuictæ, & quæ in rebus difficillimis exitum inueniunt. Per eam, inermes armatos: & mulieres viros superârunt: puerique, ijs qui in bellis exercitati erant, facilè superiores fuerunt. &c. An non ergo cunctis Christianis perutilis ac necessaria?

Lib. 4 contr. Celsum.

Lib. 15. ciuit. cap. 18.

Cō. in Ps. 10.

4. Con-

4. Contingit autem hominem contra Spem duobus modis peccare. Priore per temerariã præsumptionem, beatitudinem sibi promittendo sine bonis operibus, & sine fructibus dignis pœnitentiæ, de qua re paulò supra diximus. Posteriore, per Desperationem, qua quis diffidit se saluandum, vel posse à Deo saluari: dicendo vt Cain, *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* De qua re Augustinus scribit: Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem, negat habere caritatem, veritatem, & potestatem: in quibus tota spes mea consistit. Magnam iniuriam Deo facit, qui de eius misericordia diffidit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit: quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Claui & lancea clamant mihi, quod verè reconciliatus sum Christo, si eum amauero. Lõginus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus. Redẽptor extendit brachia sua in cruce, & expãdit manus suas paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cupio. &c. Et idem rursum alibi: Desperare vtique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus, caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo, quia cũ inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filij tui: quanto magis reconciliati saluabimur per eum? Omnis ergo spes & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos. In ipso respiro, &

Gen. 4.
Manual. cap. 23.

Lib. Medit. cap 14. & Manual. c. 13.

ro, & in ipso cõfisus ad te peruenire desidero, non habens meam iustitiam, sed eam quæ est ex Filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Hæc ille, quibus & Desperationis grauitatem ostendit, & ad *vitam æternam per misericordiam Domini nostri Iesu Christi* (quemadmodum hîc suadet Apostolus) pro certo *expectandam* omnes nos accendit.

5. Tantùm addendum videtur, Vitam æternam esse ex gratia Dei, vt Apostolus loquitur; *Gratia Dei vita æterna*: simulque mercedem bonorum operum ac meritorum nostrorum, quoniam & ipsa sunt ex gratia præueniente, comitante, & coronante; vt idem Apostolus disertè constanterque tradit, dicens: *Deus reddet vnicuique secundùm opera sua. Recipiet vnusquisque prout gessit in corpore siue bonum, siue malum. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*, &c. Pergit porrò B. Iudas:

Rom. 6.

Rom. 2.

Galat. 6.

22. *Et hos quidem arguite iudicantes; illos verò saluate de igne rapientes.*

QVinta virtus, ad quam Christianos hortatur Apostolus, est Discretio, videlicet, vt cum prudentia & circunspectione discernant inter Peccatores, quando aut eorum consortia fugere, aut peccata coarguere ac corripere voluerint: vt singulis commodas adhibeant exhortationes, vel comminationes. Hos autem in tres classes distribuit. Prima eorum est, qui cum peruicacia & obstinatione adeò in sceleribus obduruerunt, vt vel nulla, vel exigua spes sit de horum emendatione. Huiusmodi olim

olim fuerunt Cain, gigantes, Pharao: postea Iudas proditor, Simon, Elimas, Ebion, &c. *Hos, inquit, arguite*, id est, seuerè corripite, increpate, minisque pœnarum terrete. Vel vt Græci volunt, *commisereamini dijudicantes*, id est, in cordibus dolete ita miseros, cæcos, & obstinatos esse, vt de propria salute nihil sint solliciti. Nam & maxima dignitate & sanctitate prædi- 1. Reg. 15. & 16.
ti viri hoc idem præstiterunt: vt quando Samuel ex animo diuque luxit Saulis lapsum ac deiectionem. Ieremias quoque ingenti commiseratione excidium Ierosolymorum defleuit. In Threnis.
Et Paulus ad Philippenses scribit: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus*, & cæt. Philip. 3.
Quinetiam Christus à suspirijs & lacrymis non abstinuit, prædicens vrbis Ierosolymitanæ totiusque politiæ Iudaicæ proximam supremamque ruinam. Luc. 19.

Diuinis ergo præceptis ac exemplis admonentur Pastores Ecclesiarum, & pij magistratus, duris increpationibus & suppliciorum comminatione homines præfractos & contumaces ad metum odiumque peccatorum suorum perducere: ac nunc priuatim, nunc publicè de salute sua cómonefacere, vt vel ierò resipiscant, vel alios saltem cessent deprauare & corrumpere. Ideo enim Paulus Timotheum 1. Tim. 5.
Ephesiorum pastorem admonet: *Peccantem co-* 2. Tim. 4.
ram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Argue, obsecra, increpa, insta oportunè, importunè. Sic enim & Medici amara pharmaca, cauterium, candensque ferrum tandem adhibent,

quãdo vident molliora remedia frustra fuisse adhibita. Nec solùm verbo id præcepit, verùm & reipsa comprobauit, quando in Elimam his sermonibus excanduit: *O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, qui non desinis vias Domini subuertere rectas! Ecce manus Domini super te, eris cæcus, & non videns solem vsque ad tempus.* Act. 13. Contumacem quoque fornicarium tradidit Satanæ torquendum corpore, vt vel pœnis disceret peccatis suis finem imponere. 1. Cor. 5. Hymenæũ, Alexandrum, & Philetum à fide resurrectionis naufragantes, similibus tormentis addixit, vt discerent non blasphemare. 1. Tim. 1. Petrus etiam Simonem magum duriter, iustè tamen tractauit, quòd perspiceret eum in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis permansurum. Act. 8. An non etiam Christus totius mansuetudinis exemplar, in Pharisæos & Scribas non rarò grauiter excanduit? Itaque primæ classis peccatores, id est, in sceleribus suis indurati, non molliter tractandi sunt: sed timore subigendi. Matth. 23.

Secunda classis errantium est eorum, qui vel ex ignorantia & imbecillitate, vel aliorum fraude ac circumuentione seducti, seu aduersus doctrinam ac fidem Christianam, seu aduersus bonos mores peccant: cæterùm, ingenio sunt facili, atque ad resipiscendum parato, si quis prudenter & humaniter illos admoneat. De his scribit Apostolus: *Illos saluate, de igne rapientes.* Id est, clementer & fraternè monete, reducite ad meliorem mentem, ac veluti pretiosas vestes aut vasa ex incendio & conflagratione eripite. Vel de incendio ignis aterni ge-

nigehennæ, quò properant, festinanter liberate.

Hinc omnes vident ad officium Christianæ pietatis spectare, vt non solùm saluti propriæ consulant, verùm etiam proximorum: præsertim cùm erroribus vitiorum, aut falsarum de Deo & operibus eius opinionum tenebris in laqueis diaboli detinentur, atque damnationis æternę periculo sunt iam iam expositi. Etenim non nobis tantùm nati sumus. Nunquam dicendum est cum Caino: *Nunquid custos fratris mei sū?* Gen. 4. *Quoniã vnicuiq; Deus mandauit de proximo suo.* Eccli. 17. *Sollicita sunt pro se inuicem eiusdem corporis membra.* 1. Cor. 12. Quantis, quæso, laboribus Moses, Aaron, Iosue, Elias, Eliseus, cæterique Prophetæ pro salute popularium suorum toto vitæ curriculo desudarunt? Quantis ieiunationibus & precibus Daniel, Esdras, Nehemias, Israelitarum de Babylonica captiuitate (vbi plurimi ad idololatrias gentilium in dies deficiebant) liberationem, reditum, atque desolati templi instaurationem à Deo impetrare studuerunt?

Notanda est etiam diligenter hæc Spiritus sancti locutio, qua saluandi verbum ad homines pios transfert, quasi authores esse possint salutis proximorum. *Illos*, inquit, *saluate, deigne rapientes*. Opus equidem saluandi homines à peccatis & gehenna, prorsus diuinum est, Spiritu sancto dicente: *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me saluator. Ego Dominus Deus tuus, Deum absque me nescies, & saluator non est preter me.* Isaie 43. Osee 13. Sed quia ad hanc salutem hominum procurandam & peragendam, electorum &

Sanctorum suorum vtitur ministerio, vtpotè, linguis, scriptis, exemplis, tanquam organis suis: & ipsi modulo suo, id est, ministerialiter, vt in scholis loquimur, dicuntur peccata remittere, iustificare, & saluare proximos suos. *Si te audierit*, inquit Dominus, *lucratus eris fratrem tuum*. Et Paulus ait: *Attende tibi & doctrinæ. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*. Iacobus quoque addit: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Sunt itaque Sancti viri præcones verbi diuini, & pastores Ecclesiarum, Dei coadiutores & cooperatores; proximorumque saluatores: quod non parum facit ad commendationem ministerij illorum, vtque illud omni alacritate & reuerentia capessant.

Matth. 18.
1. Tim. 4.
Iacob. 5.

Denique, ex hoc animaduertere deberent hæretici, se in Dei beneficentiam & prouidentiam iniurios esse, simulque aduersus omnes electos eius contumelioſos, cùm nos tot probris & maledictis incessunt, propterea quòd Sanctos cum eo iam beatè ac feliciter viuentes, nostros appellamus apud eum patronos, intercessores, atque mediatores: quando constat expressis verbis diuinis, eos etiam *Saluatores* proximorum suorum iure vocari ac esse. Nec quicquam ex hoc aut honori aut officio Christi Domini nostri detrahitur: quoniam, vt eum vnum & solùm Mediatorem Dei & hominum in primis per naturam; deinde, Redemptionis officio; postremò, ea dignitate & potestate, quòd nullo alio pro se interpellatore indigeat, quippe qui per semetipsum accedat ad Deum,

ad Deum, omnes libenter agnoſcimus, palam profitemur, adoramus, & ſupplices inuocamus: ſic & Sãctos ei perpetuò adhærentes humillimis & feruentiſſimis precib. ac ſuffragijs pro ſalute fratrum ſuorum hîc adhuc peregrinantium, aduocatos & mediatores ſuo modulo cenſeri & prædicari conſtanter aſſerimus. Vnius tantummodo Cyrilli Alex. ſententiam in præſentiarum ſubijciam. Nam de alijs copiosè diximus Commẽtarijs ad Philemonem. Multi Sanctorum, inquit, mediationis miniſterio vſi ſunt: & ipſe Paulus clamat: *Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Moſes quoq; mediator fuit, miniſtrauit enim filijs Iſrael legem datã à Deo. Mediator etiam fuit B. Ieremias præcipuè quando clamabat ad Deũ: *Recordare mei ſtans coram te, ad loquendum pro ipſis bona.* Singuli Prophetarum mediatores fuerunt: Apoſtoli quoque ſinguli. Quomodo igitur vnicus Mediator Dei & hominum Chriſtus eſt, niſi noua, inauditaque in alijs mediatio ſua ſit? Hæc ille, ex quibus apertum eſt, nullam prorſus Chriſto iniuriam fieri, vt impij blaterant, quando mediatorum per ſuffragia preceſque officium Sanctis tribuitur: quoniam ipſi Redemptoris verum & germanum munus nullo pacto detrahitur. Sed de tertia peccantium claſſe iam diſſeramus.

Pagin. 120. 121. *&c.* *Lib.* 12. *theſauri, ca.* 10. *2.Cor.* 5. *Exod.* 20. *Ierem.* 18. *1.Ioan.* 2.

23. *Alijs autem miſereminiin timore: odientes & eam quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.*

POſtremus eſt aberrantiũ ordo, eorum videlicet, qui errata atq; peccata ſua cognoſcũt,

de hiſque ſerio triſtantur, conteruntur, & dignos pœnitentiæ fructus peragere ſtudent. *Horum*, inquit Apoſtolus, *miſereemini in timore*: id eſt, hos iuuate conſilio, exemplo, ſacriſque adhortationibus: compatimini & condolete in viſceribus Chriſti. Si hos preſſerint aduerſitates, conſolamini: ſi pauperies ad extrema redegerit, veſtris facultatibus egeſtatem illorum releuate: ſi tentationibus grauioribus fuerint deiecti, his proponite diuinæ miſerationis in admittendis peccatoribus, & condonandis peccatis plurima & ſuauiſſima exempla, & cæt.

Et hîc rurſum cunctis hominibus propoſitum eſt Chriſtianæ caritatis officium, videlicet, compati pœnitentibus & afflictis, etiam ſi propter peccata ſua iuſtè affligantur. Hoc Paulus non ſemel explicat ſcribens: *Confortamini pusillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* 1. Theſſ. 5. *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: conſiderans teipſum ne & tu tenteris. Caritas patiens eſt, benigna eſt, non gaudet ſuper iniquitate, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Galat. 6. 1. Cor. 13. Et de ſua ipſius in afflictos compaſſione ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* 2. Cor. 11. Quidni vero hanc commiſerationem homines præſtabunt hominibus, quando Filius Dei homo factus eſt ac pontifex noſter, vt compateretur infirmitatibus noſtris, & condoleret his qui ignorant & errant? Grauiter etiam docuit, Deum ſuccenſere ſeruo, qui noluit miſereri cõſerui ſui? Auguſtinus huius pietatis obſeruantiſſimus quondam aiebat: Homines amo, ex eo quod Hebr. 4. Matth. 18. Li. 1 ſoliloq. cap. 2. tom. 1.

ratio-

rationales habent animas, quas amo etiam in latronibus. Sequitur:

Odientes eam quæ carnalis est, maculatam tunicam.

SEXTA virtus est, cuius pios commonefacit, nimirum, vt pro amore & reuerentia Dei superbenedicti in sæcula, Odium peccatorum ac scelerum omnium, siue in seipsis, siue in quibuscunque alijs, animo concipiant, & semper retineant.

Huius autem versus perobscuri sanè duplex esse potest interpretatio, & vtraque vera atque vtilis. Prima est, vt odium referatur ad Seductores & impios omnes. Quasi dicat. Nolo vos Carissimi, familiares esse pestiferis illis hominibus, aut cum illis colludere, ne propter humanam infirmitatem, qua potius ad malum quàm ad bonum procliues sumus, & ipsi deprauemini. *Modicum fermenti totam massam fermentat*, Quis morbida totum inficit gregem. Exiguum veneni amplissimos cibos & potus corrumpit. *Qui tangit picem, inquinatur ab ea.* Perfecto igitur sanctoq; odio abhorrete ab illorum impia doctrina & prauis moribus, quibus veluti pestifera & leprosa tunica circundantur atque vestiuntur. 1. Cor. 15. Galat. 5. Eccli. 13.

Hinc ergo patet Apostolicam ac diuini Spiritus esse doctrinam, qua monemus hortamurque Catholicos homines, vt magno odio prosequantur hæreses, blasphemias, fanaticas apostatarum opiniones, factiones, & praua illorum exempla. Non homines ipsos odisse iubemur, quippe quos nouimus conditos esse ad

Dei imaginem & similitudinem : deinde, Christi sanguine redemptos : quosque potest ex lupis agnos, & ex vasis iræ vasa misericordię facere. Quis enim, vt Augustinus ait, potest odisse hominem, cuius naturam & similitudinem videt in humanitate Dei? Reuera qui odit illum, odit Deum : & ita perdit quicquid facit, &c. Non hominum igitur corpora, non vitas, non animas; sed pestiferos errores odio prosequi decet, vt cum viro secũdùm cor Dei profiteri valeamus : *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Itemque: *odiui Ecclesiam malignantium. Iniquos odio habui. Omnem viam iniquam odio habui. facientes præuaricationes odiui, &c.* Quinetiam si parẽtes, si liberi, si cognati fuerint, qui aut verbis aut exemplis nos à diuina religione conentur auertere; ab his discedere, hos abhorrere præcipimur. christus enim ait: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Rursumque: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Atque hanc esse *carnalem tunicam*, quam hîc odisse iubet beatus Iudas, nec pauci, nec inferioris notæ volunt interpretes.

Manuale cap. 26.

Psalm. 138.

Psalm. 25.

Psalm. 118.

Psalm. 100.

Matth. 10. Luc. 14.

Matth. 18.

Alij porrò volunt, vt odium istud ad pios etiam Christianos referatur, videlicet, vt per *carnalem maculatamque tunicam* corpus (quo veluti fœda tunica, imò carcere obscuro, graueque olenti sepulcro spiritus eorum includitur)

dicitur) per metaphoram illam intelligatur. Non quod substantia eius detestationi aut odio habenda sit, quoniam opus Dei est, *& nemo unquam carnem suam odio habuit*: sed quatenus animam prauis cupiditatibus solicitat atque pertrahit ad peccandum: arma quoque subministrat, quibus in Deum exurgat, proximum afficiat contumelijs, totumque hominem maculet & perdat. Hoc igitur corpus tanquam odio haberet, ieiunijs, vigilijs, durisque laboribus flagellans, diuinis legibus & rationi subseruire compellit: atque hoc est odio habere *carnalem maculatam tunicam*. Huius sententiæ est venerabilis presbyter Beda scribens: *Carnalem tunicam* corpus nostrum dicit. Non quod illud odisse debeamus, sed maculatum hoc omnibus modis debemus odisse, & quantum valemus agere, vt hoc immaculatum reddamus: vt de carnali, spiritale mereatur effici. Nec insolens est hæc metaphora in sacris literis, vt corpus humanum per tunicam significetur, quando Sponsa in Canticis queratur: *Expoliauit me tunica mea, quomodo induar illa?* Paulusq; iubeat *exuere veterem hominem cum actibus suis, vt induamus nouum.* Ephes. 5. Cantic. 5. Colos. 3.

Pijs ergo non satis erit veram sanctamque fidem seruasse, & à Seductorum corruptelis diligenter cauisse: nisi etiam à propriæ carnis concupiscentijs studiosè caueant, eandemque legi mentis subijciant. Hoc ipsum Paulus sine vllis metaphoris explicans præcipit: *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Rom. 12.

Et ite-

Coloss. 3. Et iterum: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam, &c.* Seipsumque pro exemplo proponens, dicit: 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Vt ergo perfecto odio prosequamur hanc *carnalem maculatam tunicam*, animo excelso ac generoso mactemus porcum gulæ, iugulemus hircum luxuriæ, interficiamus leonem iracundiæ, extinguamus serpentem hypocriseos atque proditionis, conteramus colubrum inuidiæ, præfocemus canem concupiscentiæ furti atque rapinæ, & omne vitiosum reptile ac immundum animal procul à nobis repellamus; sic gratissimum profectò erit Deo omnipotenti holocaustum & sacrificium nostrum.

Carnis, ventris, & eorum quæ sub ventre sunt, miserabiles serui sunt huius ætatis hæretici, qui nullum domandarum concupiscentiarum carnis aliud remedium adhibendum esse volunt, præter fœminarum amplexus: quibus magis irritatur & accenditur, quàm extinguitur peruersa libido: nec cum Daniele ac socijs eius, nec cum Anna prophetissa, Paulo, & coapostolis aut ieiunijs die ac nocte incumbere; nec cum patribus à carne, vino delicatisque cibarijs abstinere curant. Sordet illis Hieronymus cum suo sacco, suisque flagellis & humicubationibus: vilescit Hilarion cum sua spelũca, & palmea veste: insanit Antonius magnus cum sua heremo, & triduana quartanaq; ieiunatione: non est compos mentis Macharius, cùm oneribus vexatorem suum (corpus

Palladius.

pus lasciuiens intelligens:) affligere se aiebat: & vt paucis dicam, hypocritę sunt ac superstitiosi sancti Dei omnes, qui cilicijs, verberibus, lacrymis, ieiunijs, alijsq; duris laboribus *maculatam carnalem tunicam* Christo tandem mundam puramque reddere studuerunt. O tempora verè periculosa! O homines seipsos amantes! &c. Sed reliqua persequamur.

24. *Ei autem qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos, in exultatione, in aduentu Domini nostri Iesu Christi,*
25. *Soli saluatori nostro, &c.*

HAEC est extrema pars huius Epistolæ, quæ constat lectissimo Epilogo, quo velut egregia coronide scriptum suum Apostolus concludit. Huius autem duæ sunt partes. Priore, pios omnes gratiæ diuinæ commẽdat, vt per hanc puri sanctique, in hac peregrinatione seruentur; & eâdem peracta, in æterna gloria saluentur, cùm Christus huic mundo finem impositurus aduenerit. Posteriore, eximia doxologia atque iubilatione diuinas laudes celebrat, optatque ab omnibus, & in sempiternum easdem celebrari.

Prioris porrò versiculi nonnihil diuersa est lectio. Nam Oecumenius, alijque Græci habent. *Ei qui potens est αὐτοὺς φυλάξαι, eos seruare*, vt iermo referatur ad superius descriptos notatosque seductores, ac improbos peccatores. Et tunc sensus erit: Vestrum quidem officium est Carissimi, omnibus modis eniti, vt illi

vt illi erroribus ac peccatis suis finem imponant, conuertantur, & seruentur, nec ad extremum vsque vitæ huius terminum de cuiusquã emendatione desperãdum est. Siquidem Deus omnipotens, *qui de tenebris facit lumen splendescere*, & qui aufert cor lapideum, & dat carneum, potest summa bonitate & miseratione sua quosdam illorum ad se conuertere, eis peccata remittere, eosdemque cælestis regni Filij participes ac cohæredes tandem aliquando efficere. Latini porrò constanter legunt, *Ei qui potens est vos conseruare*: vt sermo præsertim ad pios dirigatur, quibus paulò superius dixerat, *Vosmetipsos in dilectione seruate, expectantes misericordiam, &c.* tuncque sensus erit: Hortatus quidem sum vos ad continuum Dei amorem, summamq; vitæ innocentiam: verùm id per vosmetipsos (doceo & moneo) obtinere non potestis. Id namque non est virium humanarum, ne quis sibi hanc gloriam arroget. Solus autem Deus id præstare potest: idque præstat credentibus, orantibus, & conantibus, vt non solùm homines nihil reperiant in moribus suis quod reprehendant, verùm etiam studentibus vt pro viribus se se immaculatos statuãt ante conspectum eius maiestatis diuinę. Quod vos cùm feceritis, exultabitis & gaudebitis in postremo illo aduentu Domini nostri, merentibus alijs, qui nunc videntur suauiter viuere, ac de mundo lætari.

1. Cor. 4. Ezech. 11. & 36.

Ex his primùm obserua, cuncta hominum studia, omnes conatus, omnes facultates, omnesque admonitiones externas aut parum aut nihil prodesse ad nos immunes à peccatis omnibus

nibus seruandos, & sine macula sistendos ante tribunal Christi, nisi Deus gratiæ ac misericordiæ suæ auxilio munereque præsto fuerit. Verè solus est, *qui potest facere mundum, de immundo conceptum semine*. Solus cor mundū in nobis creare, & perpetuò seruare potest. Solus est agnus innocens & sine macula, *qui tollit peccata mundi*. Solus habet immortalitatem, id est, vt Augustinus interpretatur, incōmutabilitatem, quæ ad peccandum flecti nunquam potest. Paulus quidem docet, nos esse *electos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate*: sed necesse est vt idipsū nos efficiat. Neq; enim sufficientes sumus, non dico opere facere, sed nec cogitare aliquid boni à nobis, tanquam ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Hinc Augustinus de cūctis studijs ac virib. suis humanis diffisus rogat: Quid ego cum mihi sine te, Domine, nisi dux in præceps? aut quid sum, cùm mihi bene est, niſi fugens ad te tuum? Alibi rursum cuncta bona sua gratiæ diuinæ, mala verò sibimetipsi tribuens, scribit: Quod cecidi, fuit ex me: & quod surrexi, ex te. Aperuisti mihi oculos, & vidi *quoniam tentatio est vita hominis super terram*: & quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec iustificatur omnis viuens: quoniam si quid boni est parui vel magni, donum tuum est, & nostrū non nisi malū est. Qui ergo de bono tuo gloriā sibi quærunt, & nō tibi: hic fur est & latro. Et similis est diabolo, qui voluit furari gloriā tuā. Si quādo steti, per te steti: si quādo cecidi, per me cecidi: semp in luto iacuissē, nisi tu me excitasses.

Iob. 14. Psal. 50. Ioan. 1. 1. Tim. 6. Ephes. 1. 2. Cor. 3. Lib. 4. Confes. cap. 1. Soliloquiorum cap. 15. Tomo 9. & lib. 2. Confes. cap. 7.

Sem-

Semper gratia tua prœuenit me, liberans me ab omnibus malis, saluans à præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris: præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, quia nisi tu hoc feciſſes, ego omnia peccata mundi fe-ciſſem. Nullum est enim peccatum quod vnquam fecerit homo, quod non possit facere homo, si Creator desit à quo factus est homo. Hactenus Augustinus diuinæ gratiæ eximius assertor & prædicator.

Obserua secundò, verè pietatis & charitatis Christianæ officium esse, apud Deum palam intercedere pro conuersione & salute seductorum ac hæreticorum, quandiu publicè nominatimque non fuerint à communione Christianæ Ecclesiæ submoti. Nam vera pietas caritasque cupit omnes saluari, neminem verò in æternum perire. Samuel tandiu Saulis vices defleuit, pro eoque rogauit, donec expressè prohibitum fuerit ei à Domino. Moses pro ijs orans qui vitulum aureum coluerant, dicebat: *Aut dimitte eis noxam hanc, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Paulus optauit anathema esse à Christo pro fratribus suis secundùm carnem. Christus denique pro blasphemantibus, insultantibusque sibi, sicut postea Stephanus pro lapidantibus orauit, & veniam plurimis eorum vterque obtinuit. Ireneus martyr postquam omnibus modis Gnosticos ætatis suæ exagitauit, nihilominus tandem ita pro salute illorum precatur: Nos autem precamur eos non perseuerare in fouea, quam ipsi foderunt, sed segregari ab erroribus, conuerti ad Ecclesiam Dei, formari Chri-

1. Reg. 16.

Exod. 32.

Rom. 9.

Luc. 23.

Act. 7.

Lib. 3. c. 46.

stum

ſũ in eis, & cognoſcere eos fabricatorem huius vniuerſitatis ſolum verum Deum, & Dominum omnium. Hæc precamur de illis, vtilius eos diligentes, quã ipſi ſemetipſos putant diligere, &c. Contendit & Auguſtinus orandum eſſe pro omnibus quantumuis ſceleratis ac perditis, quandiu nobis non conſtiterit de illorum reprobatione: quod Eccleſia etiam publicè præſtat in die Paraſceues. *Li. 21. ciuit. cap. 24.*

Tertiò etiam diligenter notanda eſt breuis illa quidem, ſed exquiſita excellenſque deſcriptio ſtatus piorum hominum, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tunc enim verè ac omnino erunt *ſine peccato*, & ſine vllis peccatorum ſordibus atque inquinamentis. *Nã via ſanctorum*, ait Iſaias, *vocabitur ſancta, & maculatus non tranſibit per eam.* Et in Apocalypſi dicuntur amicti ſtolis albis, quas lauerunt & dealbauerũt in ſanguine agni. Deinde, corporibus & animis in ſempiternum *conſtituti erunt ante conſpectum gloriæ Dei*, & ipſi glorioſi, ac ſupra quàm humana mens capere valet, beati atque felices, Deum ipſum facie ad faciem cõtemplantes ſicuti eſt. Ad hanc felicitatem ſuſpirans Dauid, exclamat: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Et alibi: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Videbunt præterea Chriſti humanitatem longè glorioſiorem, quàm vnquam cõſpexerint diſcipuli in monte. Enimuerò vel Auguſtino Doctore, Deus in ſimilitudine carnis apparuit, vt hominis vterque ſenſus in ipſo beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate: vt ſiue ingrediens ſiue egrediens, in ipſo paſcua *Iſaiæ 35. & 62.* *Apoc. 7.* *1. Cor. 13.* *Pſalm. 41.* *Pſalm. 16.* *Manualis cap. 26.*

Ioan.10. inueniret humana natura condita ab ipso. Denique, reprobis absque vlla futura vnquam redemptionis aut consolationis fiducia merentibus, atque perturbatis, ipsi contrà securi tutiq; gaudebunt *exultabunt* & triumphabunt, iuxta istud Christi suauissimum promissum:

Ioan.16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiũ*

Psalm.149. *vestrum nemo tollet à vobis*. De hac exultatione Sanctorum Dauid quoque vaticinatus est: *Exultabunt sancti in gloria, &c.* De hoc etiam scribit Augustinus: certè gaudium illud quo gaude-

Manualis, cap.36. bunt electi, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Vtique tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum te cognoscent, Domine. & cæt.

25. *Soli saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum, gloria, & magnificentia, & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.*

HAEC est posterior pars Epilogi, totiusque Epistolę conclusio: quę, vt diximus, continet doxologiã, lætamq; diuinę maiestatis, & aliquot perfectionũ eius celebrationem: quam tacitè opponit omnium hæresiarcharum & seductorum blasphemijs. Vult autem Apostolus: Aequissimum est Carissimi, vt sicut à laude & inuocatione Dei vnius ac trini hoc Epistolium sumus exorsi, ita quoque per laudem eius finem eidem imponamus. Vnà ergo mecum rogo & obtestor, illum corde, voce, & opere celebrate. Atque in primis fateamur necesse est illum solum esse sapientẽ, qui à se, & per se perfectè omnia nouit, etiã ante-

quam

quam fiant: solumque qui nos summa potestate velit & valeat ab omnibus inimicis & peccatis saluare, propter merita vnici filij sui Domini nostri Iesu Christi. Illi ergo quæcunque præstantissima sunt tribuamus, summum eius in cælis, terris, & abyssis imperium in omni æternitate vereamur & adoremus.

Hic primò notandum Græcos aliqua addere, alia prætermittere: sed quæ sensui Apostolico nihil detrahunt. Habent autem: *Soli sapienti Deo*. Quod ex priore Epistola Pauli ad Timotheum sumptum videri potest. Scribit enim illic: *Regi sæculorum, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor & gloria.* 1. Tim. 1. Idem rursum traditur in Epistola ad Romanos, quando hac coronide clauditur: *Soli sapienti Deo per Iesum Christum omnis honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Rom. 16. Cùm autem veræ, summæ, infinitæque Sapientiæ laudem soli Deo vindicant, eam cunctis creaturis adimunt. Et reuera solus ille per essentiam suam omnia simul & semel nouit ab æterno. Nihil enim Angeli, nihil Archangeli, nihil Prophetæ, nihil Salomon, nihil Apostoli, nihil patres & doctores intellectu comprehenderunt, quòd non ex abysso illa emanauerit, ipsique ex huiusmodi fonte hauserint. Ad hanc Dei sapientiã comparatæ omnes disciplinæ liberales, omnis philosophia, omnis sapientia huius sæculi, omnes poetæ, omnes oratores, omnes artes, plusquam cimmeriæ & Aegyptiacæ sunt tenebræ. Hinc Syracides: *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper & est ante æuum.* Eccli. 1. Et Iacobus ait: *Qui indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, &c.* Aug. referẽs se annos tantũ 20. natũ,

sine vllo doctore decem Aristotelis categorias intellexisse: omnem scientiam Deo tribuens subdit: Scis tu Domine Deus, quia & celeritas intelligendi, & discendi acumen, donum tuum est. Et postea: Nec quisquam præter te alius est Doctor veritatis, vndecunque & vbicunque claruerit.

Lib. 4. Conf. cap. 16. & lib. 5. cap. 6.

Deinde, *solus Saluator noster* dicitur, & reipsa est solus author & consummator salutis hominum, maximè autem fidelium. Ioseph quondam à Pharaone & aulicis eius appellatus fuit Saluator mundi: quòd suo consilio & prudentia tempore crudelissimæ famis plurimorum populorum vitę mortali consuluisset. Iosue, Samson, Barach, Gedeon, cæterique Iudices Israëlis, quòd ab hostibus suis Hebræos aliquoties liberarunt, Saluatores appellantur. Verùm, typi tantùm & vmbræ fuerũt vnici & veri Saluatoris. Nihil nisi eius nutu & ope præstiterũt: nec à morte spirituali, vel æterna quemque eripere potuerunt. Deus igitur trinus & vnus solus est omnipotens Saluator tam corporũ humanorum per resurrectionem futuram, quàm animorum per remissionem peccatorum & vitæ æternæ communicationem. Itaq; cum diuino Psalte exclamemus: *Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tues Deus Saluator meus. Deo subiecta esto anima mea, quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus, nõ emigrabo, &c.* Non saluant diuitiæ, & ingentes thesauri: non dignitates & principatus: *vana salus hominis: non saluatur Rex per multam virtutem: fallax equus ad saluandum:* solus Deus omnipotens saluat, & cæt.

Heb. 12.
1. Tim. 4.
Gen. 41.
Iud. 3. et 16.
2. Esdr. 9.
Psalm. 24.
Psalm. 61.
Psalm. 59.
Psalm. 32.

Addi-

Additur, *per Iesum Christum Dominum nostrum.* Non oportuit prætermitti hominem in vtero Virginis conceptum, natum, eodemq; instanti assumptũ à Filio Dei in vnitatem personæ ac suppositi, qui annunciante angelo cæleſti, & toto mundo confirmante, dicitur, & reipsa est IESVS, id est, Saluator: & CHRISTVS, id est, oleo spiritali ac inuisibili omnium gratiarum Spiritus sancti vnctus & sacratus in maximum Regem & Pontificẽ totius mundi. *Hic enim est lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mundum. Ipse est via, veritas, & vita. Ipse est verus propheta, qui venturus erat in mundum.* Ipse est Messias, qui dicitur Christus. Ipse est agnus Dei, *qui tollit peccata mundi.* Ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Ipse qui dilexit nos, *& lauit nos à peccatis in sanguine suo.* Ipse qui dilexit Ecclesiam, *& tradidit semetipsum pro ea, vt esset sine macula & ruga.* Ipse propitiatio pro peccatis nostris, & pro peccatis totius mundi, &cæt.

Matth.1. *Ioan.1.* *Ioan.14.* *Luc.7.* *Ioan.4.* *Ioan.1.* *1.Tim.2.* *Apoc.1.* *Ephes.5.* *1.Ioan.2.*

Verùm, quid Deo saluatori, & Christo Filio eius, à cunctis mortalibus debetur? *Gloria, & magnificentia*, id est, quæcunque amplissima, quęcunque nobilissima, quęcunque dignissima, & quibus maiora & præstantiora non potest mens humana concipere, ei sunt tribuenda; de eo sunt in æternum, & ab hominibus & ab Angelis prædicanda. Inter homines gloria, fama, splendor virtutum, & claritas nominis res habentur cunctis opibus nobiliores, eademque præ cunctis rebus expetunt illi, qui sunt excelso animo præditi: ea igitur Deo quàm piè & perfectè poterimus semper tribua-

buamus. Frequens sit nomen eius in ore cum reuerẽtia & laude. Fama beneficiorum eius in omne genus hominum sit semper illustris &
1. Cor. 10. peruulgata. Siue comedamus, siue bibamus, siue quid aliud faciamus, omnia in eius laudem
Psalm. 33. referamus. Benedicamus Dominũ in omni tẽ-
Psalm. 67. pore, semper laus eius sit in ore nostro. *Magnificentia & virtus eius in nubibus. Confessio & magnificentiá opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, etc.*
Psalm. 110.

Quantum autem celebrandis laudibus diuinis deuotus semper fuerit Augustinus his
Lib. 1. Conf. cap. 1. & 4. verbis ostendit: Tu enim Domine, excitas vt laudare te delectet. Quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, &c. Væ tacentibus de te, quoniam etiam loquaces muti sunt. Et rursũ: Taceat laudes tuas,
Lib. 6. Conf. cap. 6. qui miserationes tuas non cõsiderat. Rursumque: Tu Domine, qui pulcher es, pulchra sunt
Li. 11. Conf. cap. 4. quæ fecisti. Nec ita pulchra sunt, sicut tu conditor eorum: cui comparata, nec pulchra sunt,
Lib. Medit. cap. 15. nec bona sunt, nec sunt. Et Alibi: Certè si omnia membra nostra verterentur in linguas, ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra. Et postea: Væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti
Ibi. cap. 35. sunt, cùm non tuas laudes dicunt. Immensus es Domine, & ideo sine mensura debes amari, & laudari ab his, quos tuo pretioso sanguine redemisti. Hæc præclarus ille Theologus, quibus & animam suam in laudibus diuinis exercet, & ad id nos omnes prouocat & accendit.

Sed quid præterea iubet diuinus Iudas in Deo celebrari? *Imperium*, inquit, *& potestatẽ* eius agnol-

agnoscamus, quoniam in cælis, in terris, & in abissis, iure suo imperat, & vniuersa subijciũtur illi. Præclarum æstimarunt homines hominibus imperare, vocariq́ue Imperatores Romanorum, Græcorum, Persarum, & Chaldæorum. At imperia ista homines frequenter malis artibus capessunt, fœdè administrant, & tyrannide, cædibus, rapinis, libidinibus turpiter contaminant, scelerate viuunt & miserè pereunt. At hic noster cæli terræ & abyssorum Imperator, solus est clementissimus, solus augustissimus, solus æquissimus, & solus inuictissimus. Ipsi itaque soli gloria & imperium. *Apoc. 1. 1. Pet. 4. & 5.*

Huic quoque imperio coniunctam, inquit, celebremus infinitam potestatem, qua nihil non possit efficere. Nam *omnipotens nomen eius. Non est impossibile apud eum omne verbum. Quæ impossibilia sunt apud homines, longè facillima sunt ei.* Sapientes huius mundi profitentur Causam primam omnia quidem posse cum causis secundis: sed nos credimus & profitemur Deum nostrum tanta præditum esse virtute, vt & sine illis faciat quęcunq; vult in cęlo, in terra, & in omnibus abyssis. Subest illi, cũ voluerit, posse. Eius voluntas (ait Augustinus) est opus; & velle, posse est. *Exod. 15. Luc. 1. Matth. 19. Lib. Medit. cap. 29. & Manuali, cap. 2.*

Et ne quis existimet, has perfectiones diuinas, Deo esse aduentitias aut contingentes, subijcit Apostolus: *Ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.* Credamus ergo & cõfiteamur hæc Dei attributa, adeò propria & intima illi esse, vt & ab omni æternitate, ante mundi constitutionem: in toto mundi curriculo: & post mundi consummationem, ijsdem

semper præditus sit. Ei non est aliud viuere, & potentem esse: quoniam ipse sua potestas, sua sapientia, suum imperium, sua gloria quoque est. Et si continuò mutẽtur secula, immotus tamen ipse manens, dat cuncta moueri. Omnia implet, sine inclusione: omnia portat, sine onere: omnia regit, sine labore: semper agens, & semper quietus: colligens, & non egẽs: amans, nec æstuans: zelans, & securus est: pœnitet, & non dolet: irascitur, & tranquillus est: opera sæculorum mutat, sed non mutat consilium: reddit debita, nulli debens: & donat debita, nihil perdens. Idem ipse in personis trinus, & Deitate vnicus, dimittat nobis debita nostra, sicut & nos ex animo dimittimus cunctis debitoribus nostris: faciatque nobiscum secundùm magnam misericordiam suam.

Aug. Manu. ca. 1. & lib. 1. conf. ca. 4.

AMEN.

INDEX

SACRARVM SCRIPTVRARVM, QVAE PRAETER TEXTVM APOSTOLI, in his commentarijs explicantur.

Gen. 3. 2. *CVR praecepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? pa. 170*

4. 5. Ad Cain, & ad munera eius Dominus non reſpexit. Iratusq; eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. 259

5. 22. Et ambulauit Henoch cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. 310

19. 5. Educ viros illos, vt cognoſcamus eos. 175

Ioſue *5. 14. Sum princeps exercitus Domini. 212*

4. Reg *21. 6. Manaſſes traduxit filiũ ſuũ per ignem 228*

Iob. *7. 1. Militia eſt vita hominis ſuper terram. 231*

Pſal. *7. 2. Nequando rapiat vt leo animam meã. 147*

21. 21. Erue à framea Deus animam meam, &c. 214. 235.

33. 20. Vnum ex his non conteretur 324

49. 3. Aduocauit cælum deſurſum, &c. 321

109. 2. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum etc. 151. 324.

Cant. *2. 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea, & cæt. 25. 298*

Sap. *10. 6. Deſcendit ignis in Pentapolim. 174*

Eccl. *21. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam. 238*

Isaiæ *1.15. Manus vestræ plenæ sunt sanguine.* 364
5.6. Nubibus mandabo, ne pluant imbrem. 296
Dan. *9.21. Ecce vir Gabriel quem videram, &c.*
10.13. Ecce Michael vnus de principibus &c. 200
Matt. *6.23. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit.* 359
25.41. Ite maledicti in ignem æternum, &c. 117. *140.150.170.333*
Luc. *1.74. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* 91
10.18. Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. 142
Ioan. *5.25. Mortui audient vocem Filij Dei, & viuent* 325
8.44. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.
14.30. Venit in me princeps mundi huius, & cæt. *146.235.*
Acto. *10.4. Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* *211.*
13.48. Crediderunt quotquot erant præordinati à Deo.
Rom. *8.24. Quod videt quis, quid sperat?*
26. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus. &c. 362
11.21. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, time ne tibi nec parcat. 135
16.18. Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.

1.Cor.6.3. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?
9.10. Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. 53.54
10.1. Patres nostri omnes sub nube fuerunt. 132
15.24. Cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem, &c. 151
2.Cor.4.4. Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium.
11.14. Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. 12.222
Ephes.2.3. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.
6.12. Est nobis colluctatio aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectorēs tenebr[illegible]m harum.
Phili.1.29. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. 360
1.Tim 6.16. Rex regum solus habet immortalitatem.
Tit. 1.16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. 87.117.298
Heb. 2.12. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. 72
5.4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.
13.4 Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus. 180
1.Petr.5.2. Pascite qui in vobis est gregem Dei. 291
2.Pet.2.4. Si Deus angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos & cæt. 137

1. *Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, & cæt.* 92.347

1.Ioan.3.7. *Ab initio diabolus peccat.* 166.& seq.

2. *Cain ex maligno erat: & occidit fratrem suum.* 259.261

4.10.*In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* 260

Apoc.1.4. *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat &c.* 49

7.14.*Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* 35

12.7. *Michael & angeli eius præliabantur &c.* 199.

20.1.*Vidi angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi.&c.* 148

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM.

De Authore & auctoritate huius Epistolæ 1. & se.
Responsio ad Hæreticorum aduersus hanc Epistolam argumenta 5. & seq.
Quibus, & qua de re scripta & missa sit hæc Epistola 12. & seq.
De multiplici vtilitate ac fructu huius Epistolæ 15 & seq.
Partes huius Epistolæ 17. & seq.
Genus dicendi, & Inscriptio 18. & seq.
Exordium Epistolæ 55. Narratio 74
Notę ex quibus Hęresiarchę deprehendi queant 76. & seq. 279. & seqq. 334. & seq.
Veterum ac Nouorum hæreticorum blasphemiæ in Deum Patrem ac Filium 87. 117. & seq.
De veterum recentiumque hæreticorum libidine, intemperantia, & impudicis moribus 101. & seq. 280. & seq.
De lapsu cacodæmonum 140. & seq.
De nomine, origine, peccatis, damnatione, atq; pœnis cacodęmonum 155. & seq.
De immunitate sacrorum hominum ab huius sæculi laico ciuilique magistratu 192. & seq.
De officijs bonorum Angelorum erga militantem Ecclesiam, cunctosque filios eius 206. & seq.
De Cacodæmonum horrendis appellationibus, viribus, fraudibus, consilijs, & malignis aduersus humanum genus operibus 213. & seq.
De maledictis, conuitijs, ac imprecationibus 238. & seq.

Hære-

Hæreticorum ignorantia 248. & seq.
In Hæreticos grauiter insurgendum 256. & seq.
Hæreticorum crudelitas 263. superbia, arrogantia, 340. & seqq.
Hæreticorum desperatio & infelix exitus 264. & s.
Hæretici Magiæ dediti 269. & seq. Auari sunt 272, 344.
Lutheri in Sanctos maledicta & Icommata 274.
Quis fuerit Enoch? 309. Vbi nunc locorum diuersetur. 310. An scripserit 311. eius vaticinium 315.
Cur Sanctorum animæ, quæ iam cælesti gloria in cælis perfruuntur, in terram descensuræ sint ad locum iudicij 322. & seq.
Quarè Angeli iudicio generali aderunt 324. & seq.
Inter impium & peccatorem discrimen 328.
Schisma quid, & quàm graue peccatum 351. & seq.
Spes quid sit, & quàm vtilis ac necessaria 366. & seq.

FINIS.